SANCTI
GREGORII
PAPÆ I,
COGNOMENTO MAGNI,
OPERA OMNIA,

JAMOLIM

AD MANUSCRIPTOS CODICES ROMANOS, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta, & illustrata notis,

Studio & Labore MONACHORUM Ordinis Sancti Benedicti, e Congregatione Sancti Mauri:

Nunc autem a JOHANNE BAPTISTA GALLICCIOLLI Sacerdote Veneto, ad Codices præsertim MARCIANOS, iterum exacta, atque novis accessionibus locupletata.

TOMUS DECIMUS,

Complectens Residuum ISAGOGES Liturgicæ & SACRAMENTARIUM.



VENETIIS, MDCCLXXIII.

SUMPTIBUS CAROBOLI, ET POMPEATI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

ISAGOGES LITURGICÆ

CAPUT XVII.

De Sacra Psalmodia vel Officio.

Psalmodiæ nomen, origo, natura & partes. Ratio persolvendæ ejus. Officia varia. Syllabus hymnorum. De Psalmis. Specimen distributionis Psalmorum ad opus Dei. Et Circuli anni. Kalendarium. Ejus expositio & usus. Problemata.

Tota hæc doctrina brevi perstringetur.

I. ABsolutis iis, quæ ad Missam pertinent, ratio ordinis postulat, ut nunc de divina Psalmodia aliquid dicamus, & ea quæ speciatim explicanda videbuntur, per summa capita compendiose perstringamus. Tametsi enim lucubrationes nostras loco notarum Menardi conscripserimus, ideoque non extra Sacramentarium excurrere debere videantur: tamen ne hanc quidem partem intactam relinquere visum est. Breviter tamen ac paucis rem conficiemus, tum quia passim multa notata sunt huc transferenda; tum etiam quia plura, multoque meliora quam a nobis dici possent, a Venerabili Thomasio suis locis disputata audiemus.

Officii nomen.

II. Cessit huic divini cultus parti nomen *Officii* peculiari appellatione apud Latinos, apud Græcos vero ἀκολουθίας *acoluthiæ*. Illud quidem ex eo vel maxime, quod per preces illas supremo numini ministerium quodpiam sive officium impendamus: istud autem ex eo, quod in precibus illis ordo quidam & consequentia horarum diei noctisque observetur: est enim Græcis ἀκολουθία, Ordo & consequentia rerum.

Origo septem horarum.

III. Non est omnino quisquam qui ignoret ex Davidico illo testimonio: *Septies in die laudem dixi tibi*, Christianam Ecclesiam suam in precibus publicis sumsisse portionem. Utut enim beatus David cum *septies* dixit, *pluries* intelligi voluerit, more loquendi in sacra Scriptura promiscue usurpato: Ecclesia tamen & rem ipsam & vicium numerum custodiendum divinitus edocta intellexit. Porro, τί μακαριώτερον, inquit sanctus Basilius epist. I. ad Gregorium Theologum, τὸ τὴν ἀγγέλων χορείαν ἐν γῇ μιμεῖσθαι, εὐθὺ μὲν ἀρχο-

Orationis prærogativa.

μένης ἡμέρας εἰς εὐχὰς ὁρμῶντα, καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς γεραίρειν τὸν κτίσαντα]; *Quid beatius, quam ipſummet Angelorum tripudium in terra imitari, ſic ut exordiente die ſtatim in preces ſolvamur, hymnis videlicet & canticis Creatorem promerentes?* διὰ γὰρ τοῦτο, inquit Chryſoſtomus hom. 26. in in caput 8. Geneſ. λογικοί τινες γεγόναμεν, καὶ ταύτῃ τῶν ἀλόγων διεστήκαμεν, ἵνα τὰς εὐφημίας καὶ τοὺς ὕμνους, καὶ διηνεκεῖς δοξολογίας ἀναφέρωμεν τῷ τῶν ὅλων δημιουργῷ. *Iccirco enim rationem ſortiti ſumus, atque per hoc a brutis differimus, ut benedictiones & hymnos perpetuaſque laudes rerum omnium conditori rependamus.* Itaque certum eſt originem divinæ Pſalmodiæ a prophetis & Synagoga eſſe repetendam, quam patres ac majores noſtri perpetuo cuſtoditam ad nos uſque protenderunt. Satis erit meminiſſe ea, quæ paſſim habent Tertullianus aliique de cœtibus antelucanis ad canendum Chriſto, ut veterum Fidelium morem circa frequentes orationes comperto teneamus.

Liber de Circulo anni.

IV. Corpus univerſum divinorum Officiorum, poſtquam ea ſcriptis commendata ſunt, appellarunt priſci Librum de circulo anni; Græci item *βίβλον ἐνιαύσιον*: ſive quia natura rei ſic poſtulante id factum fuerit, ſive quia Eccleſia in hac quoque parte Synagogam immitata ſit, apud quam liber precum annualium מחזור *Mahazor*, ideſt *Circulus* vocari conſuevit. Jam illud ſatis conſtat, per Gregorium aliquem hanc quoque portionem divinæ Liturgiæ fuiſſe in meliorem formam redactam: quam rurſus Pius Quintus aliique Pontifices nova recenſione reſtituendam curarunt.

Horarum diſtinctio quibus myſteriis conſtet.

V. Recenſet Bona prolixius capite ſecundo de divina Pſalmodia, quibuſnam de cauſis certæ quædam horæ ad pſallendum Deo fuerint inſtitutæ. Proſtant etiam vulgo apud Morales Theologos verſus, quibus illæ contineantur. Noſtrum eſſe duximus, eam huc transferre veterrimam ideoque plauſibiliorem rationem, quam ex antiquiſſimo MS. codice hauſtam exhibet Muratorius ſuæ Liturgiæ tom. 2. pag. 966.

,, *Audivimus dicente ſcriptura pro*
,, *quali virtute cantantur omnes curſus.*

Nocturni.

,, Nocturni cantantur pro illa vir-
,, tute quam fecit Dominus, quan-
,, do oſtendit primogenita Ægypti:
,, & quando eduxit Paulum & Si-
,, leam de carcere clauſo foras. Et
,, de hoc dixit Evangeliſta: Media
,, nocte clamor factus eſt, ecce
,, ſponſus venit, exite obviam ei...
,, cantus pro hoc cantatur, quando
,, negavit S. Petrus ad paſſionem
,, Domini, & recordavit poſtea ad ...
,, corpore ſani ....

Matutinæ laudes.

(*Matutinum ſive Laudes*) ,, pro
,, hoc cantatur, quia Dominus ma-
,, ne ſurrexit. Et dixit Evangeli-
,, ſta: Prima autem Sabbathi Maria
,, Magdalene venit mane, cum ad-
,, huc tenebræ eſſent, tertia die re-
,, ſurrexit quæ luceſcit ad prima
,, Sabbathi. Quia & Angeli & ho-
,, mines, & aves quæ juſſit ſuper
,, terram, omnes in illa hora Deum
,, conlaudant, & tunc animas juſto-
,, rum qui in inferno erant, in ipſa
,, reſurrectione liberavit, quia mane
,, ſurrexit.

Prima.

,, Prima autem pro quid canta-
,, tur? quia tunc fuit concilius da-
,, tus contra Filium Dei, quomodo
,, eum perderent Judæi.

Tertia.

,, Tertia vero crucifigitur. Et ho-
,, ra tertia ſic deſcendit Spiritus ſan-
,, ctus ſuper Apoſtolos, quomodo
,, dixit Dominus: Accipite Spiri-
,, tum ſanctum, quorum demiſe-
,, ritis peccata demiſſa ſunt; &
,, quorum retinueritis, retenta
,, ſunt.

Sexta.

,, Sexta vero hora ſic aſcendit
,, Dominus in Crucem, ſic tenebræ
,, factæ ſunt uſque ad horam no-
,, nam

„ nam. Et tunc vocavit Dominus „ Saulum, quando persecutor erat „ Christianorum, & dixit: Saule, „ quid me persequeris? Et tunc „ venit vox ad Cornelium quando „ dixit: Corneli, exaudita est deprecatio tua, & eleemosynæ tuæ „ ascenderunt coram me.

Nona. „ Nona vero hora sic emisit Spiritum, & sic ostensum est vas „ S. Petro, ubi habebat omnia „ munda & immunda; sic dixit Angelus: Surge Petre, comede.

Vesperæ. „ Undecima (*id est Vesperæ*) „ vero sic cœnavit cum Apostolis; „ quando jejunavit quadraginta dies „ bus & quadraginta noctibus.

Completorium. „ Duodecima vero sic ascendit „ Dominus in montem Oliveti orare: & quia gutta sanguinis in „ sudore cecidit, propter illud quod „ ad Adam dictum fuerat: In sudore vultus tui vesceris panem. „ EXPLICIT.

Quivis facile solœcismos & lacunas de suo tollere poterit.

Vetus diei noctisque divisio. VI. Observandum veteres diem noctemque in horas duodecim tribuisse, quæ proinde variæ erant pro climatum ac tempestatum anni varietate: modo videlicet longiores, modo breviores, nunquam æquales & cum nostratibus convenientes, præterquam in æquinoctiis. Hæc rursum dodecatemoria in quadrantes dividebant, sic ut quilibet quadrans tres horas inæquales contineret: hi quadrantes diurni ab ultima fere quam includebant hora appellati sunt, Tertia, Sexta, Nona, Duodecima. Nocturnos quadrantes Vigilias, sicut diurnos stationes in re militari appellaverunt. „ Stationes & Vigiliæ „ militares in terna horarum spatia dividuntur: Quando ergo dicit; Quarta vigilia noctis venisse „ ad eos Dominum, ostendit tota „ nocte periclitatos, & extremo „ noctis, atque in consummatione „ mundi eis auxilium præbiturum " inquit apposite sanctus Hieronymus *lib. 2. comm. in cap. 4. Matth.* Hujusmodi horæ igitur intelliguntur illæ, quæ in divino Officio memorantur.

VII. Primi Christiani sic in Vigiliis orabant, ut in prima primum nocturnum, in secunda secundum, in tertia tertium persolverent. Hæc pars Officii speciatim Officium nocturnum propterea audiit. In quarta vigilia Laudes canebant, ideoque Officium matutinum illæ apud veteres frequenter nuncupantur: videlicet quia matutino crepusculo incipiente persolvebantur. — Modus persolvendi Officium nocturnum.

VIII. Ad stationes diurnas quod attinet, in earum initiis ad orandum conveniebant. Et Tertiæ quidem, Sextæ, Nonæ vocabula passim occurrunt. Prima haud memoratur ante Cassianum. Serius etenim videntur veteres initium & finem solaris luminis sacra prece voluisse consecrare. Quoniam vero interdiu minus diutius ob mundana negotia orationibus vacare licebat; quatuor horæ primæ breviores sunt, ac olim sine antiphonis persolvebantur. Videlicet non observabatur in eo *antiphonatio*, id est intercalatio antiphonæ ad singulos psalmorum versus, quæ longissimam rationem & moram invehebat, interdiu non commode observandam. Quinimmo in privata recitatione non facile occurrunt testimonia, quibus ostendi possit horas matutinas a privatis fuisse persolutas, ut & Thomasius fatetur. Vesperas appellabant veteres *Undecimam* vel *Lucernarium*, unde *Lucernarii psalmi*. Et quamdiu quidem Sympleroma vel Completorium non erat in usu, ingruentibus tenebris luminibusque accensis Vesperæ recitabantur: quo factum est ut alii ad nocturnum, alii contra ad diurnum Officium vesperas revocaverint. Unde etiam factum fuerit, ut vel ex parte vel ex toto ali- — Diurnum. — Brevitas ejus unde orta. — Erat olim sine Antiphonis. — Antiphonare quid sit. — An privati horas recitarent. — Lucernarium seu Vesperæ.

quan-

quando Vesperæ dicantur de sequenti festo. Postea obtinuit consuetudo a Monachis ortum ducens, ut Completorium post cœnam diceretur: quamobrem vesperæ retroactæ persolvebantur inter solem inclinantem & occidentem adinstar מנחה *Minhae*, sive Sacrificii jugis vespertini, quod eo tempore Synagoga litabat. Completorii institutionem sancto Benedicto acceptam refert Bona *de Psalmod. cap. xi.* idque variis rationibus demonstrare nititur, ejusque tempus proprium esse docet finem crepusculi vespertini, elapsa hora duodecima.

Completorium.

Ejus auctor S. Benedictus.

IX. Observat idem eminentissimus auctor, Officium parvum Beatæ Mariæ anno 1095. ab Urbano secundo in Synodo Claromontana ob expeditionem contra Turcas fuisse ad omnes propagatum, quum antea nisi apud paucos quosdam Monachos in usu esset. Sanctus Johannes Damascenus græca lingua & ritu Paracleticum beatæ Mariæ Virginis exaravit, quod nuper ex MSS. Monasterii Cryptæ Ferratæ etiam a Bona memoratis Romanis typis lucem aspexit.

Officium parvum B. Mariæ.

X. Defunctorum Officium in Ecclesia satis antiquum, ex veterrimo more constat solis vesperis & nocturno matutinoque officio, cujusmodi fuisse olim omnia privata officia saltem antequam Benedictus Completorium induceret, cum Thomasio suspicabamur. Illud autem Vigiliæ defunctorum apud priscos iccirco audiit. Alibi de eo quoque a nobis aliquid commemoratum est. Videatur Martene.

Officium Defunctorum.

XI. Revocantur etiam ad divinam Psalmodiam Psalmi pœnitentiales septem cum Litania, olim Psalmi speciales dicti: Item Graduales quindecim, sic nuncupati vel quia super gradibus totidem a Levitis in Templo Salomonis decantabantur, ut alibi innuimus; sive quia pertinerent ad reditum Israelitarum e Babylonica captivitate, ut Calmetius existimat. Qua in sententia מעלות *gradus* perinde valet, atque ascensus sive reditus.

Psalmi pœnitentiales, sive Speciales.

Graduales.

XII. Porro certum videatur primo; Ab exordio Ecclesiæ tempora publice orandi ea constituta fuisse, quæ etiam in mundanis negotiis insignia habebantur, qualia erant Vigiliæ & Stationes: & mysteria quæ singulis Officii partibus assignantur, nonnisi a piis viris *ex post facto* & deinceps fuisse excogitata, illisque partibus affixa. Secundo primis illis temporibus, utut interdiu noctuque ad orandum fideles convenerint, preces illas non constitisse nisi Oratione Dominica, psalmis & canticis quibusdam spiritualibus quos pietas cuique suggerebat: lectione etiam librorum sacrorum, non aliter atque per stata tempora a Synagoga veteri fieri consueverat. Quæ omnia subinde paulatim stabili ordine digesta, accedentibus etiam actis Martyrum, canticis in antiphonas & responsoria degenerantibus, *Opus Dei*, ut veteres appellabant, constituerunt.

Quæ tempora orationi constituta.

Forma primæva Officiorum.

XIII. Illud etiam satis constat; olim Fideles, Ecclesiasticos præsertim qui publice convenire non poterant ad sacram psalmodiam, privatim orasse ex ipsius Ecclesiæ præscripto. Nam in Constitutionibus Apostolicis *lib. 8. cap. 34.* hæc habentur: *Quod si neque in domo, neque in Ecclesia congregari possunt; unusquisque apud se psallat, legat, oret, vel duo aut tres simul.* Nihil hoc luculento testimonio ad rem præsentem illustrandam accommodatius. Neque enim solum loca publice psallendi quænam olim fuerint memorantur; sed etiam quæ essent partes divinæ psalmodiæ paucis traditur, psalmi videlicet, lectiones, orationes: præterea morem etiam ipsum *recitandi*

Officium privatum.

Recitatio cum socio.

di cum socio divinum officium, ut nos loqui consuevimus, jam ab initio Ecclesiæ ex ea consuetudine obtinuisse monstratur. Ad nonum usque seculum, observat Thomasius *tom.* 7. *pag.* 64. Psalterii, & Lectionum, non item Antiphonarum & Responsoriorum mentionem fieri, quando de privato Officio sermo est. Deinde merito subdit: „ Ex his quæ hactenus dicta sunt, „ apparet, Ecclesiasticum Officium „ privatum diversum olim fuisse a „ publico, quod in Ecclesiæ con- „ ventu & Choro cantabatur: ita „ ut de hoc privato nostro Officio „ dici possit, quod Ab initio non fuit „ sic. Hinc videtur privatum Officium „ revocandum ad pristinam normam „ constantem ex psalmis & lectioni- „ bus sacræ Scripturæ; remotis an- „ tiphonis & responsoriis, quæ ut „ eorum nomina demonstrant, cœ- „ tum canentium requirunt. " Exponit deinceps utilitates hujus reformationis. Sensit Benedictus XIV. hujus pondus veritatis, & supervacaneum antiphonarum usum, quæ sæpe etiam integræ vix fere ullum sensum reddunt: ideoque de Breviarii reformatione cogitasse dicitur. Præstaret fortasse etiam pro truncatis illis sanctorum Patrum homiliis, longiora sacræ Scripturæ segmenta legenda proponere: vel Canones Conciliorum pro reliquis minutioribus Officii particulis. Sed de his viderint quorum est.

Ejus ratio ad IX. usque seculum.

Hymni.

XIV. In Ecclesia Romana, saltem vulgo, ad seculum usque XII. usus hymnorum in Officio rarus erat, primusque admitti cœpit hymnus ad Completorium, ut ex Amalario & veteribus membranis constat. Quando enim a vetustissimis hymni nominantur, nihil aliud intelligendum, nisi laudes quædam Dei ex verbis potissimum sacræ Scripturæ constantibus, vel ipsis psalmis, cujusmodi erat hymnus ille paschalis a Christo dictus, & in Evangelio memoratus. In græca Ecclesia, præsertim apud Monachos hymnorum usus plurimus & perpetuus, non tamen metricus neque rythmicus, sed ita componuntur, ut sensus quasi ex hemistichiis quibusdam libera oratione procedat, verba tamen in illis usurpantur ferme grandisona pro linguæ genio. Exemplum afferam oden quamdam in sanctam Mariam ex vesperis Sabbathi, quæ sancto Johanni Damasceno tribuitur.

Apud Græcos.

O lucidum habitaculum
Regis Christi!
Illumina meam mentem
Obscuratam fraudibus inimici,
Et tenebris cæcutientem
Culparum mearum.
A cogitationibus malis
Humilem animam meam,
O Dei mater, libera:
Et habitaculum divinum eam perfice;
Quo, ut par est,
Laudem te, o purissima.
Quando jussu Dei
Ex temporaria vita
Abiturus ero, o immaculata,
Dæmonum me manibus superiorem præsta,
Angelos exhibens
Itineris socios mei.

Variant quadrupliciter toni hujusmodi hymnorum apud Græcos: ideoque toni sunt *Protos*, *devteros*, *tritos*, *tetartos*, hoc est primus, secundus, tertius, quartus: rursum quilibet tonus vel est directus, vel *plagios* sive obliquus, unde fiunt modulamina octo, quæ literis alphabeti sive græci sive latini a veteribus notari consueverunt. Hæc admonuisse sufficiat, propterea quod hujusmodi vocabula passim etiam occurrunt in libris Ecclesiasticis veterum Latinorum. Plura dabit Bona, Glossographi, & musurgi. In Mediolanensi Ecclesia plurimi erant hymni

Toni.

Hymni Ecclesiæ Mediolanensis.

mni auctore divo Ambrosio, quorum pars maxima in Romanam tandem permanavit: quibus tamen subinde propter solœcimos quibus scatebant, emendatio adhibita est. Nec tamen existimandum hymnos quos S. Ambrosio aliisque SS. Patribus attributos legimus, eorum temporibus in Officio divino fuisse omnes adhibitos. Quos porro singuli hymni auctores habeant, difficile atque adeo impossibile fuerit affirmare, quum desint veterum testimonia, & in multis sæpe plurimum discrepent. Nos ex fide codicum MSS. quibus Thomasius usus est in suo Hymnario adornando, in gratiam juventutis syllabum hymnorum hic subjicimus, ut cui quisque auctori saltem probabiliter tribuatur, perspectum haberi possit. Correctionis hic tamen nullam habuimus rationem.

SYLLABUS HYMNORUM.

A

XV. Æterne rerum conditor. *S. Ambrosii.*
Æterna cœli gloria. *Ejusdem.*
Æterna Christi munera. *Ejusdem.*
Ales diei nuntius. *Aureli Prudentii Clementis.*
Alma Redemtoris mater. *Cœlii Sedulii presbyteri.*
Antra deserti. *Pauli Diaconi.*
A solis ortus cardine. *Cœlii Sedulii.*
Audi benigne conditor. *S. Ambrosii.* Maurini *S. Gregorio* tribuunt.
Audit tyrannus anxius. *Aurelii Prudentii Clementis.*

B

Beate pastor Petre. Ex hymnis *Elpidis* uxoris Severini Boetii, *Ambrosii*, & *Paulini*. Vide Thomasium.

C

Christe sanctorum decus Angelorum. *Rhabani Mauri.*
Christo profusum sanguinem. *S. Ambrosii.*
Cœli Deus sanctissime. *Ejusdem.*
Consors paterni luminis. *Ejusdem.*
Creator alme siderum. *Ejusdem.*
Crudelis Herodes Deum. *Cœlii Sedulii.*

D

Decora lux. Ex hymnis *Paulini*, *Elpidis* & *Bedæ*.
Deus tuorum militum. *S. Ambrosii.*

E

Ecce jam noctis. *S. Gregorii.*
Egregie doctor. *Vide* Beate. Decora.
Ex more docti mystico. *S. Ambrosii.*

F

Fortem virili pectore. *Silvii Antoniani presbyteri.*

G

Gloria, laus & honos tibi sit rex Christe redemtor, cui &c. *Theodulphi episcopi Aurelianensis.* Sed memorantur ab Alcuino. Vide Menard. nota 234. ad Sacram ent.

H

Hominis superne conditor. *S. Ambrosii.*

I

Jam lucis orto sidere. *S. Ambrosii.*

Jam

Jam sol recedit. Partim ex *Breviario Mozarabum*.
Jam Christus astra ascenderat. *S. Ambrosii*.
Jesu redemtor omnium, Quem lucis. *Ejusdem*.
Jesu corona celsior. *Ejusdem*.
Immense Cœli conditor. *Ejusdem*.

L

Lux ecce surgit aurea. *Aurelii Prudentii Clementis*.
Lucis creator optime. *S. Ambrosii*.
Lustra sex qui jam peregit. *Fortunati episc. Pictaviensis*.

M

Magnæ Deus potentiæ. *S. Ambrosii*.
Maria castis oculis. Ex *S. Ambrosio*, & *Odone Abbate Cluniacensi*.
Miris modis repente. *Paulini*.

N

Nocte surgentes. *S. Gregorii*.
Nox & tenebræ & nubila. *Aurelii Prudentii*.
Nox atra rerum. *S. Ambrosii*.
Nunc sancte nobis spiritus. *Ejusdem*.

O

O sola magnarum urbium. *Aurelii Prudentii Clem.*
O nimis felix. *Pauli Diaconi*.
O gloriosa Virginum. *Fortunati episc. Pictaviensis*.

P

Primo die quo Trinitas. *S. Gregorii* vel *Ambrosii*.
Pange lingua gloriosi Lauream. *Fortunati episc. Pict.*
Pange lingua gloriosi Corporis. *S. Thomæ Aquinatis*.
Pater superni luminis. *Vide* Mar. castis.
Paschale mundo. (Vide Thomasium tom. 2. pag. 371.)

Q

Quem terra, pontus, sidera. *Fortunati*.
Quodcumque in orbe nexibus. *Paulini*.
Quicumque Christum quæritis. *Aur. Prudentii*.

R

Rector potens, verax Deus. *S. Ambrosii*.
Rerum Deus tenax. *Ejusdem*.
Rerum creator optime. *Ejusdem*.

S

Sacris solemniis. *S. Thomæ Aquinatis*.
Salvete flores martyrum. *Aur. Prudentii*.
Salutis humanæ sator. *S. Ambrosii*.
Summæ parens clementiæ. *Ejusdem*.
Summi parentis. *Vide* Maria.
Splendor paternæ gloriæ. *Ejusdem*.

T

Tu Trinitatis unitas. *S. Ambrosii*.
Telluris alme conditor. *Ejusdem*.
Tristes erant. *Vide* Paschale.
Te Deum laudamus. Vulgo *SS. Ambrosio & Augustino* tribuitur. Alii *S. Abundio* sive *Ambrusio*. In pluribus codicibus inscribitur tantum: *Hymnus SS. Patrum*. Videatur Merati.

V

Veni creator Spiritus. *S. Ambrosii*; alii, *Caroli imperatoris*.
Verbum supernum prodiens. *S. Thomæ*.
Vexilla regis prodeunt. *Fortunati episc. Pictaviensis*.
Ut queant laxis. *Pauli diaconi*. A prima ejus strophe sumtæ dicuntur hodiernæ notæ musicæ.

HYMNI

Qui in editione PP. Maurinorum S. GREGORIO tribuuntur . Tom. III. pag. 878. Nos eosdem hic damus ex hymnario Thomasiano, quod exstat Operum tomo secundo.

I. DIE DOMINICO AB ÆQUINOCTIO AUTUMNALI
pag. 406.

Primo dierum omnium,
Quo mundus exstat conditus;
Vel quo resurgens conditor,
Nos morte victa liberat.
Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocius:
Et nocte quæramus Pium,
Sicut prophetam novimus.
Nostras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat:
Et expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.
Ut quique sacratissimo
Hujus diei tempore,
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.
Jam nunc Paterna claritas,
Te postulamus affatim;
Absit libido sordidans,
Omnisque actus noxius.
Ne fœda sit vel lubrica
Compago nostri corporis:
Per quam Averni ignibus
Ipsi crememur acrius.
Ob hoc, Redemtor, quæsumus.
Ut probra nostra diluas;
Vitæ perennis commoda
Nobis benigne conferas.
Quo carnis actu exsules
Effecti ipsi cælibes,
Ut præstolamur cernui,
Melos canamus gloriæ.
Præsta Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu paraclito
Regnans per omne seculum. Amen.

Superior hymnus est S. Ambrosii ex Amalario in supplemento edito ab Jo: Mabillonio tom. 2. Veterum Analectorum pag. 138.

II. ITEM DIE DOMINICO POST ÆQUINOCTIUM VERNALE.
pag. 407.

Nocte surgentes vigilemus omnes;
Semper in psalmis meditemur, atque
Nisibus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.
Ut pio regi pariter canentes,
Cum suis Sanctis mereamur aulam
Ingredi cœli, simul & beatam
Ducere vitam.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

ITEM DIE DOMINICO POST ÆQUINOCTIUM VERNALE.
pag. 410.

Ecce jam noctis tenuatur umbra:
Lucis aurora rutilans coruscat:
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.
Ut Deus noster miseratus omnem
Pellat languorem, tribuat salutem,
Donet & nobis pietate Patris
Regna polorum.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris ac nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

Apud Maurinos inscribitur Ad Laudes.

III. DE OPERE SEX DIERUM CREATIONIS MUNDI. DIE DOMINICO.
pag. 422.

Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens,

Pri-

Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem.
Qui mane junctum veſperi
Diem vocari præcipis;
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.
Ne mens gravata crimine
Vitæ ſit exſul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seſeque culpis illigat.
Cœlorum pulſet intimum,
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne peſſimum.
Præſta Pater piiſſime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne ſeculum. Amen.

Apud Maurinos inſcribitur Ad Veſperas, *& perperam tribuitur S. Gregorio, cum ſit S. Ambroſii epiſcopi Mediolanenſis.*

IV. DOMINICA IN QUADRAGESIMA.

pag. 360.

Clarum decus jejunii
Monſtratur orbi cœlitus,
Quod Chriſtus auctor omnium
Cibis dicavit abſtinens.
Hoc Moyſes carus Deo
Legiſque lator factus eſt:
Hoc Eliam per aera
Curru levavit igneo.
Hinc Daniel myſteria
Victor leonum viderat:
Per hoc amicus intimus
Sponſi Johannes claruit.
Hoc nos ſequi dona Deus
Exemplar parſimoniæ.
Tu robur auge mentium,
Dans ſpiritale gaudium. Amen.

Apud Maurinos Ad nocturnum *huic hymno præponitur.*

V. IN QUADRAGESIMA QUOTIDIANIS DIEBUS.

M. *AMBROSIANUM.*

pag. 362.

Audi, benigne conditor,
Noſtras preces cum fletibus
In hoc ſacro jejunio
Fuſas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium:
Ad te reverſis exhibe
Remiſſionis gratiam.
Multum quidem peccavimus;
Sed parce confitentibus:
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis.
Sic corpus extra conteri
Dona per abſtinentiam,
Jejunet ut mens ſobria
A labe prorſus criminum.
Præſta beata Trinitas,
Concede ſimplex unitas,
Ut fructuoſa ſint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

Maurini ei præponunt Ad veſperas.

VI. DOMINICA IN RAMIS OLIVARUM

AMBROSIANUM.

pag. 365.

Magno ſalutis gaudio
Lætetur omne ſeculum:
Jeſus redemtor omnium
Sanavit orbem languidum.
Sex ante paſchæ ferias,
Advenit in Bethaniam,
Ubi pie poſt triduum
Reſuſcitavit Lazarum.
Nardi Maria piſtici
Sumſit libram mox optimi,
Unxit beatos Domini
Pedes rigando lacrymis.
Poſt hæc jugalis aſinæ
Jeſus ſupernus arbiter
Pullo ſedebat, inclitam
Pergebat Jeroſolymam.

O quam stupenda pietas!
Mira Dei clementia!
Sessor aselli fieri
Dignatur auctor seculi.
Olim propheta præscius
Prædixit almo spiritu:
Exsulta, dicens, filia
Sion satis & jubila.
Rex ecce tuus humilis,
Noli timere, veniet
Pullo jugalis residens,
Tibi benignus, patiens.

Divisio

Ramos virentes sumserat,
Palma recisos tenera;
Turba processit obviam
Regi perenni plurima.
Cœtus sequens & prævius,
Sanctorumque plenus spiritu,
Clamabat: In altissimis
Hosanna David filio.
Quidam solutis propriis
Viam tegebant vestibus:
Pluresque flore candido
Iter parabant Domino.
Ad cujus omnis Civitas
Commota ingressum tremuit:
Hebræa proles aurea
Laudes ferebat debitas.
Nos ergo tanto judici
Curramus omnes obviam;
Palmas gerentes gloriæ
Mente canemus sobria.
Honor, decus, imperium
Sit Trinitati Unicæ:
Patri, Nato, Paraclito
Per infinita secula. Amen.

Apud Maurinos quintæ strophæ subjicitur statim sexta Ramos virentes *& septima* Honor, virtus &c.

VII. DOMINICA V. IN QUADRAGESIMA DE PASSIONE DOMINI.
pag. 362.

Rex Christe factor omnium,
Redemtor & credentium,
Placare votis supplicum
Te laudibus colentium.
Cujus benigna gratia
Crucis per alma vulnera;
Virtute solvit ardua
Primi parentis vincula.
Qui es creator siderum,
Tegmen subisti carneum,
Dignatus hanc vilissimam
Pati doloris formulam.
Ligatus es ut solveres
Mundi ruentis complices
Per probra tergens crimina
Quæ Mundus auxit plurima.
Cruci Redemtor figeris,
Terram sed omnem concutis,
Tradis potentem spiritum,
Nigrescit atque seculum.
Mox in paternæ gloriæ
Victor resplendens culmine,
Cum Spiritus munimine
Defende nos, rex optime. Amen.

Hymni feriarum. Aliorum qui hic desunt hymnorum auctores ignoramus. Hymni feriarum sic ordinati sunt, ut in singulis singula creationis opera suo quoq; e die commemorentur. Quod si Thomasii hymnarium adiveritis, & hodiernos hymnos cum priscis exemplaribus suis conferatis; vix sæpe internosci poterunt ob correctionem adhibitam, vel quia ab aliis atque aliis decerptæ strophæ, in novam continentem seriem ordinatæ sunt.

XVI. Mos erat primorum nostri generis parentum, canticis ad memoriam juvandam institutis; historias temporum & dogmata religionis filiis suis tradere. Consuetudinis hujus testes sunt omnium seculorum omniumque regionum scriptores. Hinc poetæ orti, quibus historias veteres fabularum ac theo go- Historiæ canticis traditæ. Psalmorum indoles.

goniæ larvis infuscatas debemus. Psalmi etiam sunt plurimi in quibus res veteres & fidei divinæ mysteria recensentur: ita ut sint illi totius ferme sacræ scripturæ harmonica quædam ac suavissima synopsis. Quare apud fideles utriusque Testamenti, ut scite ait Victorinus Afer: *Psalmi erant clavis omnium mysteriorum reputati*. Quamobrem factum est etiam, ut illi partem potissimam ac fere utramque paginam divini Officii apud priscos constituerent, hodieque constituant. Antequam ritus celebrandi Officii in unum corpus coalesceret, plures adhibebantur libri, quorum alii lectiones, hymnos alii, alii antiphonas & responsoria continebant, alii vero Psalmos. Prosphoneticum psalmum sive Invitatorium præmittebant fere semper divino Officio, antiphonantes, id est antiphonam intercalantes ut hodieque facere consuevimus. Ex volumine psalmorum eos depromebant, quibus secundum rubricas in quoque Officio utendum erat. Venerabilis Thomasius *tom. IV. pag. 53. not. A.* observat psalmos Primæ in Dominicis nunquam fuisse omissos, præterquam diebus Paschæ & Pentecostes. Sed ad plenam adolescentium eruditionem, visum est huc transferre notitiam distributionis Psalmorum ex antiquis monumentis excerptam, quam idem auctor exhibet suorum operum *tom. 2. p. LXII.*

Pars potissima Officii Cur vero?

Psalmus invitatorius.

XVII. NOTITIA DISTRIBUTIONIS PSALMORUM ET CANTICORUM AD OPUS DEI,

in Canonico horarum noctis & diei Cursu, juxta antiquiorem psallendi morem Ecclesiæ Romanæ, ex antiquis monumentis excerpta.

De diebus Dominicis & Quotidianis. Die Dominico.

AD Vigilias in primo galli cantu · Psalmus Invitatorius XCIV. Venite exsultemus. qui quotidie præmittitur ad Vigilias. nisi aliter propriis locis adnotetur · In I. Nocturno Psalmi duodecim · I. Beatus vir. qui non abiit · II. Quare fremuerunt · III. Domine quid multiplicati · VI. Domine ne in ira. primus. VII. Domine Deus meus. VIII. Domine Dominus noster · IX. Confitebor tibi Domine · X. In Domino confido · XI. Salvum me fac Domine · XII. Usquequo Domine · XIII. Dixit insipiens · XIV. Domine quis habitabit. * In secundo Nocturno Psalmi tres · XV. Conserva me Domine · XVI. Exaudi Domine justitiam meam · XVII. Diligam te Domine · * In III. Nocturno Psalmi tres · XVIII. Cœli enarrant · XIX. Exaudiat te Dominus · XX. Domine in virtute tua ·

Ad Matutinos diluculo. XCII. Dominus regnavit. decorem induit · XCIX. Jubilate Deo · LXII. Deus Deus meus ad te. una cum Psalmo LXVI. Deus misereatur nobis. sub una Gloria · Benedictiones. sive Canticum trium puerorum. Benedicite omnia opera Domini Dominum. Laudes. sive Psalmi tres · CXLVIII. Laudate Dominum de cœlis. CXLIX. Cantate Domino. & CL. Laudate Dominum in Sanctis ejus. sub una Gloria · Canticum Evangelicum Zachariæ. Benedictus Dominus Deus Israel ·

Ad Horam diei Primam · XXI. Deus

Deus meus. respice in me · xxii. Dominus regit me · xxiii. Domini est terra. xxiv. Ad te Domine levavi · xxv. Judica me Domine. quoniam · liii. Deus in nomine tuo. cxvii. Confitemini Domino. Ex Psalmo cxviii. duo capitula. i. Beati immaculati in via. & ii. In quo corrigit. sub una Gloria. Item duo capitula. iii. Retribue. & iv. Adhæsit. sub una Gloria · Postremo fides catholica S. Athanasii Episcopi. Quicumque vult salvus esse.

Ad Horam diei Tertiam · Ex Psalmo cxviii. duo capitula. v. Legem pone. & vi. Et veniat. sub una Gloria. Item duo capitula. vii. Memento verbi tui. & viii. Portio mea. sub una Gloria · Item duo capitula. ix. Bonitatem fecisti · & x. Manus tuæ. sub una Gloria.

Ad Horam diei Sextam · Ex Psalmo cxviii. duo capitula. xi. Defecit in Salutari. & xii. In æternum Domine. sub una Gloria · Item duo capitula. xiii. Quomodo dilexi · & xiv. Lucerna pedibus. sub una Gloria · Item duo capitula. xv. Iniquos odio habui. & xvi. Feci judicium. sub una Gloria.

Ad Horam diei Nonam · Ex Psalmo cxviii. duo capitula. xvii. Mirabilia testimonia. & xviii. Justus es Domine. sub una Gloria · Item duo capitula. xix. Clamavi in toto corde. & xx. Vide humilitatem. sub una Gloria · Item duo capitula. xxi. Principes persecuti sunt. & xxii. Appropiet oratio mea. sub una Gloria ·

Ad Tertiam. Sextam. & Nonam Horam. sive festis. sive quotidianis diebus. ita semper psallitur. ut in die Dominico ·

Ad Vesperos recedente sole. ac die cessante · cix. Dixit Dominus · cx. Confitebor tibi Domine. cxi. Beatus vir qui timet. cxii. Laudate pueri · cxiii. In exitu Israel ex Ægypto. Canticum Evangelicum S. Mariæ. Magnificat ·

Ad Completorium in fine diei & initio noctis · iv. Cum invocarem te · xxx. In te Domine speravi. usque. Redemisti me Domine Deus veritatis. inclusive · xc. Qui habitat · cxxxiii. Ecce nunc · Canticum Evangelicum Simeonis. Nunc dimittis · * Ita semper psallitur ad Completorium. sive festis. sive quotidianis diebus ·

Feria secunda.

Ad Vigilias in primo Galli cantu · In Nocturno Psalmi duodecim · xxvi. Dominus illuminatio mea · xxvii. Ad te Domine clamavi. xxviii. Afferte Domino · xxix. Exaltabo te Domine · xxx. In te Domine speravi · xxxi. Beati quorum remissæ sunt · xxxii. Gaudete justi · xxxiii. Benedicam Dominum. xxxiv. Judica Domine nocentes. xxxv. Dixit injustus. xxxvi. Noli æmulari. xxxvii. Domine ne in ira secundus ·

Ad Matutinos diluculo. i. Miserere mei Deus · v. Verba mea · lxii. Deus Deus meus. cum lxvi. Deus misereatur. sub una Gloria · Canticum Esaiæ Prophetæ. Confitebor tibi · Laudes. sive Psal. cxlviii. Laudate. cxlix. Cantate. & cl. Laudate. sub una Gloria. Canticum Evangelicum Zachariæ. Benedictus ·

Quotidianis sive privatis diebus (excepta Quinquagesima Paschæ. idest. tempore a Pascha ad Pentecosten) ad Matutinos. Primam. Tertiam. Sextam. Nonam. Vesperos. & Completorium. in Precibus dicitur Psalmus l. Miserere mei Deus ·

Ad Horam diei Primam. lii. Deus in nomine tuo · Ex Psalmo cxviii. duo capitula. i. Beati immaculati. & ii. In quo corrigit. sub una Gloria · Item alia duo. iii. Retribue. & iv. Adhæsit. sub una Gloria · * Ita semper psallitur ad Horam Primam quotidianis festis-

ſtiſque diebus per hebdomadam. niſi aliter ſuis locis adnotetur.

Ad Veſperos recedente ſole. ac die ceſſante. cxiv. Dilexi· cxv. Credi. cxvi. Laudate Dominum omnes Gentes· cxix. Ad Dominum cum tribularer· cxx. Levavi oculos meos. Cant. Evangel. S. Mariæ. Magnificat.

Feria Tertia.

Ad Vigilias in primo galli cantu. In Nocturno Pſalmi duodecim· xxxviii. Dixi cuſtodiam · xxxix. Exſpectans exſpectavi · xl. Beatus qui intelligit· xli. Sicut cervus· xliii. Deus auribus noſtris. xliv. Eructavit cor meum· xlv. Deus noſter refugium. xlvi. Omnes gentes plaudite· xlvii. Magnus Dominus. xlviii. Audite hæc omnes gentes. xlix. Deus deorum. Dominus. li. Quid gloriaris.

Ad Matutinos diluculo · l. Miſerere. xlii. Judica me Deus. & diſcerne· lxii. Deus Deus meus. cum lxvi. Deus miſereatur. ſub una Gloria· Canticum Ezechiæ Regis Juda. Ego dixi. in dimidio. Laudes. ideſt. Pſal. cxlviii. Laudate. cxlix. Cantate. & cl. Laudate. ſub una Gloria· Cant. Evang. Zachariæ. Benedictus·

Ad Veſperos recedente ſole. ac die ceſſante. cxxi. Lætatus ſum· cxxii. Ad te levavi. cxxiii. Niſi quod Dominus erat in nobis· cxxiv. Qui confidunt. cxxv. In convertendo Dominus. Cant. Evangel. S. Mariæ. Magnificat.

Feria Quarta.

Ad Vigilias in primo galli cantu· In Nocturno Pſalmi duodecim. lii. Dixit inſipiens · liv. Exaudi Deus orationem. lv. Miſerere mihi Domine· lvi. Miſerere mei Deus. miſerere. lvii. Si vere utique. lviii. Eripe me Domine. lix. Deus repuliſti · lx. Exaudi Deus deprecationem · lxi. Nonne Deo ſubdita. lxiii. Exaudi Deus orationem· lxv. Jubilate Deo· lxvii. Exſurgat Deus.

Ad Matutinos diluculo. l. Miſerere· lxiv. Te decet hymnus. lxii. Deus Deus meus. cum lxvi. Deus miſereatur. ſub una Gloria. Canticum Annæ. Exſultavit cor meum· Laudes. ideſt. Pſalmi cxlviii. Laudate. cxlix. Cantate. cl. Laudate. ſub una Gloria. Canticum Evangel. Zachariæ. Benedictus.

Ad Veſperos recedente ſole. ac die ceſſante. cxxvi. Niſi Dominus ædificaverit. cxxvii. Beati omnes. cxxviii. Sæpe expugnaverunt. cxxix. De profundis. cxxx. Domine non eſt exaltatum. Cant. Evangel. S. Mariæ. Magnificat·

Feria Quinta.

Ad vigilias in primo galli cantu· In Nocturno Pſalmi duodecim· lxviii. Salvum me fac Deus· lxix. Domine Deus in adjutorium. lxx. Deus in te ſperavi Domine · lxxi. Deus judicium tuum · lxxii. Quam bonus Deus Iſrael· lxxiii. Ut quid repuliſti nos· lxxiv. Confitebimur tibi· lxxv. Notus in Judæa Deus. lxxvi. Voce mea ad Dominum · lxxvii. Attendite popule meus. lxxviii. Deus venerunt gentes. lxxix· Qui regis Iſrael.

Ad Matutinos diluculo. l. Miſerere · lxxxix. Domine refugium. lxii. Deus Deus meus. cum lxvi. Deus miſereatur nobis. ſub una Gloria· Canticum Exodi. Cantemus Domino. glorioſe· Laudes. ideſt. Pſal. cxlviii. Laudate. cxlix. Cantate. & cl. Laudate. ſub una Gloria· Cantic. Evang. Zachariæ. Benedictus·

Ad veſperos recedente ſole. ac die ceſſante · cxxxi. Memento Domine· cxxxii. Ecce quam bonum· cxxxiv. Laudate nomen Domini· cxxxv. Confitemini Domino· cxxxvi.

Su-

Super flumina · Cantic. Evang. S. Mariæ. Magnificat·

Feria Sexta.

Ad Vigilias in primo galli cantu· In Nocturno Psalmi duodecim· lxxx. Exsultate Deo · lxxxi. Deus stetit in synagoga · lxxxii. Deus quis similis · lxxxiii. Quam amabilia · lxxxiv. Benedixisti Domine · lxxxv. Inclina Domine · lxxxvi. Fundamenta ejus · lxxxvii. Domine Deus · lxxxviii. Misericordias tuas· xciii. Deus ultionum · xcv. Cantate Domino. i. xcvi. Dominus regnavit. i.

Ad Matutinos diluculo · l. Miserere mei Deus · cxlii. Domine exaudi orationem meam· lxii. Deus Deus meus. cum lxvi. Deus misereatur nobis · sub una Gloria · Canticum Habacuc. Domine audivi auditum tuum · Laudes. idest. Psalmi cxlviii. Laudate. cxlix. Cantate. & cl. Laudate. sub una Gloria · Cantic. Evang. Zachariæ. Benedictus·

Ad Vesperos recedente sole. ac die cessante · cxxxvii. Confitebor tibi Domine· cxxxviii. Domine probasti· cxxxix. Eripe me Domine. cxl. Domine clamavi · cxli. Voce mea ad Dominum · Cant. Evang. S. Mariæ· Magnificat·

Sabbato·

Ad Vigilias in primo galli cantu· In Nocturno Psalm. duodecim. xcvii. Cantate Domino. iI. xcviii. Dominus regnavit. iI. xcix. Jubilate· c. Misericordiam & judicium· ci. Domine exaudi orationem· cii. Benedic anima mea. I. ciii. Benedic anima mea. iI. civ. Confitemini Domino. i. cv. Confitemini Domino. iI. cvi. Confitemini Domino. iiI. cvii. Paratum cor meum· cviii. Deus laudem meam·

Ad Matutinos diluculo· l. Miserere mei · xci. Bonum est · lxii. Deus Deus meus. cum lxvi. Deus misereatur nobis. sub una Gloria· Cant. Deuteronomii. Attende cœlum · Laudes. idest. Psalmi cxlviii. Laudate. cxlix. Cantate. & cl. Laudate. sub una Gloria · Cant. Evang. Zachariæ. Benedictus.

Ad Vesperos recedente sole. ac die cessante· cxliii. Benedictus Dominus · cxliv. Exaltabo te · cxlv. Lauda anima mea · cxlvi. Laudate Dominum. quoniam· cxlvii. Lauda Jerusalem · Cant. Evang. S. Mariæ. Magnificat·

DE FESTIVITATIBUS PER ANNI CIRCULUM

Ad Vigilias in primo gallicantu. in diebus Dominicis. Festisque Majoribus. Domini scilicet. Dedicationis propriæ Ecclesiæ. S. Mariæ. Apostolorum &c. dicuntur tres Nocturni. & leguntur ix. Lectiones. nisi aliter propriis locis adnotetur · In diebus vero Quotidianis. cæterisque Festis minoribus. & per Octavas majores semper dicitur unum Nocturnum duodecim Psalmorum Feriæ currentis. & ab Æquinoctio Autumnali. idest. vigesima quarta die mensis Septembris usque ad sanctum Pascha. leguntur quatuor Lectiones cum quatuor Responsoriis. a Pascha vero ad idem Æquinoctium tres tantummodo Lectiones leguntur cum tribus Responsoriis·

Ad Matutinos diluculo. in Festis Majoribus dicuntur Psalmi & Cantica ut in die Dominico per annum. nisi aliter notetur· In Festis autem minoribus. Psalmi & Cantica Feriæ currentis. nisi habuerint proprias Antiphonas. quo tantum casu dicuntur Psalmi & Cantica ut in die Dominico. & nisi aliter notetur·

Ad Primam in Festis majoribus occurrentibus in die Dominico. dicuntur Psalmi liii. Deus in nomine tuo· cxvii. Confitemini Domino·

no· cxviii. Beati immaculati &c. ut in ipso die Dominico · In Festis autem per hebdomadam occurrentibus. dicuntur Psalmi. liii. Deus in nomine tuo. & cxviii. Beati immaculati &c. de more.

Ad Vesperos recedente sole. ac die cessante. in Festis sive Majoribus sive minoribus semper dicuntur Psalmi Feriæ currentis. nisi aliter certis quibusdam diebus adnotetur.

De duplici Officio Vigiliarum in noctibus præcipuarum Festivitatum juxta veterem ritum Ecclesiæ Romanæ.

Ad primam Vigiliam in exordio. sive crepusculo noctis. non dicitur ℣. Domine labia mea aperies. nec Psalm. Invitatorius. Venite exsultemus. sed absolute incipitur ab Antiphona primi Nocturni. & dicuntur tres Nocturni cum ix. Lectionibus. Responsoriis. Versiculis &c· Quibus expletis dicitur hymnus. Te Deum laudamus. vel brevis hymnus. Te decet laus· mox dicitur a Sacerdote Oratio. & a Diacono pronunciatur. Benedicamus Domino · Ad Secundam vero Vigiliam media nocte. sive circa pullorum cantum. dicitur ℣. Domine labia mea &c. ac Psalm. Invitat. Venite. deinde tres de more Nocturni. cum ix. Lectionibus. & diluculo Matutini · Vel juxta posteriorum temporum ritum. ad hanc Secundam Vigiliam. dicto ℣. Domine labia &c. ac Psalmo Invitatorio. dicuntur xii. Psalmi quotidiani. idest. Feriæ currentis. cum Lectionibus. & Responsoriis ad ipsum Festum pertinentibus. leguntur autem aut tres. aut quinque. aut septem. aut si voluerint. novem Lectiones·

In Natali Domini·

Ad Vigiliam in initio. sive crepusculo noctis · Non dicitur Psalmus Invitatorius. sed absolute incipitur ab Antiphona primi Nocturni· In I. Nocturno. Psalm. ii. Quare fremuerunt · xviii. Cœli enarrant· xxiii. Domini est terra· In iI. Nocturno. xliv. Eructavit cor meum · lxxxvi. Fundamenta ejus · xcv. Cantate. I. In iiI. Nocturno· xcvi. Dominus regnavit. exsultet · xcvii. Cantate. iI. xcviii. Dominus regnavit. irascantur·

Eadem Nocte sancta · Ad Vigilias in primo galli cantu · Psalmus Invitatorius. xciv. Venite exsultemus. In I. Nocturno. iI. Quare fremuerunt · xviii. Cœli enarrant. xliv. Eructavit · In iI. Nocturno. xlvii. Magnus Dominus · lxxi. Deus judicium tuum · lxxxiv. Benedixisti Domine· In iiI. Nocturno. lxxxviii. Misericordias tuas · xcv. Cantate. I. xcvii. Cantate. iI.

Ad Vesperos in die sancto Natalis Domini. cix. Dixit Dominus· cx. Confitebor · cxi. Beatus vir qui timet · cxxix. De profundis · cxxxi. Memento Domine · Canticum Evang. S. Mariæ. Magnificat·

In Natali SS. Innocentium · Req. in Natali Mart.
In Octavas Natalis Domini ·

Ad Vigilias in primo galli cantu · Psalmus Invitatorius. xciv. Venite exsultemus · Ad Nocturnos. ut in Vigil. Natalis Domini in initio noctis·

In Epiphania Domini·

Ad Vigilias in primo galli cantu · Non dicitur Psalmus Invitatorius. sed absolute incipitur ab Antiphona primi Nocturni · In i. Nocturno. xxviii. Afferte Domino · xlvi. Omnes gentes · lxv. Jubilate Deo · In iI. Nocturno. lxxi. Deus judicium tuum · lxxxv. Inclina Domine · xciv. Venite exsultemus Domino · In iiI. Nocturno. xlv. Deus no-

noster refugium · xcv. Cantate · I. xcvi. Dominus regnavit . exsultet ·

Ad Vesperos in die sancto · Psalmi feriæ currentis ·

Diebus Dominicis a Septuagesima ad sanctum Pascha.

Ad Matutinos . l. Miserere. cxvii. Confitemini · lxii. Deus Deus meus. cum lxvi. Deus misereatur . sub una Gloria · Benedictiones. sive Canticum trium Puerorum. Benedicite · Laudes. sive tres Psalmi. cxlviii. Laudate . cxlix. Cantate . & cl. Laudate . sub una Gloria · Cantic. Evangelicum Zachariæ. Benedictus ·

Ad Horam diei Primam . ut in cæteris diebus Dominicis . sed loco Psalmi cxvii. Confitemini. dicitur Psalmus xcii. Dominus regnavit . decorem induit ·

Diebus Quotidianis post Dominicam in Capite Quadragesimæ usque ad Dominicam V.

Ad Horam Primam . in primis dicitur Psalmus xc. Qui habitat · post Dominicam vero V. usque ad Pascha . Psalmus xxi. Deus Deus meus respice in me. mox Psalmus cxviii. Beati immaculati . usque . Legem pone. de more.

Item diebus Quotidianis Quadragesimæ . dicta Prima legitur Psalterium hoc modo · Recepta cum prostratione venia incipit Sacerdos. Deus in adjutorium &c. Gloria . Laus tibi Domine Rex &c. Deinde quotidie leguntur x. Psalmi de Psalterio. bini & bini sub una Gloria · Post ultimum. Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. & ℣. Intret . deinde Litania tota. qua dicta. omnibus prostratis. dicuntur Preces majores cum septem Psalmis & Orationibus &c. Et ad. Per Dominum. surgant omnes.

Feria V. in Cœna Domini.

Ad Vigilias media nocte. Non dicitur Psal. Invitat. sed absolute incipitur ab Antiph. I. Noct. In I. Nocturno. lxviii. Salvum me fac Deus. lxix. Domine Deus in adjutorium · lxx. Deus in te speravi · In II. Nocturno . lxxi. Deus judicium tuum · lxxii. Quam bonus Deus · lxxiii. Ut quid repulisti · In III. Nocturno. lxxiv. Confitebimur tibi. lxxv. Notus in Judæa . lxxvi. Voce mea ·

Ad Matutin. ut in Feria V. *Quotidianis diebus* ·

Ad Vesperos · cxv. Credidi. cxix. Ad Dominum cum tribularer . cxxxix. Eripe me Domine · cxli. Voce mea · cxliii. Benedictus Dominus Deus meus. Cant. Evang. S. Mariæ. Magnificat ·

Feria VI. *Parasceve in Passione Domini.*

Ad Vigilias media nocte · Non dicitur Psalmus Invitatorius . sed absolute incipitur ab Antiphona primi Nocturni · In I. Nocturno. II. Quare fremuerunt · xxi. Deus Deus meus respice · xxvi. Dominus illuminatio · In II. Nocturno. xxxvii. Domine ne in ira . II. xxxix. Exspectans exspectavi · lii. Deus in nomine tuo · In III. Noctrno . lviii. Eripe me de inimicis meis · lxxxvii. Domine Deue salutis meæ · xciii. Deus ultionum ·

Ad Matutinos, ut in Feria VI. Quotidianis diebus · Hodie in aurora Dominus Papa cum suis Capellanis voce mediocri cantat totum Psalterium cum Litaniis &c ·

Ad Vesperos, ut in Cœna Domini.

Sabbato Sancto ·

Ad Vigilias media nocte . Non dicitur Psalmus Invitatorius. sed absolute incipitur ab Antiphona primi Nocturni · In I. Nocturno . iv. Cum Invocarem te · xiv. Domine quis habitabit. xv. Conserva me Domine · In II. Noct. xxiii. Domini est terra. xxvi. Dominus illuminatio mea. xxix. Exaltabo te. In III. Noct. liii. Deus in nomine tuo · lxxv. Notus in Judæa · lxxxvii. Domine Deus salutis meæ ·

Ad

Ad Matutinum. ut in Feria III. Quotidianis diebus·

Hodie de Veſpertinali ſynaxi apud Romanos nihil agitur·

Veſpere autem Sabbati. ad exordium noctis. quæ luceſcit in primam Sabbati. ad Vigilias Paſchæ· primo dicitur Letania Septena. cujus nimirum Sanctorum nomina & rogationes ſepties repetuntur. mox benedicitur Cereus Paſchalis. deinde ſequuntur XII. Lectiones. totidemque Orationes· inter Lectiones vero dicuntur tria Cantica. videlicet Exodi (Cantemus Domino. Eſaiæ (Vinea facta eſt. & Deuterononomii (Attende cœlum· Poſt Lectiones autem Pſalmus XLI. Sicut cervus. poſtea dicitur Litania Quina. quæ ſcilicet quinquies repetitur· inde benedicitur Fons Baptiſterii. baptizantur Catechumeni Competentes. baptizatique mox conſignantur ab Epiſcopo. deinde dicitur Litania Trina. quæ ter repetitur. tandemque celebratur Miſſa de eadem Nocte ſancta·

Eadem Nocte ſancta ad Vigiliam poſt gallorum cantum. matutina luce rumpente tenebras· Pſalmus Invitatorius XCIV. Venite exſultemus· In Nocturno Pſalmi tres· I. Beatus vir qui non abiit· II. Quare fremuerunt. III. Domine quid multiplicati·

Ad Matutinos· ut in diebus Dominicis·

Ad Horam diei Primam. Pſalm. LIII. Deus in nomine tuo· CXVII. Confitemini Domino· CXVIII. Beati immaculati &c. de more· Ita pſallitur ad horam diei Primam. in Albis Paſchalibus hujus Hebdomadæ·

Ad Veſperos in die ſancto Paſchæ· CIX. Dixit Dominus· CX. Confitebor. CXI. Beatus vir. Cantic. Evang. S. Mariæ. Magnificat·

Ad Fontes· CXII. Laudate pueri. Cantic. Evang. S. Mariæ. Magnificat.

Ad S. Andream· (alias ad Crucem.) CXIII. In exitu Iſrael· Cant. Evangel. S. Mariæ. Magnificat·

Feria II. in Albis·

Ad Vigiliam· In Nocturno Pſalmi tres· IV. Cum invocarem te· V. Verba mea· VI. Domine ne in ira. I. Ad Matutinos. Horam Primam. & Veſperos. ut in die ſancto Paſchæ·

Feria III. in Albis·

Ad Vigiliam· In Nocturno Pſalmi tres· VII. Domine Deus meus in te ſperavi· VIII. Domine Dominus noſter· XI. In Domino confido·

Ad Matutinos. Horam Primam. & Veſperos. ut in die Sancto Paſchæ·

Feria IV. in Albis.

Ad Vigiliam· In Nocturno Pſalm. tres· IX. Salvum me fac Domine. XII. Uſquequo Domine· XIII. Dixit inſipiens·

Ad Matutinos· Horam Primam. & Veſperos. ut in die ſancto Paſchæ·

Feria V. in Albis·

Ad Vigiliam· In Nocturno Pſal. tres XIV. Domine quis habitabit. XV. Conſerva me· XVI. Exaudi Domine juſtitiam meam·

Ad Matutinos. Horam Primam. & Veſperos. ut in die ſancto Paſchæ.

Feria VI. in Albis·

Ad Vigiliam· In Nocturno Pſal. tres. XVIII. Cœli enarrant· XIX. Exaudiat te· XX. Domine in virtute tua·

Ad Matutinos. Horam Primam. & Veſperos. ut in die ſancto Paſchæ·

Sabbato in Albis·

Ad Vigiliam· In Nocturno Pſal. tres· XXII. Dominus regit me· XXXIII. Domini eſt terra. XXV. Judica me Domine· Aliter XXIII. Domini eſt terra· XXIV. Ad te Domine levavi· XXV. Judica me Domine·

Ad Matutinos & Horam Primam. ut in die sancto Paschæ·

Ad Vesperos· ut in Sabbato Quotidianis diebus·

Die Dominico post Albas. in Octavas Paschæ. ut in cæteris diebus Dominicis·

In Quinquagesima Paschæ. Quotidianis diebus ad Matutinos. ut in diebus Dominicis. cætera de propriis feriis ut in Quotidianis·

In Ascensione Domini·

Ad Vigilias· Psalmus Invitatorius· XCIV. Venite exsultemus· In primo Nocturno· VIII. Domine Dominus noster· X. In Domino confido· XVIII. Cœli enarrant· In II. Nocturno XX. Domine in virtute· XXIX. Exaltabo te· XLVI. Omnes Gentes· In III. Nocturno XCVI. Dominus regnavit. exsultet· XCVIII. Dominus regnavit. irascantur· CIII. Benedic anima· I.

Ad Matut. & Vesper. ut in diebus Dominicis· In Vigiliis Pentecostes·

Omnia fiunt ut in Vigiliis Paschæ. nisi quod Cereus non benedicitur. & sex tantum Lectiones. totidemque Orationes dicuntur cum tribus Canticis & Psalmo XLI. &c.

Eadem nocte sancta juxta antiquiorem ritum. ad Vigilias ut in cæteris Dominicis. at juxta posteriorem duæ Vigiliæ fiunt. ut sequitur·

Ad Vigiliam priorem· Omisso Psalmo Invitatorio absolute incipitur ab Antiphona Nocturni· in quo Psalmi tres· XLVII. Magnus Dominus· LXVII. Exsurgat Deus· CI. Benedic anima mea. II.

Ad Vigiliam Secundam hora consueta· Psal. Invitatorius XCIV. Venite exsultemus. In Noctur. Psalm. tres. I. Beatus vir· II. Quare fremuerunt· III. Domine quid multiplicati· Ad Matutinos & Vesp. ut in cæteris diebus Dominicis.

Die Dominico in Octavas Pentecostes. ut in cæteris diebus Dominicis·

In Festo Sacramenti Corporis & Sanguinis Jesu Christi·

Ad Vigilias· In primo Nocturno· I. Beatus vir qui non abiit· IV. Cum invocarem te· XV. Conserva me Domine· In II. Nocturno· XIX. Exaudiat te Dominus· XXII. Dominus regit me· XLI. Sicut cervus desiderat· In III. Noctur. XLII. Judica me Deus· LXXX. Exsultate Deo adjutori nostro· LXXXIII. Quam amabilia.

Ad Vesperos in die Festivitatis· CIX. Dixit Dominus. CX. Confitebor tibi Domine. CXV. Credidi· CXXVII. Beati omnes qui timent· XXLVII. Lauda Jerusalem· Cantic. Evangel. Beatæ Mariæ. Magnificat·

In Dedicatione Ecclesiæ.

Ad Vigilias in primo galli cantu· In I. Nocturno· V. Verba mea· VIII. Domine Dominus noster· X. In Domino confido. In II. Nocturno· XIV. Domine quis habitabit· XVIII. Cœli enarrant· XXIII. Domini est terra· In III. Nocturno. XLVII. Magnus Dominus. LXXXIII. Quam amabilia· LXXXVI. Fundamenta.

DE NATALITIIS SANCTORUM

IN Cathedra S. Petri. qua primum Romæ sedit. ut in Natali Confessorum.

In Hypapanti. seu in Purificatione S. Mariæ·

Ad Vigilias in primo galli cantu· In I. Nocturno· VIII. Domine Dominus noster· XVIII. Cœli enarrant· XLIV. Eructavit· In II. Nocturno XLVII. Magnus Dominus· LXXI. Deus judicium tuum· LXXXIV. Benedixisti· In III. Nocturno. LXXXVIII. Misericordias tuas· XCV. Cantate. I. XCVII. Cantate. II.

In

In Cathedra S. Petri· Req. in Nat. Confess.

In Adnunciatione S. Mariæ Matris. Domini Nostri Jesu Christi·

Ad Vigilias in primo galli cantu· In I. Nocturno· VIII. Domine Dominus noster· XVIII. Cœli enarrant. XXIII. Domini est terra. In II. Nocturno. XLIV. Eructavit. XLV. Deus refugium nostrum· LXXXVI. Fundamenta· In III. Nocturno· XCV. Cantate· I. XCVI. Dominus regnavit. exsultet XCVII. Cantate. II.

In Inventione S. Crucis· Req. in ejusdem Exaltatione. infra·

In Natali S. Johannis Baptistæ· Req. in Natali Martyrum·

In Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Ad Vigiliam in initio. sive crepusculo noctis· Non dicitur Psalmus Invitatorius. sed absolute incipitur ab Antiphona primi Nocturni· In I. Nocturno. XVIII. Cœli enarrant. XXXIII. Benedicam Dominum· XLIV. Eructavit· In II. Nocturno. XLVI. Omnes gentes. LX. Exaudi Deus deprecationem. LXIII. Exaudi Deus orationem· In III. Nocturno. LXXIV. Confitebimur· XCVI. Dominus regnavit. exsultet. XCVIII. Dominus regnavit. irascantur.

Eadem nocte ad Vigilias ad primum galli cantum· Psalmus Invitatorius XCIV. Venite exsultemus. In I. Nocturno. I. Beatus vir· II. Quare fremuerunt· III. Domine quid multiplicati· In II. Noct. IV. Cum invocarem te· VIII. Domine Dominus noster· X. In Domino confido· In III. Noct. XIV. Domine quis habitabit. XV. Conserva me. XIX. Exaudiat te·

Ad Vesperos in die Festivitatis CIX. Dixit Dominus. CXII. Laudate pueri· CXV. Credidi. CXXV. In convertendo Dominus. CXXXVIII. Domine probasti me. Canticum Evangel. S. Mariæ. Magnificat·

In Natali S. Pauli Apostoli.

Ad Vigilias. In I. Nocturno. Psal. I. Beatus vir· & reliqui ut in præcedente nocte ad Secundam Vigiliam·

In Natali S. Mariæ Magdalenæ. si celebretur ritu Festi Majoris. ut in Annunciatione S. Mariæ.

In Dedicatione Ecclesiæ S. Petri ad Vincula· si celebretur ritu Festi majoris. ad Vigilias. ut in Secunda Vigilia Natalis SS. Petri & Pauli.

In Transfiguratione Domini.

Ad Vigilias· In I. Nocturno· VIII. Domine Dominus noster· VXVIII. Afferte Domino· XLIV. Eructavit· In II. Nocturno· LXXV. Notus in Judæa Deus· LXXXIII. Quam amabilia· LXXXVI. Fundamenta ejus· In III. Nocturno· LXXXVIII. Misericordias tuas Domine· XCVI. Dominus regnavit. exsultet terra· CIII. Benedic anima mea Dominum. II.

In Assumtione Sanctæ Mariæ Require in ejusdem Annunciatione·

In Passione S. Johannis Baptistæ si celebretur ritu Festi Majoris: Req. in Natali Mart.

In Nativitate S. Mariæ· Req. in ejusdem Annunciatione.

In Exaltatione S. Crucis.

Ad Vigilias· In I. Nocturno. I. Beatus vir. qui non abiit· II. Quare fremuerunt· III. Domine quid multiplicati sunt· In II. Nocturno· IV. Cum invocarem te· X. In Domino confido. XX. Domine in virtute tua· In III. Nocturno. XCV. Cantate Domino. I. XCVI. Dominus regnavit. exsultet· XCVII. Cantate Domino. II.

In Dedicatione Basilicæ S. Michaelis Archangeli.

Ad Vigilias in primo galli cantu· In I. Nocturno. V. Verba

mea·

mea · VIII. Domine Dominus noster · X. In Domino confido · In II. Nocturno · XIV. Domine qui habitabit · XVIII. Cœli enarrant. XXIII. Domini est terra. In III. Nocturno · XCV. Cantate. I. XCVI. Dominus regnavit. exsultet · CIII. Benedic anima mea Dominum. & omnia interiora ·

In Festivitate Omnium Sanctorum ·

Ad Vigilias in primo galli cantu · Req. in Natali Martyrum ·

In Natali sancti Andreæ Apostoli.

Ad Vigiliam in initio. seu in crepusculo noctis · Non dicitur Psalm. Invitat. sed absolute incipitur ab Antiphona primi Nocturni · In I. Nocturno · I. Beatus vir. cum reliquis. ut ad Vigiliam Secundam in Nat. Sanctorum Petri & Pauli ·

Eadem nocte ad Vigilias in primo galli cantu · Psal. Invitat. XCIV. Venite · Ad Nocturnos. ut in Natali Apostolorum ·

In Natali Apostolorum & Evangelistarum ·

Ad Vigilias in primo galli cantu · In I. Nocturno · XVIII. Cœli enarrant · XXXIII. Benedicam Dominum · XLIV. Eructavit · In II. Nocturno · XLVI. Omnes gentes · LX. Exaudi Deus deprecationem. LXIII. Exaudi Deus orationem. In III. Nocturno · LXXIV. Confitebimur · XCVI. Dominus regnavit. exsultet · XCVIII. Dominus regnavit. irascantur ·

Ad Vesperos in die Festivitatis · CIX. Dixit Dominus · CXII. Laudate pueri · CXIV. Credidi · CXXV. In convertendo Dominus · CXXXVIII. Domine probasti · Cantic. Evangel. S. Mariæ. Magnificat ·

In Natali Martyrum. Confessorum. & Virginum ·

Ad Vigilias in primo galli cantu · In I. Nocturno · I. Beatus vir · II. Quare fremuerunt · III. Domine quid multiplicati · In II. Nocturno · IV. Cum invocarem te · VIII. Domine Dominus noster · X. In Domino confido. In III. Nocturno · XIV. Domine quis habitabit. XV. Conserva me · XIX. Exaudiat te ·

Ad Opus Dei pro Infirmis ·

Ad Vigilias · Psalmi. ut in Natali Martyrum ·

Ad Matutinos. ut in diebus Dominicis ·

Ad Visitandum Infirmum.

Hi VII. Psalmi Pœnitentiales · VI. Domine ne in ira tua. I · XXXVII. Domine ne in ira tua. II. XL. Beatus qui intelligit. L. Miserere · LXXXV. Inclina Domine · XC. Qui habitat · CII. Benedic anima mea Dominum. & omnia interiora mea ·

Cum Anima in agone sui exitus dissolutione sui corporis visa fuerit laborare ·

VII. Psalmi Pœnitentiales. ut infra · Item Psalm. CXVII. Confitemini Domino · & CXVIII. Beati immaculati · Item integrum Psalterium juxta Antiquorum pietatem ·

Post egressum animæ · CXIII. In exitu Israel ex Ægypto ·

Cum corpus defuncti defertur ad Ecclesiam · Psal. CXIII. In exitu Israel ex Ægypto. Per Porticum autem usque ad portam Ecclesiæ · L. Miserere mei Deus ·

Ad Vigilias Defunctorum.

In I. Nocturno · III. Domine quid multiplicati · IV. Cum invocarem te. VI. Domine ne in ira tua. I. In II. Nocturno · XXII. Dominus regit me. XXIV. Ad te Domine levavi · XXVI. Dominus illuminatio. In III. Noct. XXXIX. Exspectans exspectavi. XL. Beatus qui intelligit · XLI. Sicut cervus · Item aliter · XXXIV. Judica Domine nocentes me. XXXIX. Exspectans exspectavi. XLI. Sicut cervus ·

Ad Matutinos · L. Miserere. LXIV. Te decet hymnus. LXII. Deus Deus meus. una cum Psalmo LXVI. Deus misereatur · Canticum Eze-

chiæ

chiæ regis. Ego dixi. in dimidio· Laudes. ideſt. Pſalmi tres. cxlviii. cxlix. & cl. Cant. Evang. Zachariæ. Benedictus·

Ad Veſperos· cxiv. Dilexi. cxix. Ad Dominum cum tribularer· cxx. Levavi oculos meos. cxxx. De profundis. cxxxviii. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. quoniam exaudiſti. Cant. Evang. S. Mariæ. Magnificat·

Cum corpus Defuncti ſepelitur· Pſalmi cxvii. Confitemini Domino. xli. Sicut cervus. cxxxi. Memento Domine David.

VII. *Pſalmi Pœnitentiales.*

vi. Domine ne in ira tua. i. xxx. Beati quorum remiſſæ. xxx. Domine ne in ira tua. ii. l. Miſerere· ci. Domine exaudi orationem meam· cxxix. De profundis. cxlii. Domine audi orationem meam. auribus percipe.

Hi vii. Pſalmi Pœnitentiales quotidie dicuntur poſt Primam. una cum Litaniis. Precibus (in quibus dicitur Pſalm. lxxxv. Inclina) & Orationibus. exceptis Feſtis Majoribus. Octavis item majoribus. Vigiliis Natalis & Epiphaniæ Domini. ac tota Quinquageſima Paſchæ.

XV. *Pſalmi Graduales*·

cxix. Ad Dominum cum tribularer. uſque ad Pſalm. cxxxiii. Ecce nunc benedicite Dominum. incluſivè·

XX. *Pſalmi Allelujatici.*

civ. Confitemini Domino. i. cv. Confitemini Domino. ii. cvi. Confitemini Domino. iii. cx. Confitebor tibi Domine· cxi. Beatus vir qui timet Dominum. cxii. Laudate pueri Dominum. cxiii. In exitu Iſrael· cxiv. Dilexi· quoniam exaudivit Dominus· cxv. Credidi. propter quod. cxvi. Laudate Dominum omnes gentes· cxvii. Confitemini Domino. cxviii. Beati immaculati· cxxxiv. Laudate nomen Domini· cxxxv. Confitemini Domino. quoniam· cxlv. Lauda anima mea· cxlvi. Laudate Dominum. quoniam· cxlvii. Lauda Jeruſalem Dominum· cxlviii. Laudate Dominum de cœlis· cxlix. Cantate Domino. cl. Laudate Dominum in Sanctis ejus·

Pſalmi ante Miſſam.

Antequam (1) Sacerdos ſacris induatur veſtibus. vii. Pſalmi Pœnitentiales. Cum vero ſe parat. lxxxiii. Quam amabilia. lxxxiv. Benedixiſti. lxxxv. Inclina· Domine. cxv. Credidi. Cum venit ad Altare. xlii. Judica me Deus. & diſcerne·

Poſt Miſſam.

Dum exuit ſe ſacris veſtibus Sacerdos. Benedictiones trium Puerorum. & Pſalm. cl. Laudate Dominum in Sancti. ejus.

XVIII. Le-

(1) *Clariſſimus Georgius* De Liturgia Romani Pontificis *lib. 1. cap. ix. n. iv. tom. 1. pag. 93. hoc Thomaſii loco utitur ad oſtendendum quinam Pſalmi olim recitari ante Miſſam conſueverint, dicens*: Hunc etiam antiquum ritum Pſalmos recitandi ante Miſſam ex vetuſtiſſimis codicibus uberius monſtravit Joſephus Maria ex ordine Clericorum Regularium, ac S. R. E. Cardinalis Thomaſius, vir, cum vitæ innocentia, ac ſanctimonia, tum in ſacris ritibus illuſtrandis immortali memoria dignus. Ille ergo ad initium Pſalterii ex duplici editione, quam Romanam dicunt & Gallicam, vulgavit notitiam diſtributionis Pſalmorum ſecundum antiquiorem pſallendi uſum Eccleſiæ Romanæ, in cujus fine hæc leguntur: *Pſalmi ante Miſſam Antequam Sacerdos &c. Deinde paucis interjectis refert in Miſſali MS. Bibliotheca Vallicellana, ſeculo x. ac xi. initio exarato, ipſo Thomaſio judice, tres tantum Pſalmos præſignari: ſic enim MS. habet*: Ad manus lavandas. Lavabo inter innocentes. Aſperges me hyſſopo. Amplius lava me. *Deinde in hunc modum proſequitur*: Iſti Pſalmi (*pro* iſtos Pſalmos) debet dicere Sacerdos, quando ſe induit veſtem ſacerdotalem. Quam dilecta. Benedixiſti. Inclina. (*Hæc editor Thomaſianus.*)

Lectiones. XVIII. Lectiones Scripturarum quando & a quibus libris acciperentur, habetis passim apud Thomasium, & in Breviario Ecclesiastici Ordinis penes Muratorium tom. 2. p. 361. Lectiones de passionibus martyrum & vitis Confessorum serius recepisse Romanam Ecclesiam, easque in Ecclesia sancti Petri legi præcepisse Hadrianum papam, docet Martenius *tom.* 3. *pag.* 13. Serius etiam receptæ Confessorum celebritates. Præterea satis constat ex Censio, Anastasio, Amalario aliisque veteribus monumentis, olim lectiones veteris novique Testamenti Romæ in Missa lectas fuisse latine & græce, quemadmodum etiam Constantinopoli græce & latine, ob duas potissimum causas, ut ait Amalarius *l.* 2. *c.* 1. videlicet: *Unam, quia aderant Græci quibus ignota erat lingua latina, aderantque Latini, quibus ignota erat græca: alteram propter unanimitatem utriusque populi*. Si quid hujuscemodi obtineret etiam in divina psalmodia, mihi satis non constat: quoad tamen veterrima tempora probabiliter affirmari posse videatur, cum propter allatas ex Amalario rationes, tum etiam quia & Symbolum & Orationem dominicam græce tradita fuisse in libris Liturgicis reperimus: immo antiphonas quasdam græce dictas in iisdem libris passim adhuc invenire licet. Legendi in Ecclesia acta martyrum in diebus festis eorum, consuetudo in Africa amplissima fuit & antiquissima. Concilium enim Carthaginiense III. *Licet etiam*, inquit, *legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur*.

Diglottæ, & cur.

Lectionum quantitas & numerus. XIX. Quantitatem Lectionum olim certa mensura vel etiam numero constitisse non liquet. In nocturno Officio longæne essent an breves obscurum fatetur Thomasius. Longiusculas universim fuisse citra ullam dubitationem mihi persuadeo antequam officium esset breviatum. Primo quia & pietas veterum & finis ipse Lectionis id sibi velle videntur. Deinde solos olim Franciscanos & Lateranensem Capellam breviori Officio usos jam diximus. Tertio quia plures minoresve lectiones, sive missas recitatas fuisse olim reperimus pro tempestatum varietate. Quarto quia inter nocturnas stationes lectio brevissima opportuna nequaquam fuisset. Postremo quia supersunt hodieque libri MSS. multi, in quibus integræ sanctorum Patrum homiliæ descriptæ sunt, certissime ad usum Chori. Suspicor quidem & nunc, quod me alibi dixisse memini, ex illis populo lectas fuisse homilias, si quando fortean concionator nullus adesset, qui orationem ad plebem habere vellet aut posset: sed minime inficiandum videatur, quosdam ex illis libris homiliariis lectiones nocturnas continuisse, cum in eis quædam descripta sint, quibus in Missa locus nullus erat. Huc revocanda homiliaria quædam Marcianæ Bibliothecæ nostræ, in quibus homiliæ fere descriptæ sunt quibus in Officio usus est, & Threnos etiam Hieremiæ exaratos videmus. Cæterum, quæ nunc *Capitula* dicimus, veteribus *Lectiones breves* dicebantur. Non puto olim tamen eas tam breves fuisse ut hodie sunt. Jamdiu est autem, ex quo in præcipuis saltem solemnitatibus nocturnæ lectiones a dignoribus cantari consueverunt, ne Papa quidem aut Cardinalibus ecceptis, cum olim munus Lectorum hoc fuisse videatur, ut etiam erui potest ex vita S. Martini *n.* 9. per Sulpicium Severum conscriptam.

Capitula, seu Lectiones breves.

Lectiones a quibus cantarentur.

Pietas ad Lectiones necessaria. XX. Persuasum erat casco simplicium Monachorum popello, Dæmo-

monas sub ipsa divina lectione hominum capita, frigida sua natura sic afficere, ut illi vel inviti stertent, & in somnos oscitantes abirent. Id docet Evagrius Scitensis monachus, qui circa dimidium quarti seculi floruit, in capitibus practicis ad Anatolium capite LXVI. Immo ajebant, Dæmonas tunc ora nostra subire & circa fauces versari sic, ut oscitari cogeremur. Fatetur, quidem Evagrius loco citato: ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἐγὼ μέχρι τῆς σήμερον οὐκ ἐνόησα, καίτοι πολλάκις αὐτὸ πεπονθώς. *Ego vero istuc usque in hodiernam diem non animadverti, tametsi oscitantiam hujusmodi sæpius expertus passusque fuerim.* Deinde vero ita prosequitur: τοῦ δὲ ἁγίου Μακαρίου ἤκουσα τοῦτό μοι λελαληκότος· καὶ εἰς ἀπόδειξιν φέροντος τοὺς χασμωμένους τὸ στόμα σφραγίζειν κατὰ ἀρχαίαν παράδοσιν ἄρρητον. *Audivi nihilominus sanctum Macarium hoc ipsum mihi perhibentem: & ad rei confirmationem afferentem, eos qui oscitantur, solere os cruce signare secundum veterem nec omnibus perspectam traditionem.* Hæc utcumque vel allegorica sint, vel inter apinas, hujus temporis vafra Christianorum philosophia amandanda esse contendat; illud tamen statim subinfert Evagrius, quo hæc de Lectionibus sacris utiliter absolvantur: Ταῦτα δὲ πάντα πάσχομεν, διὰ τὸ μὴ προσέχειν νηφόντως ἡμᾶς τῇ ἀναγνώσει, μηδὲ μεμνῆσθαι ὅτι λόγια ἅγια Θεοῦ ζῶντος ἀναγινώσκομεν· *Hæc autem omnia patimur ex eo vel maxime, quod nequaquam diligenter attendamus lectioni, neque in memoriam revocemus, nos sacrosancta Dei viventis oracula legere.* Attendamus ergo lectioni.

Mos adhibendæ crucis ori inter oscitandum.

XXI. Initium anni Ecclesiastici fit ab Adventu, & per festa ac Dominicas varias ejus partes distingui consueverunt. Variant aliquatenus veterum membranæ inter sese & a consuetudinibus nostris in distributione Officiorum tam de Tempore quam de Sanctis in libris Liturgicis. Specimen quoddam eruditionis ergo hic subtexere visum est ex eo Responsoriali & Antiphonario Sancti Gregorii apud Thomasium, quod & nos edituri sumus.

Anni & Officii Ecclesiastici ratio.

XXII. SPECIMEN DISTRIBUTIONIS OFFICIORUM PER CIRCULUM ANNI.

Dominica I. Adventus Domini.
Dominica II. ante nativitatem Domini.
Natale S. Luciæ Virginis.
Dominica III. ante Nat. Dom.
Dominica proxima Nat. Dom.
Vigilia Nat. Dom.
Nativitas Domini.
Natale S. Stephani.
---- S. Johannis.
---- Innocentium.
Dominica I. post Natale Dom.
Vigilia Octavæ Dom.
Epiphania, (*al.* Theophania.)
Octava Epiphaniæ.
Dominica I. post Theophaniam.
Domin. II.
Domin. III.
Domin. IV.
Domin. V.
Responsoria de Psalmis.
Diebus Dominicis Antiphonæ.
Vigilia S. Sebastiani.
Natale S. Agnetis.
Purificatio S. Mariæ.
Vigilia & Natale S. Agnæ.
Adnuntiatio S. Mariæ.
Dominica in LXXma.
Domin. in LXma.
Domin. in Lma. (*al.* Carnisprivii, *vel* excarnaliorum.)
Domin. I. in XLma.
Domin. II.
Domin. III.

Domin. in medio XLmæ. (*al.* de Jerusalem, Lætare, *vel* de Rosa.)
Domin. de Passione Domini (*al.* Mediana.)
Domin. in Palmis. (*al.* Indulgentiæ.)
Vigilia Cœnæ Domini.
Parasceve.
Sabbathum Sanctum.
Vigilia S. Paschæ.
Dominica Sancta Paschæ.
Dominica octava Paschæ. (*al.* post Albas paschales.)
Domin. I. post Pascha.
Domin. II.
Domin. III.
Domin. IV.
Litania major.
Vigilia App. Philippi & Jacobi.
Domin. III. & IV. in Pascha: RR. de Auctoritate.
Domin. V. & VI. in Pascha: RR. de Psalmis.
In Natalitiis SS. infra Pascha.
In Natalitiis unius Martyris sive Confessoris.
In S. Crucis inventione.
In Exaltat. S. Crucis.
Ascensio Domini.
Domin. I. post Ascensum Domini. (*al.* item de Rosa.)
Pentecoste.
Octava Pentecostes
Vigilia Nativitatis S. Joh. Baptistæ. (*sic sequuntur Officia propria de Sanctis usque ad Adventum*)
Communia Officia.
Responsoria de libro Regum
- - - - - - - - - - - Sapientiæ
- - - - - - - - - - - Job.
- - - - - - - - - - - Tobia.
- - - - - - - - - - - Judith.
- - - - - - - - - - - Ester.
- - - de historia Machabæorum.
- - - de Prophetis.
Antiphonæ ad hymnum trium Puerorum.
- - - de cantico Zachariæ.
- - - - - - - - - - S. Mariæ.
Antiphonæ Dominicis diebus post Pentecosten ab I. adusque XXIV.

XXIII. Sic fuit divisio. Observandum Officiis sive commemorationibus Vigiliarum continenter subjungi Officia natalitia sine alio titulo. Alibi usque ad X. Dominicas post Epiphaniam notatas videbitis, alibi tres tantum, alibi sex, quot revera ad summum intercedere possunt inter Epiphaniam & Septuagesimam. Sed id factum fuerit, ut arbitratur Thomasius, quum nondum LXXmæ, LXmæ, Lmæ, XLmæ distinctio ulla fuerat excogitata. Erant & quibusdam Dominicis peculiaria nomina, sed quorum ratio ex circumstantiis ipsis facile innotescat: ut Dominicæ XXXma, XXma &c. de quibus & aliis similibus consulendi libri liturgici & Index Thomasianus. *Vacare* dicebatur Dominica quando stationem non habebat, fiebatque id probabiliter, quando vespere præcedentis Sabbathi magno labore sacri Ordines conferebantur, & Officium per multam noctem protrahebatur. Unde orta Theologorum illa doctrina, Ordines sacros continuato jejunio conferri posse etiam Dominica insequenti, de quo alii viderint. Carebant vacantes Dominicæ Statione & Officio proprio, nisi esset magna solemnitas; non tamen Missa, scilicet quæ private dici posset. In quibusdam libris sic dividuntut Dominicæ post Pentecosten: *Dominicæ post Epiphaniam.* *Dominica vacat.* *Alia divisio Dominicarum post Pentecost.*

I. Dominicæ post natale Apostolorum.
II. Post natale S. Laurentii.
III. Mensis septimi.
IV. Post S. Cyprianum.
V. Post S. Angelum: h. e. post dedicationem Basilicæ S. Michaelis archangeli.

XXIV. Ad festa Sanctorum quod attinet. Observandum duplex fuisse distinctum Martyrum genus. Alii qui proprie eo nomine censeban- *Martyrum genus duplex.*

bantur: illi videlicet qui per carnificis manus in tormentis vitam finierant. Alii qui quamvis alias torti eſſent, tamen vitam per tormenta non amiſerant, Confeſſores audiebant. Nam quamvis Confeſſores dicerentur etiam eodem quo apud nos ſenſu, horum tamen feſtivitates ſerius in Eccleſiam invectæ ſunt. Diſtinguimus hodie Confeſſores a Martyribus mutantes octavum ℟. *Domine prævenisti*.

Confeſſores.

Natale ſanctorum.

XXV. Sanctorum feſtivitates Natalis nomine Eccleſia decoravit. Natale enim feſtivitatem ſonat. Erat Natale ſive feſtum duplex. De illis ſic erudite Mazochius in Kalend. Neapol. p. 17. not. 11. loquens de S. Agnete: *Natale de nativitate opponitur natali de paſſione: quorum hoc ſignatur die XXI. illud XXVIII.* (nempe Januarii) *per quod manifeſte oſtenditur in primorem diem incidiſſe Agnetis paſſionem, in poſteriorem vero nativitatem carnalem ... In Hieronymi martyrologio: XII. Kal. Febr. Romæ Paſſio Agnetis virginis. In eodem ad diem XXVIII. Romæ Nativitas S. Agnetis virginis . . . Hinc in Gemma animæ: lib. 3. cap. 25. legitur: In octava S. Agnetis ſcribitur de Nativitate, quia illa die nata dicitur.* Hoc poſtremum appellat Rhabanus a gignendo Natale *genuinum*, ſicut alias ab ingenuitate *Ingenuinum* dici legitur. Vulgo tamen dies obitus alicujus S. Natale audit. Id liquido nos docet S. Paulinus in carmine XIII. in S. Felicem ℣. 170. *ſeqq.*

S. Agnetis I.

S. Agnetis II.

Natale genuinum vel ingenuinum.

-- *Sanctis iſte natalis dies*
Notatur, in quo lege functi carnea
Mortalitatis exuuntur vinculis,
Et in ſuperna regna naſcuntur Deo.

Vigiliæ Officium quando celebratum.

XXVI. Vigiliarum Officia alia exordio noctis celebrabanrur: alia aurora luceſcente: alia in primo galli cantu, alia denique media nocte. Aliquando in præcipuis feſtivitatibus Vigiliarum noctis Officium duplex erat: alterum initio noctis, alterum ad primum galli cantum. An hinc derivandæ conſuetudines noſtræ vel anticipandi Matutinum, vel cantandi Miſſas in Aurora? Sed quæ ad vigilias pertinent, uberius explicata invenietis apud Thomaſium cæteroſque rerum Liturgicarum ſcriptores.

XXVII. Hactenus de ratione recitandi divini Officii. Reſtat nunc ut ad Kalendarium noſtrum ejuſque uſum veniamus.

I. JANUARIUS.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicenus.	Dies anni communis.	Anni Bissestilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gradu XI. Capricorni.	Kalendæ	1	3	1	1	A	Octava Domini.
	IV. Nonas.	2		2	2	B	
	III.	3	11	3	3	C	
	Pridie Nonas.	4		4	4	D	
	Nonæ.	5	19	5	5	E	
	VIII. Idus.	6	8	6	6	F	Epiphania.
	VII.	7		7	7	G	
	VI.	8	16	8	8	A	
	V.	9	15	9	9	B	
	IV.	10		10	10	C	
	III.	11	13	11	11	D	
	Pridie Idus.	12	2	12	12	E	
	Idus.	13		13	13	F	
	XIX. Kal. Feb.	14	10	14	14	G	S. Felicis.
	XVIII.	15		15	15	A	
	XVII.	16	18	16	16	B	S. Marcelli Papæ.
	XVI.	17	7	17	17	C	
	XV.	18		18	18	D	S. Priscæ.
	XIV.	19	15	19	19	E	
	XIII.	20	4	20	20	F	SS. Fab. & Sebast.
In Aquario.	XII.	21		21	21	G	S. Agnæ.
	XI.	22	12	22	22	A	S. Vincentii.
	X.	23	1	23	23	B	
	IX.	24		24	24	C	
	VIII.	25	9	25	25	D	
	VII.	26		26	26	E	
	VI.	27	17	27	27	F	
	V.	28	6	28	28	G	S. Agnæ secundo.
	IV.	29		29	29	A	
	III.	30	14	30	30	B	
	Prid. Kal.	31	3	31	31	C	
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

II. F E-

II. FEBRUARIUS.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicenus.	Dies anni Communis.	Dies anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. X. Aquarii.	Kalendæ.	1		32	32	D	
	IV. Nonas.	2	11	33	33	E	Yppapanti ad S. Mariam.
	III.	3	19	34	34	F	
	Pridie Nonas.	4	8	35	35	G	
	Nonæ	5		36	36	A	S. Agathæ.
	VIII. Idus.	6	16	37	37	B	
	VII.	7	5	38	38	C	
	VI.	8		39	39	D	
	V.	9	13	40	40	E	
	IV.	10	2	41	41	F	
	III.	11		42	42	G	
	Pridie Idus.	12	10	43	43	A	
	Idus.	13		44	44	B	S. Valentini.
	XVI. Kal.Mart.	14	18	45	45	C	
	XV.	15	7	46	46	D	
	XIV.	16		47	47	E	
	XIII.	17	15	48	48	F	
	XII.	18	4	49	49	G	
	XI.	19		50	50	A	
	X.	20	12	51	51	B	
In Piscibus.	IX.	21	1	52	52	C	
	VIII.	22		53	53	D	
	VII.	23	9	54	54	E	
	VI.	24		55	55	F	
	V,	25	17	56	56	G	
	IV.	26	6	57	57	A	
	III.	27		58	58	B	
	Prid. Kal.	28	4	59	59	C	
					60		
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

III. MARTIUS.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.	Num. Aureus Nicenus.	Dies anni Communis.	Dies anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. IX. Piscium.	Kalendæ. 1	3	60	61	D	
	VI. Nonas. 2		61	62	E	
	V. 3	11	62	63	F	
	IV. 4		63	64	G	
	III. 5	19	64	65	A	
	Pridie Nonas. 6	8	65	66	B	
	Nonæ. 7		66	67	C	
	VIII. Idus. 8	16	67	68	D	
	VII. 9	5	68	69	E	
	VI. 10		69	70	F	
	V. 11	13	70	71	G	
	IV. 12	2	71	72	A	S. Gregorii Papæ.
	III. 13		72	73	B	
	Pridie Idus. 14	10	73	74	C	
	Idus. 15		74	75	D	
	XVII. Kal. Apr. 16	18	75	76	E	
	XVI. 17	7	76	77	F	
	XV. 18		77	78	G	
	XIV. 19	15	78	79	A	
	XIII. 20	4	79	80	B	
In Ariete	XII. 21		80	81	C	
	XI. 22	12	81	82	D	
	X. 23	1	82	83	E	
	IX. 24		83	84	F	
	VIII. 25	9	84	85	G	Annunc. S. Mar.
	VII. 26		85	86	A	
	VI. 27	17	86	87	B	
	V. 28	8	87	88	C	
	IV. 29		88	89	D	
	III. 30	14	89	90	E	
	Prid. Kal. 31	3	90	91	F	
I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.

IV. APRI-

IV. APRILIS.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicenus.	Dies anni Communis.	Dies anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. XI. Arietis.	Kalendæ.	1		91	92	G	
	IV. Nonas.	2	11	92	93	A	
	III.	3		93	94	B	
	Pridie Nonas.	4	19	94	95	C	
	Nonæ.	5	8	95	96	D	
	VIII. Idus.	6	16	96	97	E	
	VII.	7	5	97	98	F	
	VI.	8		98	99	G	
	V.	9	13	99	100	A	
	IV.	10	2	100	101	B	
	III.	11		101	102	C	
	Pridie Idus.	12	10	102	103	D	
	Idus.	13		103	104	E	SS. Tiburtii & Valeriani.
	XVIII. Kal. Maj.	14	18	104	105	F	
	XVII.	15	7	105	106	G	
	XVI.	16		106	107	A	
	XV.	17	15	107	108	B	
	XIV.	18	4	108	109	C	
	XIII.	19		109	110	D	
	XII.	20	12	110	111	E	
In Tauro.	XI.	21	1	111	112	F	
	X.	22		112	113	G	
	IX.	23	9	113	114	A	S. Georgii (*Cod. Othob.* & S. Reguli Episc.)
	VIII.	24		114	115	B	
	VII.	25	17	115	116	C	Litania major.
	VI.	26	6	116	117	D	
	V.	27		117	118	E	S. Vitalis.
	IV.	28	14	118	119	F	
	III.	29	3	119	120	G	
	Prid. Kal.	30		120	121	A	
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

V. MAJUS.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicenus.	Dies anni Communis.	Dies anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. X. Tauri.	Kalendæ .	1	2	121	122	B	SS. Philippi & Jacobi.
	VI. Nonas.	2		122	123	C	
	V.	3	19	123	124	D	Alexandri, Even- & Theoduli.
	IV.	4	8	124	125	E	
	III.	5		125	126	F	Joh: ant. port. lat.
	Pridie Nonas.	6	16	126	127	G	
	Nonæ.	7	5	127	128	A	
	VIII. Idus.	8		128	129	B	
	VII.	9	13	129	130	C	
	VI.	10	2	130	131	D	Gordiani&Epim
	V.	11		131	132	E	
	IV.	12	10	132	133	F	
	III.	13		133	134	G	Pancratii. S. Mariæ ad Martyres.
	Pridie Idus.	14	18	134	135	A	
	Idus.	15	7	135	136	B	
	XVII.Kal.Jun.	16		136	137	C	
	XVI.	17	15	137	138	D	
	XV.	18	4	238	139	E	
	XIV.	19		139	140	F	
	XIII.	20	12	140	141	G	
In Geminis.	XII.	21	1	141	142	A	
	XI.	22		142	143	B	
	X.	23	9	143	144	C	
	IX.	24		144	145	D	
	VIII.	25	17	145	146	E	Urbani Papæ.
	VII.	26	6	146	147	F	
	VI.	27		147	148	G	
	V.	28	14	148	149	A	
	IV.	29	3	149	150	B	
	III.	30		150	151	C	
	Pridie Kal.	31	11	151	152	D	
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

IV. JU-

VI. JUNIUS.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicænus.	Dies anni Communis.	Dies anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. X. Geminorum.	Kalendæ.	1		152	153	E	S. Nicomedis
	IV. Nonas.	2	19	153	154	F	Marcellini & Petri.
	III.	3	8	154	155	G	
	Pridie Nonas.	4	16	155	156	A	
	Nonæ	5	5	156	157	B	
	VIII. Idus.	6		157	158	C	
	VII.	7	13	158	159	D	
	VI.	8	2	159	160	E	
	V.	9		160	161	F	
	IV.	10	10	161	162	G	
	III.	11		162	163	A	
	Pridie Idus.	12	18	163	164	B	
	Idus.	13	7	164	165	C	
	XVIII.Kal.Jul.	14		165	166	D	
	XVII.	15	15	166	167	E	
	XVI.	16	4	167	168	F	
	XV.	17		168	169	G	
	XIV.	18	12	169	170	A	Marci & Marcell
	XIII.	19	1	170	171	B	Protasiii & Gervasii.
	XII.	20		171	172	C	
In Cancro.	XI.	21	9	172	173	D	
	X.	22		173	174	E	
	IX.	23	17	174	175	F	Vig.S.Joh:Baptist.
	VIII.	24	6	175	176	G	S. Jost. Baptistæ.
	VII.	25		176	177	A	
	VI.	26	14	177	178	B	
	V.	27	3	178	179	C	Johannis & Pauli.
	IV.	28		179	180	D	Leon.P.Vi.S.Pet.
	III	29	11	180	181	E	S. Petri.
	Pird. Kal.	30		181	182	F	S. Pauli.
							In octav. Apostol.
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

VII. JULIUS vel QUINTILIS.

Locus ſolis in Zodiaco.	Dies menſis Romano more & noſtro.		Num. Aureus Niçenus.	Dies anni Communis.	Dies anni Biſſextilis.	Litera Dominicalis.	Feſta Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. XI. Cancri.	Kalendæ.	1	19	182	183	G	
	VI. Nonas.	2	8	183	184	A	Proceſſi & Martiniani.
	V.	3		184	185	B	
	IV.	4	16	185	186	C	
	III.	5	5	186	187	D	
	Pridie Nonas.	6		187	188	E	
	Nonæ.	7	13	188	189	F	
	VIII. Idus.	8	2	189	190	G	
	VII.	9		190	191	A	
	VI.	10	10	191	192	B	Septem Fratrum.
	V.	11		192	193	C	
	IV.	12	18	193	194	D	
	III.	13	7	194	195	E	
	Pridie Idus.	14		195	196	F	
	Idus.	15	15	196	197	G	
	XVII. Ka. Aug.	16	4	197	198	A	
	XVI.	17		198	199	B	
	XV.	18	12	199	200	C	
	XIV.	19	1	200	201	D	
	XIII.	20		201	202	E	
In Leone.	XII.	21	9	202	203	F	
	XI.	22		203	204	G	
	X.	23	17	204	205	A	
	IX.	24	6	205	206	B	
	VIII.	25		206	207	C	
	VII.	26	14	207	208	D	
	VI.	27	3	208	209	E	
	V.	28		209	210	F	Felicis, Simplicii, Fauſt. & Beatr.
	IV.	29	11	210	211	G	
	III.	30		211	212	A	Abdon & Senen.
	Pridie Kal.	31	19	212	213	B	
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

VIII. AU-

VIII. AUGUSTUS vel SEXTILIS.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicenus.	Dies anni communis.	Anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gradu XI. Leonis.	Kalendæ	1	8	213	214	C	Ad S. Pet. in vinc.
	IV. Nonas.	2	16	214	215	D	Stephani Episcopi.
	III.	3	5	215	216	E	
	Pridie Nonas.	4		216	217	F	
	Nonæ.	5	13	217	218	G	Xist. Felicis. & Ag. Benedict. Uvæ.
	VIII. Idus.	6	2	218	219	A	
	VII.	7		219	220	B	
	VI.	8	10	220	221	C	Cypriani.
	V.	9		221	222	D	Vigil. S. Laur.
	IV.	10	18	222	223	E	Laurentii.
	III.	11	7	223	224	F	Tiburtii.
	Pridie Idus.	12		224	225	G	
	Idus.	13	15	225	226	A	Hippolyti.
	XIX. Kal. Sept.	14	4	226	227	B	Euseb. Vigil. Ass.
	XVIII.	15		227	228	C	Assumsio S. Mar.
	XVII.	16	12	228	229	D	
	XVI.	17	1	229	230	E	
	XV.	18		230	231	F	Agapiti.
	XIV.	19	9	231	232	G	
	XIII.	20		232	233	A	
In Virgine.	XII.	21	17	233	234	B	
	XI.	22	6	234	235	C	Timothei.
	X.	23		235	236	D	
	IX.	24	14	236	237	E	
	VIII.	25	3	237	238	F	
	VII.	26		238	239	G	
	VI.	27	11	239	240	A	
	V.	28		240	241	B	Hermis.
	IV.	29	19	241	242	C	Sabinæ.
	III.	30	8	242	243	D	Felicis & Adauct.
	Prid. Kal.	31		243	244	E	
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

IX. SEPTEMBER.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicenus.	Dies anni Communis.	Anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. XI. Virginis.	Kalendæ.	1	16	244	245	F	
	IV. Nonas.	2	15	245	246	G	
	III.	3		246	247	A	
	Pridie Nonas.	4	13	247	248	B	
	Nonæ.	5	2	248	249	C	
	VIII. Idus.	6		249	250	D	
	VII.	7	10	250	251	E	
	VI.	8		251	252	F	Nativ. S. Mariæ
	V.	9	18	252	253	G	(*Otb.*&S.Adriani)
	IV.	10	7	253	254	A	
	III.	11		254	255	B	Proti & Hyacint.
	Pridie Idus.	12	15	255	256	C	
	Idus.	13	4	256	257	D	
	XVIII.Kal.Oct.	14		257	258	E	Cor. & Cypr. Ex
	XVII.	15	12	258	259	F	S. C. Nicomedis.
	XVI.	16	1	259	260	G	Euphemiæ, Luciæ,(*Otb.* Lucii)
	XV.	17		260	261	A	& Geminiani.
	XIV.	18	9	261	262	B	
	XIII.	19		262	263	C	
	XII.	20	17	263	264	D	
	XI.	21	6	264	265	E	
In Libra.	X.	22		265	266	F	
	IX.	23	14	266	267	G	
	VIII.	24	3	267	268	A	
	VII.	25		268	269	B	
	VI.	26	11	269	270	C	
	V.	27	19	270	271	D	Cosmæ & Damia.
	IV.	28		271	272	E	
	III.	29	8	272	273	F	Dedicat.Basilic.S.
	Prid. Kal.	30		273	274	G	Ange.(*Ot.*Mic.)
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

IX. OCTO.

X. OCTOBER.

Locus ſolis in Zodiaco.	Dies menſis Romano more & noſtro.		Num. Aureus Nicęnus.	Dies anni Communis.	Dies anni Biſſextilis.	Litera Dominicalis.	Feſta Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. XI. Libræ.	Kalendæ.	1	16	274	275	A	
	VI. Nonas.	2	15	275	276	B	
	V.	3	13	276	277	C	
	IV.	4	2	277	278	D	
	III.	5		278	279	E	
	Pridie Nonas.	6	10	279	280	F	
	Nonæ.	7		280	281	G	Marci Papæ.
	VIII. Idus.	8	18	281	282	A	
	VII.	9	7	282	283	B	
	VI.	10		283	284	C	
	V.	11	15	284	285	D	
	IV.	12	4	285	286	E	
	III.	13		286	287	F	Calliſti Papæ.
	Pridie Idus.	14	12	287	288	G	
	Idus.	15	1	288	289	A	
	XVII. Ka. No3.	16		289	290	B	
	XVI.	17	9	290	291	C	
	XV.	18		291	292	D	
	XIV.	19	17	292	293	E	
	XIII.	20	6	293	294	F	
In Scorpione.	XII.	21		294	295	G	
	XI.	22	14	295	296	A	
	X.	23	3	296	297	B	
	IX.	24		297	298	C	
	VIII.	25	11	298	299	D	
	VII.	26		299	300	E	
	VI.	27	19	300	301	F	
	V.	28	8	301	302	G	
	IV.	29		302	303	A	
	III.	30	16	393	304	B	
	Pridie Kal.	31	5	304	305	C	
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

XI. NO-

XI. NOVEMBER.

Locus solis in Zodiaco.	Dies mensis Romano more & nostro.		Num. Aureus Nicenus.	Dies anni Communis.	Dies anni Bissextilis.	Litera Dominicalis.	Festa Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. XI. Scorpionis.	Kalendæ.	1		305	306	D	Cæsarii.
	IV. Nonas.	2	13	306	307	E	
	III.	3	2	307	308	F	
	Pridie Nonas.	4		308	309	G	
	Nonæ.	5	10	309	310	A	
	VIII. Idus.	6		310	311	B	
	VII.	7	18	311	312	C	
	VI.	8	7	312	313	D	Quatuor Coronat.
	V.	9		313	314	E	Theodori.
	IV.	10	15	314	315	F	
	III.	11	4	315	316	G	Mennæ & Martini.
	Pridie Idus.	12		316	317	A	
	Idus.	13	12	317	318	B	
	XVIII. Kal. Dec.	14	1	318	319	C	
	XVII.	15		319	320	D	
	XVI.	16	9	320	321	E	
	XV.	17		321	322	F	
	XIV.	18	17	322	323	G	
	XIII.	19	6	323	324	A	
	XII.	20		324	325	B	
In Sagittario.	XI.	21	14	325	326	C	
	X.	22	3	326	327	D	Cæciliæ.
	IX.	23		327	328	E	Clement. & Felic.
	VIII.	24	11	328	329	F	Chrysogoni.
	VII.	25	19	329	330	G	
	VI.	26		330	331	A	
	V.	27	8	331	332	B	
	IV.	28		332	333	C	
	III.	29	16	333	334	D	Satur. Vig. S. And.
	Prid. Kal.	30	5	334	335	E	Andreæ.
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

XII. DECEMBER.

Locus ſolis in Zodiaco.	Dies menſis Romano more & noſtro.		Num. Aureus Nicęnus.	Dies anni Communis.	Dies anni Biſſextilis.	Litera Dominicalis.	Feſta Sacramentarii Gregoriani.
Sol in gr. X. Sagittarii.	Kalendæ.	1	13	335	336	F	
	IV. Nonas.	2	2	336	337	G	
	III.	3		337	338	A	
	Pridie Nonas.	4	10	338	339	B	
	Nonæ.	5		339	340	C	
	VIII. Idus.	6	18	340	341	D	
	VII.	7	7	341	342	E	
	VI.	8		342	343	F	
	V.	9	15	343	344	G.	
	IV.	10	4	344	345	A	
	III.	11		345	346	B	
	Pridie Idus.	12	12	446	347	C	
	Idus.	13	1	347	348	D	Luciæ.
	XIX. Kal. Jan.	14		348	349	E	
	XVIII.	15	9	349	350	F	
	XVII.	16		350	351	G	
	XVI.	17	17	351	352	A	
	XV.	18	6	352	353	B	
	XIV.	19		353	354	C	
	XIII.	20	14	354	355	D	
In Capricorno.	XII.	21	3	355	356	E	
	XI.	22		356	357	F	
	X.	23	11	357	358	G	
	IX.	24		358	359	A	Vigilia Domini.
	VIII.	25	19	359	360	B	Nativitas Domin.
	VII.	26	8	360	361	C	Stephani.
	VI.	27		361	362	D	Joh: Evangeliſtæ.
	V.	28	16	362	363	E	Innocentum.
	IV.	29	5	363	364	F	
	III.	30		364	365	G	
	Prid. Kal.	31	13	365	366	A	Silveſtri Papæ.
I.	II.		III.	IV.	V.	VI.	VII.

Explicatio kalendarii.

XXVIII. Calendarium nostrum, ut ex ipso schemate patet, septem constat cellulis ad calcem numero Romano signatis. In prima ponitur locus solis in Zodiaco quatenus πλατικῶς & lato modo fieri solet, atque ad usus vulgares sufficit. Nec tamen notatur nisi gradus primus, cæteros enim deinceps facile quis inveniet, cum singulis gradibus singuli fere dies assignentur. Cellula secunda dies exhibet mensis sive veterum Romanorum more recensitos, sive nostro. Usus ejus patet omnibus ex grammatica, nihilominus aliquid breviter hic innuemus. Romani in tres partes mensem dividebant, in Kalendas, Nonas, Idus. Kalendæ semper initium mensis occupant: Nonæ quintam, Idus decimam tertiam mensis diem: sed in mensibus Martio, Majo, Julio, Octobri, biduo serius ponuntur, ita ut in illis Nonæ septimam, Idus decimam quintam diem occupent. Dies igitur quibus Kalendæ, Nonæ, Idus contingebant, Romani per ablativum illorum nominum exprimebant, sic ut Idibus v. g. Martii, diem ejus mensis XV. indicarent. Ad cæteros dies mensis innuendos, hac utebantur ratione: dies qui immediate præcedebant Kal. Non. vel Idus per voculam pridie notabant: ad reliquos quod attinet, rationem habebant proxime sequentis divisionis in quovis mense, exprimebantque numerum dierum qui a data die mensis ad illam divisionem intercedebant. Sic v. g. Decimo octavo Kalendas Februarii, innuebat diem 15. Januarii, nam ab hac die ad Kalendas illas totidem intercedunt dies: & Octavo Idus Novembris, sextam ejusdem mensis diem signat. Ex his consequitur I. *Modus reducendi numerationem Romanorum ad nostram*. Nam si ad Kalendas respiciatur, mensi addantur duo; sin minus, unitas tantum addatur, & ex summa dematur numerus expressus. V. g. *Nono Kalendas Junias*. Mensi Majo qui dies habet 31. addantur duo, ut fiant 33. nunc demantur 9. restant 24. pro die quæsita. Item: *Quarto nonas Aprilis*. Nonis Aprilis quæ in diem 5. incidunt addatur unitas, ut fiant 6. nunc demantur 4. residuum 2. est dies quæsita more nostro. II. *Modus reducendi numerationem nostram ad Romanam*. Mensi vel Nonis aut Idibus addantur dies ut supra: numerus exprimendus dematur ab aggregato, residuum scribatur more Romano. V. g. Sit exprimenda dies 16. Octobris. Quia hic dies pertinet ad tertiam divisionem mensis, diebus ejus addo duos ut fiant 33. nunc demo 16. restant 17. scriboque, *Decimo saptimo Kal. Novembris*. Rursus si reddenda sit hæc dies: 4. Maij. Quia pertinet ad primam divisionem mensis, addo unitatem Nonis ut fiant 8. deinde demo 4. restant 4. quare scribo, *Quarto nonas Majas*. Tertia cellula habet numerum Aureum Nicænum, cujus usus est ad inveniendum Pascha, de quo dicemus infra. Veteres observabant quoto numero aureo vel Cyclo lunæ, quota die mensis per totam enneacædecaeteridem Novilunium committeretur, eamque diem in suis Calendariis signabant. Ob anomaliam vero sive inæqualitatem motus lunæ contingit, ut quidam dies careant numero aureo. De eo numero hic observanda hæc sunt: I. Numeri aurei semper inter se distant per 8. ita ut si superior sit 4. sequens sit 12. si ille sit 14. hic 3. rejecto nimirum integro Cyclo 19. & retento residuo. Ideoque additis 8. numero aureo præcedenti, sequentem perpetuo habebis: at si ex sequenti antecedentem venari libeat, opportebit addere 11. Sic ex nu-

Usus secundæ cellulæ.

Ratio tertiæ Cellulæ.

numero aureo 8. additis 11. habebis 19. pro numero aureo antecedenti. Et numero 11. additis item 11. habebis 22. unde rejecto integro cyclo 19. restant 3. II. Minor numerus fere immediate sequitur majorem: at a minori ad majorem fere semper est hiatus diei unius. V. gr. 16. immediate præcedit 5. sed inter 6. & 14. intercedit dies sine numero aureo. Quarta & quinta cellulæ continent dies collectos unius anni sive vulgaris sive Bissextilis. Sexta continet literas Dominicales de quibus infra. Septima denique exhibet Festa Sanctorum immobilia, qualia occurrunt in Sacramentario quod ex Muratorio edituri sumus.

Computum addiscere præstat. XXIX. Olim Clerici omnes tenebantur addiscere Computum. Breviarium etiam Romanum suas habet regulas satis commodas pro ordinandis Officiis festivitatum mobilium quæ a Paschali celebritate pendent. Quamobrem haud ab re fuerit, si hujusmodi vestigiis insistentes, ea quæ sunt in hunc usum necessaria, vel scitu utilia atque jucunda, huc breviter trasferamus. Si qui enim hujusmodi laboriosæ cognitioni latius exactiusque insistere velit, In Beveregio, Vvolfio, Petavio, Lansbergio, Keillio aliisque sexcentis exercendæ patientiæ suæ segetem uberrimam inveniet Prod. erit Blondelli historiam reformationis Calendarii non omnino inconsultam relinquere. Præcipue vero Moletium legendum suadeo in tabulis Gregorianis, & libellis de corrigendo Kalendario.

Dies. XXX. Diem appellamus spatium νυχθήμερον, horarum nempe 24. quibus sol una vertigine totum orbem perlustrans, tempus illud absolvit, quod divinus Moyses ערב ובקר *Vespere & mane* nuncupavit, ducto appellationis initio a more Orientalium, qui fere universi ab occasu solis diem auspicabantur. Nam in civili usu & ecclesiastico, alia apud alias gentes adhibita sunt diei initia. Ab occasu ad occasum Judæi, Athenienses, Arabes, Bohemi, Silesii diem metiuntur: ab ortu ad ortum Babylonii & Græci plerique: a meridie ad meridiem Astronomi & Umbri veteres: a medinoctio ad medinoctium Ægyptii Romanique nobiscum: a vesperis ad vesperas ecclesiastico ritu diem ordimur in Officiis solemnitatum.

XXXI. Septem dies constituunt hebdomadam: ex quibus primum Dominicam, ultimum Sabbathum speciatim, omnes vero Ferias appellamus. Judæi cunctos dies hebdomadæ, immo hebdomadam ipsam, solemnitates, & annos Jubilaticos, Sabbatha appellabant. Hinc illud Satyrici poetæ. Hebdomas.

Hodie sunt tricesima sabbatha:
Vin' tu curtis Judæis oppedere?

Hinc etiam Sabbathum δευτερόπρωτον *secundoprimum* in Evangelio: nempe feria prima sive Dominica hebdomadæ secundæ in numeratione dierum Pentecostalium. Habebant consequenter & annorum hebdomadas, a Daniele commemoratas.

XXXII. Aggregatum dierum, qui sint plus minus 30. Mensem appellamus. Et hic quidem est vel Lunaris, si ratio phasium lunæ habeatur; vel Solaris, si tempus attendatur, quo sol unum Signiferi circiter percurrit dodecatemorium. Lunaris mensis est: Periodicus, cum nempe luna regreditur ad idem punctum stellati balthei, unde digressa fuerat: Synodicus, quando luna quæ solem pone reliquerat, absoluta periodo sua paulumque progressa, solem iterum assequitur, & cum illo coit. Mensis.

XXXIII. Mensium systema sive lunarium, sive solarium, Annum componit. Et solarem quidem annum usurpant illi fere, qui hoc Annus.

tem-

tempus definiunt spatio, quo sol revertitur ad idem punctum Zodiaci a quo recesserat: ubi contra lunarem annum illi adhibent, qui lunaribus mensibus utuntur. Orientales fere universi. Inter solares annos, duo ad rem nostram maxime pertinent; Julianus & Gregorianus. Juliano fecere nomen ab Julio Cæsare Dictatore, qui veterem Romanorum annum, Pontificum incuria pessime habitum, emendavit, voluitque ut constaret diebus 365. cum quadrante: sed hoc per triennium in vulgari usu negleto, censuit ut quarto quoque anno dies interponeretur, bisque diceretur VI. Kalendas Martias, unde factum anno nomen Bissestilis. Annus Gregorianus est ipse Julianus ab Gregorio XIII. anno 1582. emendatus, opera præsertim Aloysii Lilii insignis Astronomi. Cum enim ex Synodi Nicænæ decreto, Pascha celebrandum sit Dominica quæ plenilunium vernum proxime excipit, quod per ea tempora incidebat in diem 20. aut 21. Martii: annus autem Julianus non omnino constet diebus 365. & horis 6. integris, factum est, ut minuta aliquot quæ indebite adjiciebantur, æquinoctia dies decem suo tandem loco moverint. Gregorius ergo sic rem emendavit, ut ab Octobri anni 1582. dies decem exsciderit, & quæ erat dies mensis quinta, fieret decima quinta. Censuit præterea ut post annum 1600. ex quatuor centesimis, qui omnes in Juliana methodo sunt Bissextiles, solus postremus esset intercalaris: ne rursus indebito minutorum augmento, Æquinoctia iterum sua sede moveantur. Quamobrem hodie annus Gregorianus ab Juliano undecim disert diebus. Græci aliique nonnulli adhuc stilo utuntur veteri, qui ad novum reducitur additione dierum undecim. Annos porro Bissextiles habebis, si datum Christi annum dividas per 4.

Julianus. *Bissextilis.* *Gregorianus.* *Annum Bissextilem invenire.*

XXXIV. Cyclus solis, est series 28. annorum, quibus elapsis, Dominica iterum eadem litera alphabeti Dominicali signatur. Si enim annus integris constaret tantum hebdomatibus, quotannis idem literarum ordo usurparetur: at propter dies illos, qui ultra 52. integras septimanas in anno supersunt, itemque propter intercalares dies, nonnisi absolutis 28. annis, idem literarum systema recurrit. *Cyclus solis.*

XXXV. Cyclus lunæ, vel Aureus numerus, est complexio annorum 19. post quos novilunia, sin minus ad eamdem horam, ad eamdem certe diem revertuntur, quod in usus civiles magnam affert utilitatem. Dicitur una græca voce *Enneacædecaeteris*. *Cyclus lunæ, vel Numerus aureus.*

XXXVI. Indictio, est periodus quædam annorum 15. post Constantinum vulgo in Ecclesia usurpata a Græcis perinde atque Latinis. Apud illos incipit a Kal. Septembris, appellaturque Constantinopolitana: apud hos vero initium summebat ab VIII. Kal. Octobris, & Cæsareæ aut Constantinianæ nomine censebatur. Pontificia sive Romana hodieque vulgaris Indictio orditur a Kal. Januarii. Ac de origine quidem nominis rem fatetur incertam esse Petavius: Græci proprie ἐπινέμησιν *epinemesin*, distributionem sive largitionem appellant. Fasti Siculi sive Chronicon Alexandrinum ad annum primum Julii Cæsaris ἀρχὴν ἰνδικτίωνος, initium Indictionis consignant. Constantinianæ initium pertinet ad annum 312. *Indictio.*

XXXVII. His tribus cyclis, nempe solis 28. lunæ 19. & Indictionis 15. inter se multiplicatis, fit productum 7980. quod *Periodus Juliana* dictum est ab inventore Scaligero, quippe ejus usus maximus in forma anni juliani: tum quia *Periodus Juliana.*

quia ad hanc periodum omnes epochæ commode tamquam ad communem amussim revocari possunt, tum quia nullus annus in ea iisdem gaudet cyclis, quod maximo adjumento est in distinguendis annis, ut infra docebitur.

Epacta. XXXVIII. Epactæ, sunt dies quidam residui in mensibus vel annis civilibus post absolutas lunationes integras. Incipiunt a Martio, & sic procedunt, ut quot sunt Kalendæ a Martio, tot sint epactæ menstruæ, donec elapso ultimo mense dies undecim integri colligantur pro epacta anni insequentis.

Characteres anni nativitatis Christi. XXXIX. Annus nativitatis Christi erat primus pos Bissextilem, Julianæ vero periodi 4714. cui debebeantur Cycli, Solis 10. lunæ 2. indictionis 4. litera dominicalis B. Hi proinde numeri unitate multandi sunt, ut sequentium annorum numeri per regulas quas trademus inveniri queant. Hæc generatim notata sufficiant. Nunc problemata quædam proponemus, Moletium tamen iterum commendantes.

Problemata. I. XL. *Dato anno cyclos invenire*. Anno Christi currenti addantur cycli nativitatis unitate multati, & productum dividatur per cyclos respectivos: vel annus fluens Julianæ periodi per eosdem cyclos dividatur — Anno Christi 1770. additis 9. & facta divisione per 28. supersunt 15. pro cyclo solis. Addita unitate, & per 19. facta divisione, habes 4. numerum aureum. Additis 3. & per 15. facta divisione, residuum 3. signat indictionem. Perinde erit si annum Jul. periodi 6483. per eosdem cyclos partiaris.

II. XLI. *Datis cyclis annum invenire*. Multiplica datos cyclos, Solis per 4845. lunæ per 4200. indictionis per 6916. summa productorum dividatur per periodum Julianam 7980. neglecto quotiente, residuum erit annus periodi cui cycli illi conveniunt: quem ad annos Christi revocabis demtis 4713 — Cujus anni erunt cycli, Solis 15. Lunæ 4. Indict. 3? Fiat: 15X4845 = 72675. Et 4X4200= 16800. Et 3X6916= 20748. Summa horum totalis = 110223. Quæ divisa per 7980. fit residuum 6483. unde demtis 4713. restat 1770. pro anno Christi ad quem illi cycli pertinent, ut antea vidimus. Hujus rei analyticam demonstrationem vide apud Beveregium & Keill.

III. XLII. *Literam Dominicalem invenire*. I. Stylo veteri, habito cyclo Solis ex subjecto pinacidio literam quæsitam decerpe. Quando duæ occurrunt, annus est Bissextilis: & quia literæ procedunt ordine retrogrado G. F. E. &c. ideo prima signabit Dominicam usque ad diem 24. Februarii, post quam fit intercalatio: altera usque ad finem anni.

1 G F	5 B A	9 D C	13 F E	17 A G	21 C B	25 E D
2 E	6 G	10 B	14 D	18 F	22 A	26 C
3 D	7 F	11 A	15 C	19 E	23 G	27 B
4 C	8 E	12 G	16 B	20 D	24 F	28 A

Sic anno primo Christi, quo cyclus solis erat 10. litera fuit B.

II. At in forma anni Gregoriani propter omissos bissextiles & correctionem factam, literam Dominicalem invenies per hosce vulgares versus.

Adde annis Domini bissextos: sexque remotis,
Divide per septem reliquos: mox demito ab octo
Quod superest: postrema Notam tibi sectio monstrat.

Divido annum Domini 1668. per 4. quotiens est 417. bissextiles: quibus additis anno proposito, fit summa 2085. Demo inde 6. divisoque residuo 2079. per 7. nihil superest: quare ab 8. demo ipsum cyclum 7. & residum est 1. nempe literam A. dominicalem habeo pro bissexti li anno 1668. usque ad 24. Febr. post quam erit litera G. ordine retrogrado —— Anno 1771. addo 442. pro totidem evolutis Bissestilibus: demtisque 6. & diviso residuo 2207. per 7. supersunt 2. quibus ab 8. subductis habeo 6. nempe sextam literam F. pro Dominicali. Alia methodus. A litera Dominicali Juliana retrorsum detrahe literas tres, & habebis Gregorianam. Ab ann. 1700. ad 1800. deme duas: ab 1800. ad 1900. deme unam. Cætera vide apud Beveregium.

IV. XLIII. *Epactam invenire*. I. Cyclum lunæ multiplica per 11. productum si sit minus 30. vel residuum, abjectis 30. epactam Julianam dabit —— Anno 1667. cyclus lunæ fuit 15. quo per 11. multiplicato, habetur 165. unde rejectis omnibus cyclis tricesimis, residuum est 15. pro epacta. II. In forma anni Gregoriani: numerum aureum vel cyclum lunæ multiplica per 11. & divide productum per 30. & quotiente neglecto, a residuo si potes deme 11. sin minus additis 30. tunc deme 11. quod reliquum fuerit, epactam dabit —— Anni 1770. num. aur. est 4. quo in 11. ducto habes 44. a quibus demtis 30. supersunt 14. unde ablatis 11. residuum 3. epactam anni notat. Additis 11. habebis epactam insequentis anni, & sic porro.

V. XLIV. *Lunationes invenire*. Kalendis sive numero mensium a Martio inclusive addas epactam currentem: aggregatum si minus sit 30. subducatur a 30. si majus, a 60. residuum dabit diem Novilunii. Ipsis mensibus Januario & Martio epactæ nihil additur: Februario & Aprili, unitas tantum additur: & pro ratione stili quo uteris, dies exemtiles correctionis addendi vel subtrahendi sunt. —— Epacta Gregoriana ann. 1770. est 3. qua a 30. subducta, restant 27. pro die mensis Martii, in quem cadit novilunium. Additis 8. ipsi epactæ, & a 30. subducto aggregato, restant 19. pro Novilunio Octobris. Si dies 11. demas, habebis 16. & 8. pro stilo veteri. Rursus ejusdem anni epacta Juliana est 14. adde 7. fiunt 21. quibus a 30. subductis, supersunt 9. pro novilunio Septembris: at si adjicias 11. habebis diem 20. pro eodem novilunio stilo Gregoriano. Additis 7. $\frac{1}{2}$ habebis Primum quadrantem: additis 15. plenilunium, cui rursus additis 7. $\frac{1}{2}$
habebis ultimum quadrantem. VI.

XLV. *Plenilunium paschale vetus invenire*. Quære in cellula III. nostri Kalendarii numerum aureum currentem, habebisque in die mensis ei respondente Novilunium ipsius mensis. Si ætas ejus 14. desinat in diem post 21. mensis illud erit paschale plenilunium: sin minus in sequenti plenilunio pascha celebrabitur, die tamen Dominico primum occurrente post lunam 14. —— Anno 365. lit. Dom. B. aureus numerus fuit 5. Hic in Martio adscribitur diei 9. quo novilunium commissum est, cujus ætas 14. desinit in diem 22. feria tertia: proindeque pascha eo anno celebratum die 27. Anno item 1770. n. aur. 4. lit. Dom. Jul. C. Num. aureus adscribitur diei 20. Martii: luna 14. cadit in diem Aprilis 3. feria sexta: proinde pascha celebratum die 4. Aprilis
stilo veteri, aut 15. stilo novo. VII.

XLVI. *Syzygias novas vel lunationes nu. aureo Nicæno invenire*. Dies, cui numerus aureus adscribitur in dato mense, ea erit in qua Novilunia

nia contingunt. Post Concilium autem Nicænum celebratum ann. 325. aliquid amplius observandum est. Nam elapsis annis 312. novilunia integro die retrocedunt. Itaque a proposito anno Christi aufer 325. & residuum divide per 312. quotiens indicabit dies, quos Novilunia antevertunt, qui a die mensis in Kalendario notata demendi sunt —— Anno 1771. numerus aureus est 5. qui in Majo adscribitur diei 7. Demtis 325. & diviso residuo 1446. per 312. quotiens, neglecto residuo, est 4. quibus a 7. demtis: restant 3. pro die novilunii ejus mensis stilo veteri, vel additis 11. fiet 14. pro stilo novo. Sic anno 1772. Num. aureus est 6. Liter. Dom. E D. Apponitur numerus aureus 6. diei 28. Martii. Hinc retrocedendo per quatuor dies solidos, incidis in diem 23. qua committitur Novilunium paschale stilo veteri, sive in diem 3. Aprilis, additis nempe undecim stilo novo, cui diei si addas 14. incidis in diem 17. liter. Domin. B. proindeque die 19. lit. Domin. D.
VIII. hoc anno pascha celebratum.

XLVII. *Festa mobilia invenire*. Invento die Paschæ, cætera prona sunt. Nam si addideris 39. Ascensionem habebis: si 49. Pentecosten: si 56. Dominicam Trinitatis: si 60. Festum corporis Christi. Contra si a die Paschæ demas 46. habebis diem Cinerum: si 63. Septuagesimam. Dominicam primam Adventus (quæ cadere modo potest inter 27. Novembris & 3. Decembris inclusive, estque proximior festo S. Andræ sive diei 30. Novembris) ope Kalendarii & literæ Dominicalis invenies. Numerum Dominicarum a Pentecoste invenies, si dividas per 7. dies qui sunt inclusive a Dominica Trinitatis ad Dominicam Adventus. Hos porro dies facilius numerabis si utaris numeris dierum collectorum in cellulis Ka-
lendarii IV. & V. IX.

XLVIII. *Ortum & occasum lunæ invenire*. Ætatem lunæ multiplica per 47. tot enim minutis quotidie serius oritur & occidit: productum dabit tempus ortus & Occasus. Sit lunæ ætas dierum 15. quibus per 47. multiplicatis, habes 705. minuta, sive fere horas 12. ut patet dividendo per 60. Igitur luna orietur circa horam XII. id est 24. diei, occidetque hora XII. noctis sequentis in plenilunio. Nam post illud oritur noctu & occidit inter-
diu, quod contra fit post novilu- X.
lunium.

XLIX. *Tempus matutini anticipandi invenire*. Horæ meridiei currentis adjice dimidium temporis quod est a meridie ad horam occasus, sive $23\frac{1}{2}$ --- Die 23. Septembris meridies est apud nos hora 17.30. Ab hac hora ad 23--30. sunt horæ sex: quarum dimidium 3. Itaque circa horam $20\frac{1}{2}$ Matutinum ea die anticipare licet. Plura vide apud Moletium.

L. Hæc ad usus vulgares Ecclesiasticos adnotasse sufficiat. Quoniam vero in his lucubrationibus nostris sæpius citare contigit Ordines Romanos, duos priores ex illis ad calcem sub Appendice edere visum est, quos habet ipse Muratorius, præsertim quia alteruter ex illis cum Gregorio Liturgiæ restauratore rationem habere aliquibus visum est.

APPENDIX

EXHIBENS DUOS PRIORES ORDINES ROMANOS.

ADMONITIO

P. MABILONII

IN PRIMUM ORDINEM ROMANUM.

1. *VARIOS fuisse Ordinis Romani libellos superius ostendimus: ex quibus tres, qui quidem ad Missam pontificalem pertinent, mox exhibituri sumus. Primus ex his, qui videtur antiquior, laudatus passim invenitur apud Amalarium, exstatque in veterrimis codicibus, Casinensi, Sancti-Gallensi, Einsidlensi, & Colbertino. In lucem primo editus est Coloniæ per Georgium Cassandrum anno MDLXI, ibidemque post annos septem recusus per Melchiorem Hittorpium: apud quos amplius quam media pars hujus libelli deest. Hanc vero ex codice insignis abbatiæ sancti Galli supplevimus, nempe a num.* 21.

2. *Ejusdem libelli antiquitatem probant in primis Eucharistiæ initio Missæ ad altare ante Pontificem delatio:* fermenti *vocabulum pro Eucharistia, ut in epistola Innocentii primi ad Decentium, num.* 22. *usurpatum: deinde rubricæ (ut vocant) quæ in libro Sacramentorum Gregorii M. leguntur pro hebdomada sancta, totidem verbis hic expressæ, prout cuivis conferenti patebit. Unde Gregorium ex hoc libello in suum Sacramentarium prædictas transtulisse rubricas veri simillimum est. Certe Amalarii auctoritas evincit, primum hunc Ordinem, cujus verba is passim laudat exponitque, seculo nono esse superiorem: & totus Missæ pontificiæ ritus, in eodem Ordine præscriptus, Gregorii ætatem meo judicio sapit. Quædam tamen processu temporis nova inserta fuere: qualia sunt quæ num.* 24. *referuntur de ritu instituto per Hadrianum Papam*, ut flecteretur pro Carolo rege, *nempe pro Carolo M. & num.* 28. *ut dicatur* oratio pro rege Francorum. *Ex quibus non nemo fortasse dubius hæreat, num istud supplementum, quod ex codice sancti Galli habuimus, sequenti libello postea fuerit adsutum. At satius est admittere, paucula hæc, quæ modo commemoravimus, antiquissimo (ut sit) libello fuisse inserta. Non dissimulem tamen Onufrio antiquiorem videri Ordinem secundo loco hic editum: propterea quod in processione ad altare pax a Pontifice ibi legatur data duobus presbyteris: cum in primo nostro ac tertio Ordine detur uni ex episcopis hebdomadariis, scilicet ecclesiæ Lateranensis, quos ante annos octingentos presbyteris successisse vir doctus existimat. Verum utrumque simul eodem tempore stare potest, ut scilicet pax detur uni ex illis episcopis, si in Ecclesia Lateranensi, cujus hebdomadarii erant, Missa celebretur: secus duobus presbyteris, si in alia ecclesia. Porro quo tempore instituti fuerint illi hebdomadarii apud Lateranum episcopi, non liquet: etsi ex actis Stephani IV. constat, eos ante hunc Pontificem fuisse institutos, ut in Commentario prævio diximus.*

3 *Colbertinum exemplar num.* 416. *quod ſubſequentem Ordinem continet, ad annos octingentos accedit, atque hunc titulum præfert:* ORDO ECCLESIASTICI MINISTERII ROMANÆ ECCLESIÆ, vel qualiter Miſſa celebretur. *at in codice ſancti Galli*, ORDO ECCLESIASTICUS R. E. &c. *quem titulum prætulimus.*

4 *Poſt hunc libellum, qui in num.* 21. *deſinit, ſequitur in codice Colbertino quædam Appendix* De officiis in noctibus a Cœna Domini uſque in Paſcha; *eademque reperitur in Vaticano n.* 487. *quæ proinde appendix viſa eſt primi hujus Ordinis Romani integro libello ſubjungenda. Hanc ſub nomine libelli Romani laudat Amalarius in lib.* 1. *cap.* xx. Additur etiam in libello memorato alter cereus, ubi dicitur - ET TUNC ILLUMINANTUR DUO CEREI, TENENTIBUS DUOBUS NOTARIIS, & reliqua. *quæ totidem verba leguntur in dicta appendice num.* 9. *ejuſque antiquitatem oſtendunt.*

PRIMUS
ORDO ROMANUS
INCIPIT ORDO ECCLESIASTICUS
ROMANÆ ECCLESIÆ,
qualiter Miſſa pontificalis celebretur.

1 PRIMO omnium obſervandum eſt, ſeptem eſſe regiones eccleſiaſtici Ordinis urbis Romæ: & unaquæque regio ſingulos habet diaconos regionarios, & uniuſcujuſque regionis acolythi per manum ſubdiaconi regionarii diacono regionis ſuæ officii cauſa ſubduntur. Quorum diaconorum ſi quando quiſpiam moritur, donec loco ejus alius ſubrogetur, illius regionis acolythi archidiacono obediunt: quia omnes acolythi, cujuſcumque regionis ſint, cauſa eccleſiaſtici officii ad miniſterium ejus pertinent: Quod etiam de ſubſequentibus Ordinibus intelligendum eſt, ſervata unicuique poſt eum proprii gradus archidiaconi (prærogativa) in ſui Ordinis miniſterio ſubditis: ut ſi quis, verbi gratia, vim paſſus fuerit, ſive ab eccleſiaſtico, ſeu a quacumque militari perſona; ſi a ſui Ordinis, primo ejus cauſa ad effectum minime pervenerit, habeat archidiaconus, id eſt vicarius Pontificis, cauſam, qualiter ſubditorum ſibi querelas abſque notitia poſſit explicare Pontificis: cætera vero per minores Ordines finiantur. Nam primo ſcire oportet, ut poſt numerum eccleſiaſticarum regionum ſciat, qui voluerit, numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obſequantur. Nam prima feria regio tertia, id eſt Paſchæ: ſecunda feria regio quarta: tertia feria regio quinta: quarta feria regio ſexta: quinta feria regio ſeptima: ſexta feria regio prima: ſabbato regio ſecunda. Ordines proprios tam in proceſſione, quam in eccleſia; vel ubicumque eos propria dies ratione ſui gradus priſca ſtatutio ire vel miniſtrare compulerit, a miniſterio Pontificis non poterit ſine ulla ſui deeſſe excommunicationis vel animadverſionis ſententia diſciplinæ. Quorum miniſteria primitus ſecundum rationem ſimplicem dupliciter diebus ſingulis dividuntur, id eſt in proceſſione Apoſtolici ad ſtationem, & in egreſſu ſacrarii uſque ad Miſſarum conſummationem.

2 Diebus itaque ſolemnibus, ſicuti eſt Paſcha, primo omnes acolythi regionis tertiæ, & defenſores omnium regionum convenientes diluculo in patriarchio Lateranenſi, præcedunt Pontificem pedeſtres ad ſtationem. Stratores autem laici a dextris, & a ſiniſtris equi ambulent, ne alicubi titubet. Qui autem eum equitantes præcedunt, hi ſunt: diacones, primicerius, & duo notarii regionarii, defenſores regionarii, ſubdiaconi regionarii. Procedunt vero diviſi turmis, ſpatium inter ſe & Apoſtolicum facientes. Poſt equum vero hi ſunt qui equitant; vicedominus, veſtararius, nomenculator, atque ſaccellarius. Unus autem ex acolythis ſtationarius præcedit pedeſter

equum

equum Pontificis, gestans sanctum chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. Sed & omnes acolythi absque sacculis, & sindonibus, & chrismate non procedunt, quod disponit stationarius. Si quis autem adire voluerit Pontificem; si equitat, statim ut eum viderit, descendat de equo, & ex latere viæ exspectet, usque dum ab eo possit audiri. Et petita ab eo benedictione discutiatur a (*a*) nomenculatore vel saccellario causa ejus: & ipsi indicant Pontifici (*b*), & finiunt, quod & similiter observabitur, etiamsi absque ulla petitione ei quisquam obvius fuerit. Qui vero pedester fuerit, tantummodo loco suo figitur, ut ab eo audiatur, vel benedicatur.

3 Die autem Resurrectionis dominicæ, procedente eo ad sanctam Mariam, notarius regionarius stat in loco qui dicitur (*c*) Merolanas, & salutato Pontifice dicit: „ In nomine Domini nostri Jesu- „ Christi baptizati sunt hesterna „ nocte in sancta Dei genitrice Ma- „ ria infantes masculi numero tan- „ ti, feminæ tantæ. Respondit Pontifex, *Deo gratias*. Et accipit a saccellario solidum unum: Pontifex autem pergit ad stationem. Feria secunda ad (*d*) remissa simpliciter. Feria tertia in reflexione porticus sancti Pauli, tantum item qui pedestres obsequuntur. In die vero sancti Paschæ omnes acolythi regionis tertiæ simul & defensores omnium regionum conveniunt primo diluculo in patriarchio Lateranensi, ut processerit Pontifex, equum illius præcedant. Acolythi autem, qui inde fuerint, observant, ut portent chrisma ante Pontificem, & Evangelia, sindones & sacculos, & aquamanus post eum, sicut supra diximus. Apostolum autem subdiaconus, qui lecturus est, sub cura sua habebit: Evangelium archidiaconus. Aqua manus, patenam quotidianam, calicem, scyphos, & (*e*) pugillares (alios argenteos) & alios aureos, & gemelliones argenteos, colatorium argenteum & aureum, & alium majorem argenteum; amas argenteas, cantatorium & cætera vasa aurea & argentea, cereostata aurea & argentea, de ecclesia Salvatoris per manum primi mansionarii sumunt, & bajuli portant. Diebus vero festis calicem & patenam majores, & Evangelia majora de vestiario dominico exigunt sub sigillo vesterarii per numerum gemmarum, ut non perdantur. Sellam autem Pontificis cubicularius laicus præcedens deportat, ut para-

ta

a Nomenculatoris officium erat convivas invitare, eorumque nomina describere, ut infra videbimus num. 18. Saccellarius idem qui thesaurarius, a sacco seu saccello.

b Sic causæ nonnunquam in ipso processu finiebantur. Unde *processus* vocabulum lingua nostra gallica pro lite fluxisse quidam viri docti opinantur.

c Locus est in monte Exquilino, haud procul a basilica sanctæ Mariæ Majoris, ubi ecclesia S. Matthæi, quæ dicitur ad Merulanas.

d Ita codex S. Galli: Colbert. *ad remissa simul*: editi *ad Missam similiter*. Locus obscurus, & forte corruptus.

e Pugillaris hoc loco significat calamum seu fistulam, qua sanguis Domini e sacro calice hauriebatur. Scyphi, calices ministeriales acolythorum, de quibus infra. Colatorium, vasculum foraminibus ab immo perforatum, quo vinum ex amulis seu ampullis repurgatum in calicem refundebatur. Gemelliones Onufrius suspicatur esse urceos, ad infundendam scilicet in manus Pontificis ejusque forsan ministrorum aquam, quæ in subjectam pelvim (aquamanum, id est aquamanile, hic vocant) excipiebatur. Anastasius in Gregorio IV. simul conjungit *amas*, *scyphos*, *gemmiliones*, ut appareat hos distinguendos esse ab amis seu amulis.

ta sit dum in sacrarium venerit.

4. Ad denunciatam stationem diebus festis primo mane præcedit omnis clerus Apostolicum, ad ecclesiam, ubi statio antea fuerit denunciata, exceptis his, qui in obsequio illius comitantur, ut supra diximus: & exspectantes Pontificem in ecclesia cum supplementario & bajulis, & reliquis qui cruces portant, sedentes in presbyterio; episcopi quidem ad sinistram intrantium, presbyteri vero ad dextram, ut quando Pontifex sederit, ad eos respiciens, episcopos ad dextram sui, presbyteros vero ad sinistram contueatur. Sed dum venerit Pontifex prope ecclesiam, exeuntes acolythi & defensores ex regione illa, cujus dies ad officium fuerit, in obsequio præstolantur eum loco statuto, antequam veniat ubi descensurus est: similiter & presbyter tituli vel ecclesiæ, ubi statio fuerit, una cum majoribus domus ecclesiæ Romanæ vel Patre diaconiæ (si tamen illa ecclesia diaconiæ fuerit) cum subdito sibi presbytero & mansionario thymiamaterium deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dum venerit. Primum acolythi cum defensoribus, deinde presbyteri cum suis petita benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad ecclesiam. Advocatores autem ecclesiæ stant quidem cum majoribus, non autem præcedunt cum eis, sed ipsi tantummodo sequuntur sellarem Pontificis cum acolytho, qui aquamanus portat. Quem semper necesse est sequi Pontificem, usque dum ad altare ascendat, paratus sub humero in presbyterio, quando vocetur a subdiacono regionario ad aquam dandam.

5 Cum vero ecclesiam introierit Pontifex, non ascendit continuo ad altare, sed prius intrat in secretarium, sustentatus a diaconibus, qui eum susceperint de sellario descendentem, ubi dum intraverit, sedet in sella sua, & diacones salutato Pontifice egrediuntur secretarium, & ante fores ejusdem mutant vestimenta sua, & parat Evangelium qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto archidiaconi super planetam acolythi: & si necesse fuerit propter majora Evangelia, duobus acolythis super planetas tenentibus parat Evangelium. Quo facto, acolythus Evangelium usque ante altare in presbyterium, præcedente eum subdiacono sequente, qui eum desuper planetam illius suscipiens, manibus suis honorifice super altare ponat. Nam egredientibus diaconibus de secretario, remanet cum Pontifice primicerius, secundicerius, primicerius defensorum, notarii regionarii, & subdiaconus sequens, qui tenet pallium Pontificis in brachio suo super planetam, in sinistro brachio cum acubus.

6 Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorum mutat vestimenta (*a*) sua hoc ordine. Defert ea plicata cubicularius tonsoratus, accepta a manibus ostiarii juxta caput scamni. Subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum Pontificem ipsa vestimenta, alius lineam, alius cingulum, alius (*b*) anagolaium, id est amictum, alius lineam dalma-

a al. sollemnia.

b In vulgatis *anabolagium*. quam lectionem tuetur eruditissimus Cangius in Glossario. At nihil tamen mutandum suasit non solum vetustissimus codex S. Galli hoc loco: sed etiam alter æque antiquus, in quo habetur Ordo Missæ episcopalis, infra: ubi *anagolai* & *anagolagi* legitur. Cæterum adverte his locis, anabolagium, sive anagolagium, id est amictum, utrobique poni super albam & cingulum, uti Maronitis presbyteris mos est etiam nunc.

maticam, & alius majorem dalmaticam, & alius planetam: & sic per ordinem induunt Pontificem. Primicerius autem & secundicerius componunt vestimenta ejus, ut bene sedeant. Novissime autem, quem voluerit domnus Pontifex de diaconibus, vel subdiaconibus, cui ipse jusserit, sumit de manu subdiaconi sequentis pallium, & induit super Pontificem, & configit eum cum acubus in planeta retro & ante, & in humero sinistro, & salutat domnum, & dicit, *Jube domne benedicere*. Respondet, *Salvet nos Dominus*. Respondet, *Amen*.

7 Deinde subdiaconus regionarius, tenens mappulam Pontificis in sinistro brachio super planetam revolutam, exiens ad (*a*) regiam secretarii (*b*) dicit: *Schola*. respondet: *Adsum*. Et ille: *Quis psallet?* respondet, *Ille & ille*. Et rediens ad Pontificem subdiaconus, porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua illius, & dicens, *Servi domini mei, talis subdiaconus regionarius leget Apostolum, & talis schola cantabit*. Et postea non licet alterum mutare in loco lectoris, vel cantoris. Quod si factum fuerit, archiparaphonista a Pontifice (*c*) excommunicabitur, id est quartus scholæ, qui semper Pontifici nunciat de cantoribus. Quod cum nunciatum fuerit, statim sequitur subdiaconus adstans ante faciem Pontificis, usque dum ei annuat Pontifex ut psallant: cui dum annuerit, statim egreditur ante fores secretarii, & dicit: *Accendite*. qui dum accenderint, statim subdiaconus sequens tenens thymiamaterium aureum, pro foribus ponit incensum, ut pergat ante Pontificem. Et ille quartus scholæ pervenit in presbyterio ad priorem scholæ, vel secundum, sive tertium, inclinato capite dicit, (*d*) *Domne jubete*.

8 Tunc illi elevantes se, per ordinem vadunt ante altare, & statuuntur per ordinem acies duæ tantum; paraphonistæ quidem hinc inde a foris; infantes ab utroque latere infra per ordinem. Et mox incipit prior scholæ antiphonam ad Introitum: quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad Pontificem in secretarium. Et tunc Pontifex elevans se, dat manum dextram archidiacono, & sinistram secundo, vel qui fuerit in ordine: & illi osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso sustentantes eum. Tunc subdiaconus sequens cum thymiamaterio procedit ante ipsum, mittens incensum; & septem acolythi illius regionis, cujus dies fuerit, portantes (*e*) septem cereostata accensa præcedunt ante Pontificem usque ante altare. Sed priusquam veniant ante altare, diacones in presbyterio exuuntur planetis; & suscipit eas subdiaconus regionarius, & porrigit illas ad acolythos regionis, cujus fuerint diaconi: & tunc duo acolythi tenentes capsas cum (*f*) Sanctis apertas, & subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsæ, ostendit Sancta Pontifici, vel diacono qui præcesserit. Tunc inclinato capite (*g*) Pontifex vel diaconus salutat Sancta, & contemplatur, ut si

a al. januam.

b al. vocat Scholam.

c Id est, ut quidem interpretari licet, ab officio suspendetur.

d al. *Domini*.

e Pro numero scilicet totidem ecclesiasticarum regionum.

f Colbertinus *Sancta*. quo nomine eucharistiam significari colligimus ex num. 17. & 18. & ex num. 30. & 34. Vide libellum Benedicti canonici S. Petri nunumero 41. & Commentarii prævii caput VI. Ergo conditorium hic locus seu vasculum erat, in quo eucharistia tum recondi solebat.

g Sic Colbert. editis *super*, sed eodem sensu.

si fuerit (*a*) superabundans, præcipiat ut ponatur in conditorio. Tunc peraccedens, antequam veniat ad scholam, dividuntur cereostata, quatuor ad dextram, & tres ad sinistram partem: & pertransit Pontifex in caput scholæ, & inclinat caput ad altare, surgens & orans, & faciens crucem in fronte sua, & dat pacem uni episcopo (*b*) de hebdomadariis & archipresbytero, & diaconibus omnibus: & respiciens ad priorem scholæ, annuit ei ut dicat *Gloriam*: & prior scholæ inclinat se Pontifici, & imponit. Quartus vero scholæ præcedit Pontificem, ut ponat (*c*) oratorium ante altare: & accedens Pontifex orat super ipsum, usque ad repetitionem (*d*) versus. Nam diaconi surgunt quando dicitur, *Sicut erat in principio*, ut salutent altaris latera, prius duo, & duo vicissim, redeuntes ad Pontificem. Et surgens Pontifex osculatur Evangelia & altare, & accedit ad sedem suam: & stat versus ad Orientem.

9 Schola vero, finita antiphona, imponit *Kyrie eleison*. Prior vero scholæ custodit ad Pontificem, ut ei annuat si vult mutare (*e*) numerum letaniæ, & inclinat se Pontifici. Quando vero finierint, dirigens se Pontifex contra (*f*) populum, incipit, *Gloria in excelsis Deo*, & statim regyrat se ad orientem, usque dum finiatur. Post hoc dirigens se iterum ad populum dicens, *Pax* (*g*) *vobis*. & regyrans se ad orientem, dicit, *Oremus*. & sequitur oratio: post finitam (*h*) sedet; similiter episcopi, vel presbyteri sedent.

10 Tunc ascendunt subdiaconi regionarii ad altare statuentes se ad dextram, sive ad sinistram altaris. Tunc Pontifex annuit episcopis & presbyteris ut sedeant. Subdiaconus vero qui lecturus est, mox ut viderit post Pontificem episcopos & presbyteros residentes, ascendit in ambonem, & legit. Postquam legerit, cantor cum (*i*) cantatorio ascendit, & dicit (*k*) responsum. Si

a Ita Colbert. alii habent *Pontifici vel diacono*, sed mendose.

b Nempe uni ex septem episcopis hebdomadariis patriarchii Lateranensis, de quibus superius in Comment. prævio.

c Faldistorium appellant recentiores. Colbert. male, *Oratorium super altare*.

d Id est antiphonæ ad Introitum. Confer num. 21.

e Huc spectat id quod ait Paris de Crassis, *Kyrie* in Missis papalibus tamdiu dici, quamdiu reverentia Papæ per cardinales facienda durat. Colbert. *inclinet se Pontifici, quam dum finierint, incipit Pontifex* GLORIA IN EXCELSIS DEO, *si tempus fuerit. Non sedeat antequam dicant post orationem* AMEN. *Et tunc ascendant subdiaconi regionarii ad altare*, &c. Idem Patris observat vetustissimum esse capellæ papalis morem, ut eodem tono invariato cantetur hymnus angelicus his notis, *Ut re fa fa fa mi fa sol mi, sol fa mi mi.*

f Nunc facie versa ad orientem seu altare, quod probat Amalarius in Officialis lib. III. cap. VIII.

g Idem Amalarius sub fine alterius præfationis ad libellum (ut vocat) Officialem, inter ea quæ *a Romana sede* accepit, *Prima salutatio ad populum*, inquit, PAX VOBIS *pronunciatur, non* PAX VOBISCUM. Vide ejusdem lib. cap. IX.

h Idem auctor in lib. III. cap. V. sub initium, tradit morem inolevisse, *ut non sedatur in ecclesia* ante finem hujus orationis: qua de re in libello tertio, qui subsequitur.

i Quid sit cantatorium, discimus ex Amalarii Præfatione in Antiphonarium. *Notandum est*, ait, *volumen quod nos vocamus Antiphonarium, tria habere nomina apud Romanos. Quod dicimus* gradale, *illi vocant* cantatorium.

k Amalarius ipse in lib. III. cap. XI. *Lectionem quæ legitur post sessionem, sequitur cantus, qui vocatur responsorius. Responsorium vero iidem qui supra Itali tradiderunt, quos inde responsorios cantus vocant, quod alio desinente id alter respondeat*. Hinc *psalmus responsorius* apud Gregorium Turonensem in lib. VIII. cap. III. quod uno versu dicto per cantorem, idem a choro seu populo repeteretur, & sic consequenter de aliis. Gradalem seu gradualem posteri appellarunt, quod in pogio seu ambone caneretur, teste ecloga Amalarii.

Si fuerit tempus ut dicatur *Alleluja*, bene: sin autem, tractum; sin minus, tantummodo responsum.

11 Deinde diaconus osculans pedes Pontificis tacite, dicit ei Pontifex, *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis*. Deinde venit ante altare, & osculatis Evangeliis levat in manus suas codicem: & procedunt ante ipsum duo subdiaconi regionarii, levantes thymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensum. Et ante se habent duos acolythos portantes duo cereostata. Venientes ad (*a*) ambonem, dividuntur ipsi acolythi ante ambonem, & transeunt subdiaconi & diaconus cum Evangelio per medium eorum. Ille qui absque thymiamaterio est, vertens se ad diaconem, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit. Et interposito digito suo diaconus in loco lectionis ascendit ad (*b*) legendum, & illi duo subdiaconi redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Finito evangelio dicit Pontifex, (*c*) *Pax tibi*. Deinde dicit, *Dominus vobiscum*. Respondetur, *Et cum spiritu tuo*. & dicit, *Oremus*. Descendente autem diacono, subdiaconus, qui prius aperuerat, recipit Evangelium, & porrigit eum subdiacono sequenti, qui in filo stat: quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculandum omnibus per ordinem graduum qui steterint. Et post hoc præparato acolytho in pogio juxta ambonem cum (*d*) capsa, in qua subdiaconus idem ponit Evangelium ut sigilletur. Acolythus autem regionis ejusdem, cujus & subdiaconus est, revocat Evangelium ad Lateranis.

12 Deinde pergente diacono ad altare, stante acolytho cum calice & corporali super eum, levat calicem in brachio suo sinistro, & porrigit diacono corporalem, ut accipit desuper calice, & ponit eum super altari a dextris, projecto capite altero ad diaconem secundum ut expandant. Tunc ascendunt ad sedem primicerius & secundicerius & primicerius defensorum cum omnibus regionariis & notariis: subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur archidiaconum.

13 Pontifex descendit ad senatorium, tenente manum ejus dextram primicerio notariorum, & primicerio defensorum sinistram: & suscipit oblationes principum per ordinem (*e*) archium. Archidiaconus post eum suscipit amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono regionario: quem sequitur cum scypho super planetam acolythus, in quo calix impletus refunditur. Oblationes a Pontifice suscipit subdiaconus regionarius, & porrigit subdiacono sequenti, & subdiaconus sequens ponit in sindonem, quem tenent duo acolythi. Reliquas oblationes post Pontificem suscipit episcopus hebdomadarius, ut ipse manu sua mittat eas in sindonem, quæ eum sequi-

a Nullus amplius ambonum usus apud Romanos a tempore Paridis de Crassis.

b *Diaconus, cum legit evangelium, juxta Romanum Ordinem vertitur ad meridem*, ex Micrologi cap. IX. *non ad aquilonem, ubi feminæ consistunt*.

c Id habes in secundo Ordine Romano.

d Nulla hic mentio symboli post evangelium, sic vero in sequenti. Consule Commentarii prævii caput VI. Romani, teste Amalario in altera Præfatione ad libros de ecclesiasticis Officiis, *post evangelium non afferunt incensum super altare*. Accedit Micrologus in cap. XX.

e Ita Colbert. Quidam codices habent *arcuum*, alii omittunt. Retinenda videtur lectio codicis Colbertini, ut significet ordinem principem seu præcipuum.

quitur. Poſt quem diaconus, qui ſequitur poſt archidiaconem, ſuſcipit (amulas) & manu ſua refundit in ſcyphum. Pontifex vero antequam tranſeat in partem mulierum, deſcendit ante confeſſionem, & ſuſcipit * oblatas primicerii, & ſecundicerii, & primicerii defenſorum. Nam diebus feſtis poſt diacones ad altare offerunt. Similiter aſcendens Pontifex in partem feminarum, ordine quo ſupra omnia explet. Similiter & presbyteri, ſi neceſſe fuerit, poſt eum vel in presbyterio faciunt.

14 Poſt hoc Pontifex, tenente ei manum primicerio & ſecundicerio, redit ad ſedem ſuam, abluit manus ſuas. Archidiaconus ſtans ante altare, expleta ſuſceptione lavat manus ſuas. Deinde reſpicit in faciem Pontificis, annuit ei, & ille reſalutato accedit ad altare. Tunc ſubdiaconi regionarii levantes oblatas de manu ſubdiaconi ſequentis ſuper brachia ſua, porrigunt archidiacono, & ille componit altare. Nam ſubdiaconi hinc inde porrigunt. Ornato vero altari, tunc archidiaconus ſumit amulam Pontificis de ſubdiacono oblationario, & refundit ſuper colum in calicem, deinde ** diaconorum; & in die feſto, primicerii, ſecundicerii, primicerii defenſorum. Deinde deſcendit ſubdiaconus ſequens in ſcholam, accipit (*a*) fontem de manu archiparaphoniſtæ, & defert archidiacono; & ille infundit faciens crucem (*b*) in calice. Tunc aſcendunt diaconi ad Pontificem. Quos videntes primicerius, ſecundicerius, & primicerius defenſorum regionariorum, & notarii regionarii, & defenſores regionarii, deſcendunt de aciebus, ut ſtent in loco ſuo.

15 Tunc ſurgens Pontifex a ſede, deſcendit ad altare, & ſalutat altare, & ſuſcipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarii & diaconorum. Deinde archidiaconus ſuſcipit oblatas Pontificis de oblationario, & dat Pontifici. Quas dum poſuerit Pontifex in altare, levat calicem archidiaconus de manu ſubdiaconi regionarii, & ponit eum ſuper altare juxta oblatam Pontificis (*c*) a dextris, involutis anſis cum offertorio: quem ponit in cornu altaris, & ſtat poſt Pontificem: & Pontifex inclinans ſe paululum ad altare, reſpicit ſcholam, & annuit ut (*d*) ſileant.

16 Tunc finito offertorio, epiſcopi ſtant poſt Pontificem, primus in medio, deinde per ordinem, & archidiaconus a dextris epiſcoporum, ſecundus diaconus a ſiniſtris, & cæteri per ordinem diſpoſita acie. Et ſubdiaconi regionarii, finito offertorio, vadunt retro altare aſpicientes ad Pontificem, ut quando dixerit, *Per omnia ſecula*, aut *Dominus vobiſcum*, aut *Surſum corda*, aut *Gratias*, ipſi ſint ad reſpondendum, ſtantes erecti, uſque dum incipiunt dicere hymnum angelicum, id eſt *Sanctus*. quem dum expleverint, ſurgit Pontifex ſolus, & intrat in Canonem. Epiſcopi vero, diaconi, ſubdiaconi, & presbyteri in presbyterio permanent.

* *al.* oblationes. ** *al.* diaconi.

a Id eſt aquam. Vide Ordinem Romanum de Miſſa epiſcopali infra. Eumdem ritum in Gallia obſervatum fuiſſe docet Johannes Abrincatenſis epiſcopus apud Menardum noſtrum pag. 275. *Cantor aquam linteo coopertam in feſtis diacono deferat, quam diacones vino miſceat.*

b Non ſuper fontem ſeu aquam, ut modo fit, ſed aquam in calicem infundendo in crucis modum.

c Hoc eſt quod a Romanis acceptum tradit Amalarius in fine ſecundæ Præfationis ad libros Officiales: *Calix in latere oblatæ componitur, non poſt tergum.* Idem ex Micrologi cap. x.

d Quale fuerit tunc Offertorium, leges inferius nu. 26.

nent (*a*) inclinati. Et cum dixerit, *Nobis quoque peccatoribus*, ſurgunt ſubdiaconi: cum dixerit, *Per quem hæc omnia, Domine*, ſurgit archidiaconus ſolus. Cum dixerit, *Per ipſum & cum ipſo*, levat cum offertorio calicem per anſas, & tenens (*b*) exaltat illum juxta Pontificem. Pontifex autem tangit a latere calicem cum oblatis, dicens, *Per ipſum, & cum ipſo*, uſque *Per omnia ſecula ſeculorum, amen*. Et ponit Pontifex oblationes in loco ſuo, & archidiaconus calicem juxta eas, dimiſſo offertorio (*c*) in anſis ejuſdem.

17 Nam quod intermiſimus de patena, quando incoat (*d*) Canonem, venit acolythus, ſub humero habens ſindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus ſuum in parte dextra uſque in medium Canonem. Tunc ſubdiaconus ſequens ſuſcipit eam ſuper planetam, & venit ante altare, exſpectans quando eam ſuſcipiat ſubdiaconus regionarius.

18 Finito vero Canone, ſubdiaconus regionarius ſtat cum patena poſt archidiaconum: quando dixerit, *& ab omni perturbatione ſecuri*, vertit (*e*) ſe archidiaconus, & oſculata patena, dat eam tenendam diacono ſecundo: cum dixerit, *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, faciens crucem tribus vicibus manu ſua ſuper calicem, mittit (*f*) Sancta in eum. Sed archidiaconus pacem dat epiſcopo priori, deinde cæteris per ordinem, & populis.

19 Tunc Pontifex rumpit oblatam ex latere dextro; & particulam, quam (*g*) rumpit, ſuper altare relinquit: reliquas vero oblationes ſuas ponit in patenam, quam tenet diaconus, & redit ad ſedem. Mox primicerius, & ſecundicerius, & primicerius defenſorum cum omnibus regionariis & notariis aſcendunt ad altare, & ſtant in ordine ſuo a dextris & a ſiniſtris. Nomenculator vero, & ſaccellarius, & notarius vice-domini, cum dixerint *Agnus Dei*, tunc aſcendunt adſtare ante faciem Pontificis, ut annuat eis ſcribere nomina eorum, qui invitandi ſunt, ſive ad menſam Pontificis per nomenculatorem, ſive ad vicedomini per notarium ipſius: quorum nomina ut compleverint, deſcendunt ad invitandum. Nam archidiaconus levat calicem, & dat eum ſubdiacono regionario, quem tenet juxta cornu altaris dextrum. Et accedentes ſubdiaconi ſequentes cum acolythis, qui ſaccula portant, a dextris & a ſiniſtris altaris, extendentibus acolythis brachia cum ſacculis; ſtant ſubdiaconi ſequentes a fron-

a De hac inclinatione Amalarius in lib. III. c. XXIII. *Perſeverant retroſtantes inclinati, uſque dum finiatur omnis præſens Oratio*, quam Canonem vocant.

b Hoc etiam in loco Græci & Orientales plerique primum extollunt calicem cum hoſtia conſecrata.

c Hunc ritum obſervat Amalarius ſub finem alterius Præfationis ad Officialem, & in ejuſdem operis lib. III. c. XXVI.

d Hic articulus totidem verbis ex libello Romano adducitur apud Amalarium in lib. III. cap. XXVII.

e Id ex Romano Ordine tradit Micrologus in cap. XVII.

f Colbet. poſt *ſemper vobiſcum*, cæteris omiſſis ſubdit, *mittet in calicem de Sancta*; & ſic apud Amalarium in lib. III. cap. XXXI. *Dicit libellus memoratus*, ſcilicet Romanus, CUM DIXERIT, *Pax Domini* &c. MITTIT IN CALICEM DE SANCTA. quæ *Sancta* eadem eſſe videntur quæ ſupra num. 8. & quæ *particula fermenti* infra num. 22. nempe antea conſecrata, & in futurum ſacrificium reſervata: alia vero infra nu. 19. Idem Amalarius ibidem adducit ſequentia verba ex libello memorato: *Sed archidiaconus pacem dat*, &c.

g Ita legit Amalarius in lib. III. cap. XXXI. melius quam in editis & in codice S. Galli, *quam rumpit, partem ſuper altare relinquit*; rectius etiam quam Colbert. *quam ruperit, tollit, partem aliam ſuper altare*, &c.

fronte, ut parent ſinus ſacculorum archidiacono ad ponendas oblationes prius a dextris, deinde a ſiniſtris. Tunc acolythi vadunt (*a*) dextra lævaque per epiſcopos circum altare: reliqui deſcendunt ad preſbyteros, ut confringant hoſtias. Patena præcedit juxta ſedem, deferentibus eam duobus ſubdiaconibus regionariis ad diacones ut frangant. Sed illi aſpiciunt in faciem Pontificis, ut eis annuat frangere. Et dum annuerit, reſalutato Pontifice confringunt. Et archidiaconus, evacuato altari oblationibus, (*b*) præter particulam, quam Pontifex de propria oblatione confracta ſuper altare reliquit, (quia ita obſervant, ut dum Miſſarum ſollemnia peraguntur, altare ſine ſacrificio non ſit) reſpicit in ſcholam, & annuit eis ut dicant *Agnus Dei*. & vadit ad patenam cum cæteris. Expleta confractione, diaconus minor levata de ſubdiacono patena, defert ad ſedem, ut communicet (*c*) Pontifex. Qui dum communicaverit, de ipſa Sancta, quam momorderit, ponit in manus (*d*) archidiaconi, dicendo in calice, „ Fiat „ commixtio, & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri „ Jeſu Chriſti accipientibus nobis „ in vitam æternam amen. Pax „ tecum. Et cum ſpiritu tuo. " & confirmatur (*e*) ab archidiacono.

20 Deinde venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & adnunciat (*f*) ſtationem: & refuſo parum de calice in ſcyphum inter manus acolythi, accedunt primo epiſcopi ad ſedem, ut communicent de manu Pontificis ſecundum ordinem: (*g*) ſimiliter & preſbyteri ut communicent poſt eos. Epiſcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi, & ſtat in cornu altaris ſequentis ordinis uſque ad primicerium defenſorum. Deinde archidiaconus accepto de manibus illius calice, refundit in ſcyphum, quem ſupra diximus: & tradit calicem ſubdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum. Calicem autem accipit ſubdiaconus ſequens; * dat acolytho, quem ille revocat in paratorium. Qui dum confirmaverit quos Papa communicat, deſcendit Pontifex a ſede cum primicerio notariorum & primicerio

(*a*) Colbert. *vadunt ad lævam epiſcoporum*.

(*b*) Colbert. *oblationibus, reſpicit ad ſcholam*, cæteris omiſſis; in editis tantum incluſa parentheſi deſunt, habentur autem in codice S. Galli, ſane haud parvi pendenda: ad quæ reſpexit Amalarius in lib. III. Officialis cap. XXXV. *Remanetque in altari particula uſque ad finem Miſſæ*. Micrologus in cap. XVII. cenſet eam fuiſſe reſervatam pro *communicaturis ſive infirmis*. Sed ratio hic allata videtur potior.

(*c*) Nempe ſtans, & quidem converſus ad orientem, ex quarto Ordine Romano de Miſſa epiſcopali num. 10. & ex aliis poſterioribus libellis.

(*d*) Paulo aliter Amalarius in l. III. cap. XXXI. *Ponit inter manus archidiaconi in calicem*, ut in ante vulgatis, addito, *faciens crucem ter*. Colbert. *Ponat in calice in manus archidiaconi dicendo, Fiat* &c. Poſt ſuperiora ita commentatur ibidem Amalarius: *Si hoc ita agitur in Romana eccleſia, ab illis poteſt addiſci, quod ſignificet bis poſitus panis in calicem. Non enim vacat a myſterio quidquid in eo officio agitur juxta conſtitutionem Patrum*.

(*e*) Sumendo ſcilicet ſanguinem Dominicum *pro complemento communionis*, ut loquitur Micrologus in cap. XIX. Præclarum hoc ſane ſpecimen communionis generalis, etiam ſacerdotum & epiſcoporum.

(*f*) Quo modo hæc denunciatio futuræ ſtationis fieret, leges in libello Benedicti canonici num. 33.

(*g*) Colbertinus variat hoc loco: *Sed presbyteri omnes accedant ut communicent ad altare*: quæ lectio convenit cum aliis duobus libellis infra. Paulo poſt idem Colbert. *Deinde archidiaconus de manu illius ſuſcipiens calicem, refundit in ſcyphum*, &c. Clarius, ſed eodem ſenſu.

* *Colb.* de acolytho.

rio defenforum, tenentibus ei manus, ut communicet eos qui in fenatorio funt: poft quem archidiaconus confirmat. * Poft hæc epifcopi communicant populum, annuente eis primicerio cum manu fub planeta, percontato Pontifice. Poft eos diaconi confirmant. Deinde tranfeunt in partem finiftram, ut faciant fimiliter. Presbyteri autem, annuente primicerio, juffu Pontificis communicant populum: & ipfi viciffim confirmant. Nam mox ut Pontifex cœperit in fenatorio communicare, ftatim fchola incipit antiphonam ad communionem per vices cum fubdiaconibus, & (*a*) pfallunt, usque dum, communicato omni populo, annuat Pontifex ut dicant *Gloria Patri*. & tunc repetito verfu quiefcunt. Et Pontifex mox ut communicaverit in parte mulierum, redit ad fedem: & communicat regionarios per ordinem, & eos qui in filo fteterant: & in diebus feftis de fchola XII. Nam cæteris diebus in (*b*) presbyterio communicant. Poft hos omnes redeuntes nomenculator & faccellarius, & acolythus, qui patenam tenet, & qui manutergium tenet, & qui aquam dat, ad fedem communicant, & poft Pontificem archidiaconus eos confirmat.

21 Adftat autem fubdiaconus regionarius ante faciem Pontificis, ut annuat ei. Ille vero contemplans populum, fi jam communicati fint, & annuit ei. Et ille (*c*) vadit ad humerum, afpicit ad primum fcholæ, faciens crucem in fronte fua, annuit ei dicere *Gloriam*: & ille refalutato, dicit *Gloria*, *Sicut erat*, & verfum. Finita autem antiphona furgit Pontifex cum archidiacono, & veniens ante altare dat orationem ad complendum, (*d*) directus ad orientem. Nam in ifto loco, cum *Dominus vobifcum* dixerit, non fe dirigit ad populum. Finita vero oratione, cui præceperit archidiaconus de diaconibus, afpicit ad Pontificem ut ei annuat, & dicit ad populum, *Ite Miffa eft*. Refpondent, *Deo gratias*. Tunc feptem cereoftata præcedunt Pontificem, & fubdiaconus regionarius cum thuribulo ad fecretarium. Defcendente autem illo in presbyterium, (*e*) epifcopi primum dicant, *Jube domne benedicere*. Refp. *Benedicat nos Dominus*. Refp. *Amen*. Poft epifcopos presbyteri; deinde monachi; deinde fchola; deinde milites draconarii, id eft qui figna portant: poft eos bajuli, poft eos cereoftatarii; poft quos acolythi, qui (*f*) rugam obfervant: poft eos extra presbyterium cruces portantes; deinde manfionarii juniores: & intrat in fecretarium.

II.

* *Colb.* Poft archidiaconem.

(*a*) Hinc patet, antiphonam, quæ hodie Communio dicitur, olim pfalmo decantando præmiffam fuiffe: quod Micrologus diferte habet in capit. XVIII. Confer Liturgiam Gallicanam lib. I. c. V. num. 27. In Colbertino fic legitur: *Statim fchola incipit antiphonam ad communionem & pfallant ufque dum communicat populus omnis. Nam Pontifex mox ut communicaverint in paries mulierum*, &c.

b Colbert. *Nam cæteris diebus presbyteri ubi potuerint communicent.*

c Colbert. *Et ille afpicit ad primum fcholæ.*

d Colbert. his omiffis ita habet, *dat orationem ad complendum. Qua finita, cui præceperit archidiaconus de diaconibus*, &c. Nunc facerdos converfus ad populum dicit *Dominus vobifcum*, etiam hoc loco.

e Aliter Colbert. *Epifcopus primus veniat ante eum, dicens*, JUBE DOMNE BENEDICERE, &c.

f Non prætermittenda lectio codicis Colbertini, ubi pro *rugam* legitur *regiam*, id eft aditum feu januam cancellorum quas acolythi obfervare folebant. Bajulorum officium habes fupra n. 3.

II. *Si autem summum Pontificem, ubi statio fuerit, contigerit non adesse; hæc sunt, quæ ab alio episcopo dissimiliter fiunt.*

22 In primis, quod non illi, sed diaconi præcedunt cum cereostato, vel thuribulo.

Secundum namque quod non sedet in sede post altare.

Tertio non dicit orationem post altare, sed in dextro latere altaris.

Quartum non ipse episcopus, sed diaconus in eo loco, ubi consuetudo est, * cinnat.

Quinto loco, post finitum Canonem, ubi dicitur, *Per quem hæc omnia, Domine*, non levatur calix ab archidiacono.

Sexto loco, quando dici debet, *Pax Domini sit semper vobiscum*, deportatur a subdiacono oblationario particula (*a*) fermenti, quod ab Apostolico consecratum est, & datur archidiacono: ille vero porrigit episcopo. At ille consignando tribus vicibus, & dicendo, *Pax Domini sit semper vobiscum*, mittit in calicem.

Nam & hoc dissimiliter facit, quod Apostolicus non confringit: ipse vero super pallam, quæ corporalis dicitur, in altare confringit. Deinde communicant omnes præter episcopum tantum, quod non sua manu communicat. Si in ipsius manum mittit partem, & ipse se communicat cum propria manu. Similiter facit presbyter presbytero, & diaconus diacono. Nam reliqua omnia similiter ut summus Pontifex facit.

Similiter etiam & a presbytero agitur, quando in statione facit Missas, præter *Gloria in excelsis Deo*: quia a presbytero non dicitur nisi in Pascha. Episcopi, qui civitatibus præsident, ut summus Pontifex, ita omnia peragunt.

III. *Feria IV. initium Quadragesimæ.*

23 Colligunt se omnes ad ecclesiam sanctæ Anastasiæ circa horam septimam. Ingreditur Pontifex in secretarium, induit se vestibus. Schola vero canit antiphonam ad Introitum.

24 Tunc adveniens pontifex ascendit ad altare. Ut autem finita fuerit antiphona, stans Pontifex a dextris altaris directus ad populum, dicit, *Dominus vobiscum*; deinde regyrat se ad orientem: dicit, *Oremus*. Diaconus, *Flectamus genua*; deinde, *Levate*. sequtitur oratio. Deinde incipitur antiphona, *Per viam*. Ut autem prope ecclesiam venerint, incipient letaniam. Ut autem ingressi fuerint ecclesiam, Pontifex ingreditur in secretarium. Schola pergit decantando usque ad altare. Ut autem finierint letaniam, post paululum incipiunt antiphonam ad Introitum. Deinde veniens Pontifex ascendit ad sedem, dicit, *Oremus*. Diaconus, *Flectamus genua*, &, *Levate*. Deinde post orationem legitur lectio, & celebratur Missa more solito. Postquam autem dixerit communionem, a diacono dicitur, *Humiliate capita vestra Deo*. Clerus respondet, *Deo gratias*. & dicitur oratio super populum. Finita oratione dicit diaconus, (*b*) *Ite Missa est*. Simili modo agitur secunda feria, quarta feria, sexta feria, & sabbato per totam Quadragesimam. Nam sabbato tempore A-

* *f.* signat.

a Notandus hic locus de fermento pro eucharistia. Confer num. 8. & 19. supra, & Commentarii nostri prævii caput VI.

b Nunc per totam Quadragesimam, exceptis festis, dicitur *Benedicamus Domino*. Vide Micrologi cap. 46., & confer cap. 34.

ADRIANI institutum est, ut flecteretur pro CAROLO (*a*) rege: antea vero non fuit consuetudo.

25 Tertia feria, seu quinta feria ut ad Missas intraverint, dicit *Dominus vobiscum*; & diaconus, *Flectamus genua*, &, *Levate*. Missa finita dicit diaconus, *Humiliate* (*b*) *capita vestra Deo*. Et inclinant se omnes ad orientem. Et dicit Pontifex orationem super populum: diaconus, *Ita Missa est*. Cæteri vero episcopi, aut presbyteri, qui collectam non faciunt, vel statio non fuerit in ipsa ecclesia, per totam hebdomadam similiter faciunt, quomodo isti in duobus diebus peragunt. Item de eo quod (*c*) *Gloria in excelsis Deo*, usque in caput Quadragesimæ in Dominicis diebus cantatur. A presbyteris vero *Gloria in excelsis Deo* minime cantatur, nisi solum in Pascha. Ab episcopis autem omni tempore in Dominicis, seu festis diebus cantatur. Nam quando letania agitur, nec *Gloria in excelsis Deo*, nec *Kyrie eleison* post Introitum, nec *Alleluja* cantatur, excepto letania majore.

26 Item de responsorio graduali, ab incipiente usque ad finem cantatur, & versus similiter. Similiter in quotidianis diebus *Alleluja* simili modo. In quotidianis vero diebus, si voluerint, tantum prima dicitur.

Item candelabra tenentur in manibus usque dum ad repetitionem incipiunt: postea deponuntur in pavimentum. Et post primam orationem Missæ datam deportantur ante altare. Item *Gloria* dividitur, sed tantum festis diebus. Ad repetendum vero, sive festis diebus, seu quotidianis, semper incipitur. Tantum semel de offertorio, seu & versu (*d*) ipsius, duabus vicibus ad unam Missam domno Papæ cantatur.

IV. *Incipit Ordo a Dominica mediana usque in Octavas Paschæ*.

27 Igitur a Dominica, quam Sedes apostolica (*e*) Medianam voluit nuncupari, usum observantiæ credimus intimandum: unde & ea, quæ ipsa die dicuntur, numerum dierum ostendunt, ut est illud, *Quarta-decima die ad vesperum*: & paulo post, *In quinta-decima solemnitatem celebrabitis*. A quo die usque in vigiliam sanctæ dominicæ resurrectionis in nullo responsorio decantatur *Gloria*, nec in *Venite*; a Cœna vero Domini, nec in psalmis, nec in ullo loco decantatur *Gloria* usque in Pascha. Dominica in Palmis, cum evangelium legitur, dicit diaconus, *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. Item dicat, *Passio domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum*. Resp. *Gloria tibi Domine*.

28 Feria IV. quæ est pridie in Cœna Domini, hora tertia Pontifex cum clero & ordine suo procedat ad altare in ecclesia majore, & di-

H 2

a Nempe Carolo Magno, quæ verba innuunt hæc posterioris esse instituti. Vide num. 28.

b De hoc ritu videsis Amalarium in Præfatione altera ad Officialem, sub finem Præfationis.

c Neque modo *Gloria in excelsis* dicitur a Septuagesima ad Pascha extra festa; semper vero *Kyrie eleison*.

d Duo distinguuntur in Offertorio, nempe ipsum Offertorium, & versus; qualia Offertoria inveniuntur in vetustis libris cum duobus aut tribus versibus. Vide Amalarium in lib. III. cap. XIX. in fine.

e Sic appellat Dominicam Passionis Ordo Romanus vulgatus, in quo multa fusius quam hic habentur a pag. 41.

& dicit orationes (*a*) solemnes hoc ordine. *Oremus*. Dat orationem, *Deus a quo & Judas*. Post *Amen* sequitur & dicit orationes solemnes, sicut in Sacramentorum continetur; tantummodo pro se intermittit. Dicit orationem pro rege Francorum, deinde reliquas per ordinem, ad ultimum pro Judæis non flectunt genua. Quibus expletis osculatur alta, & egreditur. Postea vero hora octava ingrediuntur ad Missas hoc ordine. Dicit schola antiphonam ad Introitum, & Pontifex dat orationem. Legitur lectio una, sicut in (*b*) Capitulare continetur. Sequitur Gradale, *Ne avertas*, & legitur alia lectio. Postquam cantatur canticum, *Domine exaudi*, cum versibus suis. Evangelium vero pronunciabitur ita, *Passio domini nostri Jesu Christi secundum Lucam*, & incipit legere: qua perlecta, expletur Missa ordine suo.

V. *Feria V. Cœnæ Domini*.

29 Media (*c*) nocte surgendum est, & tangitur signum: & post hæc nonnisi in nocte sanctum Pascha ad Matutinum. At vero ecclesia omni lumine decoretur, & more solito *Deus in adjutorium meum* non dicant, nec *Gloriam*, nec Invitatorium: sed cantor incipit in psalmis antiphonam, sicut in Antiphonario continetur. Nec presbyter complet in fine (*d*) orationem, sed tacite surgendum est, & lector benedictionem non petat; & quando finit, non dicat, *Tu autem*; sed ex verbis lectionis jubetur facere finem. Lectiones vero legantur tres de lamentatione Hieremiæ prophetæ, ubi dicit, *Quomodo sedet sola civitas*, usque, *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion*. Tres de tractatu sancti Augustini in psalmo *Exaudi*, *Domine*, *orationem meam* primo. Tres de Apostolo, ubi ait ad Corinth. cap. LVII. *Ego accepi a Domino quod & tradidi vobis*. IX. psalmos, IX. lectiones, IX. responsoria. Cum autem omnia complenda sunt, sequitur (*e*) Matutinum. Matutino completo non dicatur *Kyrie eleison*, nec, *Et ne nos inducas in tentationem*.

30 Hora autem tertia ingressi sacrarium, induuntur dalmaticis, tam Pontifex, quam omnes diaconi, vel omni ornamento, sedente Pontifice in sella sua: & præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo, & commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam: illam vero aliam ministri teneant plenam, & Pontifex lotis manibus procedit cum septem cereostata ad Missas. Dicta autem antiphona ad Introitum dicit *Gloria in excelsis Deo*, & orationem. Legitur Apostoli lectio, *Fratres convenientibus vobis in unum*, usque, *ut non cum hoc mundo damnemur*. Sequitur Grada-

a Amalarius in libr. I. cap. XI. observat hac die quintam varietatem, nempe ex adjectione unius lectionis & unius responsorii cum quinque versibus, ac ex Passione Domini, necnon etiam, *ut scriptum habemus in libello qui dicitur Romanus Ordo, ex genuflexione*. Tum addit: *Intimat supra dictus libellus, ex Romana consuetudine debere eadem die ante publicum officium orationes, quas solemus in sexta feria agere, recitari*: quæ verba huc spectant. De genuflexione vide Micrologum c. 52.

b Capitulare appellant indicem Epistolarum & Evangeliorum ad Missas, quæ in fine librorum sacrorum antiquitus primis ac postremis verbis designari solebant. Vide tomum 2. Capitulorum col. 1310.

c Ergo etiam hoc triduo Romani nocturnas vigilias faciebant media nocte.

d Id est, in fine orationis *Respice quæsumus Domine*, &c. non addit more solito, *Qui tecum vivit* &c.

e Matutini nomine intelliguntur Laudes, quas vocamus, ut in Regula sancti Benedicti.

dale: *Christus factus est pro nobis*. Legitur evangelium secundum Johannem cap. CXII. *In illo tempore sciens Jesus quia venit hora ejus*, usque *quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Ante quam dicatur, *Per quem hæc omnia*, benedicitur oleum pro infirmis quod populus affert, & deinceps peragitur Missa ordine suo. Qua expleta, communicat episcopus solus ante altare, & diaconus confirmat eum cum calice.

31 Illa tantummodo die, postquam communicaverit, ponit calicem super altare: deinde accepta a subdiacono patena, ponit juxta calicem de latere sinistro; & statim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de sindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris e regione Pontificis, post corporalem expansum. Et continuo (*a*) duo acolythi involutas ampullas cum sindone alba serico, ita ut videri possint a medio, tenent in brachio sinistro, projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingat scapulam dextram, qua tentius possint dependentia retinere. A quibus sub humero stantibus venit subdiaconus, & accipit ampulam commixtam una cum sindone, & dat eam archidiacono, & ille defert Pontifici ante altare. Tunc Pontifex respiciens ad orientem, & diaconus tenet ante ipsum ampullam in sinistro brachio revolutam sindone, ut supra diximus. Hic halat ter in ampullam chrismatis, & dicit Pontifex *Sursum corda*. Resp. *Habemus ad Dominum*; & intrat in consecrationem chrismatis excelsa voce: sed antequam benedicatur, insufflat ter in ampullam. Qua expleta, benedicit ampullam olei ordine quo supra delatam: & similiter halat in ipsam, sed tacite. Ampulla autem, quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine nuda videatur, sed tenente eam acolytho, omnes eam per ordinem salutent, quam episcopus & diaconus prius nudam salutant. Hoc expleto, ablutis manibus Pontifex venit ante altare, communicat omnis populus ordine suo, & servat de Sancta usque in crastinum.

32 Ea vero die hora nona faciunt (*b*) excuti ignem de lapide in loco foris basilicam: si ibidem oratorium non habuerint, in porta ibi excutiunt: sin vero, in loco in quo consideraverit Prior, ita ut ex eo possit candela accendi, quæ candela in harundine debet poni, & a mansionario ecclesiæ portata præsente congregatione vel populo: & de ipso igne continuo in eadem ecclesia vel loco, ubi accenditur, lampada (*c*) una servetur usque in Sab-

a Hæc verba, aliaque refert Amalarius in lib. I. post medium capitis 12. *Dicit libellus Romani Ordinis de consecratione Chrismatis*: CONTINUO DUO ACOLYTHI, &c. Idem post initium ejusdem capitis ait, oleum simul consecrari cum corpore & sanguine Domini, nec habere proprium officium, sed eo in loco benedici, *ubi solemus*, inquit, *uvas benedicere. Unde intelligimus, embolim esse supra dicti officii*.

b Memoratu dignum est id quod a Theodoro Romanæ ecclesiæ archidiacono se accepisse tradidit Amalarius in lib. IV. cap. XLIV. *Soleo*, inquit Theodorus, *esse cum Apostolico in Lateranis, quando officium celebratur de Cœna Domini. Nihil enim ibi in eadem nocte observatur de exstinctione luminum. In feria sexta nullum lumen habetur lampadum sive ceterorum in ecclesia in Jerusalem, quamdiu domnus Apostolicus ibi orationes solemnes facit, aut quamdiu crux salutatur; sed tamen in ipsa die novus ignis accenditur, de quo reservatur usque ad nocturnale officium*.

c Nonnihil diversum tradit Zacharias Papa in epistola XII. ad Bonifacium, nempe moris esse, *ut quinta feria Pascha*, id est, ante Pascha, *quando sacrum chrisma consecratur, tres lampades in secretiori loco ecclesiæ constitutæ ardeant usque ad tertium diem, id est, Sabbatum*.

Sabbato sancto ad inluminandum cereum, qui eodem die benedicendus est ordine, quo in Sacramentorum continetur. Ipsa vero die omne diurnale officium insimul canunt. A vespera autem hujus diei nuda (*a*) sint altaria usque in mane Sabbati.

VI. *Feria sexta*.

33 In Parasceve media nocte surgendum est. Dicuntur VIIII. psalmi cum responsoriis, tres lectiones de lamentatione Hieremiæ ab eo loco ubi ait, *Cogitavit Dominus dissipare*, usque, *Misericordiæ Domini multæ*: tres de tractatu sancti Augustini de psalmo LXIII, tres de Apostolo ubi ait ad Hebræos c. V. *Festinemus ergo ingredi*. Deinde sequitur Matutinum. Lucernæ exstinguuntur. Luminaria autem ecclesiæ ab initio cantus nocturni incoantur exstingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius ecclesiæ incipiat paulatim (*b*) tutare, ut verbi gratia, peracto primo nocturno videatur pars eorum tertia esse exstincta; medio nocturno iterum tertia; tertio vero expleto, exceptis septem lampadibus nihil luminis relinquitur: quæ in Matutino hoc ordine exstinguantur. In initio psalmi primi sit custos semper paratus in loco dexteræ partis ecclesiæ prope lampadibus, ut ubi audierit antiphonam, tenens cannam in manu sua, tutat lampadem unam. In finem psalmi ipsius aliam sinistræ partis, sic una ex parte una, alia ex alia tutantur, usque ad evangelium. In evangelio vero tutatur mediana lampada.

34 Hora tertia conveniant omnes presbyteri, tam civitatis, quam de suburbanis, & omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra urbem, non tamen in majore ecclesia: & exspectant Pontificem, vel qui vicem illius tenuerit. Qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum super oratorium, sicut mos est; statim ut surrexerit, cum silentio ascendit ad sedem: quo sedente, statim subdiaconus ascendit ad legendum, & post lectionem cantatur canticum, *Domimine audivi*, cum versibus suis. Et dicit Pontifex, *Oremus*, & diaconus, *Flectamus genua*, & dicit, *Levate*. Et dat orationem, *Deus a quo & Judas*. Deinde sequitur tractus, *Qui* (*c*) *habitat*, vel *Eripe me*. Quo finito, pronunciat diaconus ita, *Passio Domini nostri Jesu-Christi secundum Johannem*, & incipit legere. Hac expleta, statim (*d*) duo diaconi nudant altare sindone, quæ prius fuerat sub evangelio posita, in modum furantis. Tunc venit Pontifex ante altare, & dicit, *Oremus*, *dilectissimi nobis*, *in primis pro ecclesia Dei*, & cætera per ordinem, sicut in quarta feria diximus. Cum autem ventum fuerit ad Judæos, non flectunt genua. Quas ut finierit, omnes tacite exeunt foras. Presbyteri vero ecclesiarum, sive de urbe, sive de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, ut hoc ordine cuncta ad vesperum faciant, hoc tantum mutantes, ut ubi Pontifex meminit Apostolicum, ipsi nominent episcopum suum.

35 Post orationes (*e*) præparatur crux ante altare, interposito spa-

a Amalarius sub finem cap. XII. *Restat adhuc unum in Romano Ordine, ubi præcipit, ut a quinta feria usque in Sabbato sancto nuda sint altaria.*

b *Id est*, exstinguere.

c Hic psalmus etiam assignatur ab Amalario in Officialis lib. I. cap. XIII. ante medium, & lib. IV. cap. XXXIV.

d Hæc verba refert ex Romano libello Amalarius sub medium prædicti cap. XIIJ. lib. I.

e Idem Amalarius in lib. I. cap. XIV. *Post hæc monet libellus memoratus, ut præparetur crux ante altare, quam salutant & osculantur omnes.*

spatio inter ipsam & altare, sustentata hinc inde a duobus acolythis, posito ante eam oratorio. Venit Pontifex, & adoratam deosculatur crucem: deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, & cæteri per ordinem, deinde populus. Pontifex vero sedet in sede, usque dum omnes salutent. Presbyteri vero duo priores, mox ut salutaverint, intrant secretarium, vel ubi positum fuerat corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in patena: & subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, & alter subdiaconus patenam cum corpore Domini: quibus tenentibus accipit unus presbyter patenam & alter calicem, & deferunt super altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persalutet populus crucem. Nam salutante Pontifice vel populo crucem, canitur semper antiphona, *Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, venite adoremus*. Dicitur psalmus CXVIII, id est, *Beati immaculati*. Qua salutata & reposita in loco suo, descendit Pontifex ante altare, & dicit, *Oremus, Præceptis salutaribus moniti. Pater noster*. sequitur, *Libera nos quæsumus Domine*. Cum dixerint *Amen*, sumit de Sancta, & ponit (*a*) in calicem, nihil dicens: & communicant omnes cum silentio, & expleta sunt universa. Et dicit Pontifex, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, pax tibi*. Respondent, *Et cum spiritu tuo*. Et post paululum vesperam dicit unusquisque privatim; & sic vadunt ad mensam.

VII. *Sabbato*.

36 Media nocte surgendum est. Dicuntur IX. psalmi cum responsoriis: tres lectiones leguntur de lamentatione Hieremiæ ab eo loco ubi dicit, *Misericordiæ Domini multæ*, usque ad finem. Deinde leguntur homeliæ Sanctorum Patrum ad ipsum diem pertinentes; & in candelis accendendis vel exstinguendis, sicut superius habetur (*b*).

37 Post horam tertiam Sabbato procedunt qui baptizandi sunt, ad ecclesiam, & ordinantur per ordinem, sicut scripta sunt, masculi in dexteram, feminæ in sinistram. Faciens crucem sacerdos in frontibus singulorum, postea imposita manu supra capita singulorum, dicit, *Nec te latet satanas*. Ipsa expleta, tangit singulis nares de sputo, & dicit eis, *Ephetа, quod est adaperire, in odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei*. Postea tangit de oleo sancto scapulas & pectus, & dicit, *Abrenuncias satanæ?* Respondent, *Abrenuncio. Et omnibus operibus ejus?* Respondent, *Abrenuncio. Et omnibus pompis ejus?* Respondent, *Abrenuncio. Ego te lino oleo salutis in Christo Jesu domino nostro propitiatus in vitam æternam. Pax tibi*.

38 Hac expleta, ambulet in circuitum, imposita manu super capita eorum, dicat tantum excelsa voce, *Credo in Deum*. Vertit se ad feminas, & facit similiter. Postea dicuntur eis ab archidiacono, *Orate electi, flectite genua*. Et post paulu-

a Idem ipse Amalarius in prædicto cap. XV. *Qui juxta ordinem libelli per commixtionem panis & vini consecrat vinum, non observat traditionem ecclesiæ, de qua dicit Innocentius, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari*. Verum an commixtio hæc sit vera consecratio, in Commentario nostro examinavimus.

b Amalarius sæpe laudatus in cap. XVII. *Romanus libellus narrat, eodem die benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri agnos, eosque reservari usque in Octavas Paschæ*. quod hoc in libello non reperitur. Sic vero in vulgato Ordine Romano, ubi de Octavis Paschæ, & in libro, qui Alcuino tribuitur.

lulum dicit, *Levate*. *Complete orationem nostram in unum*, *& dicite Amen*. Et respondent omnes, *Amen*. Iterum admonentur ab archidiacono his verbis, „ Catechumini „ recedant. Si quis catechuminus „ est, recedat. Omnes catechumi„ ni exeant foras. *Iterum dicit dia*„ *conus*, „ Filii cariſſimi revertimi„ ni in locis vestris, exspectantes „ horam, qua possit circa vos Dei „ gratia baptismum operari.

39 Hora nona ingrediuntur sacrarium Pontifex, sacerdotes & cæteri, & induunt se vestimentis, cum quibus vigilias celebrare debent: & accenso cereo, procedunt simul omnes de sacrario cum ipso cereo in ecclesiam cum silentio, nihil cantantes; & ponitur in candelabro ante altare. Et unus diaconus rogat unum de sacerdotibus vel levitis, qui ibidem revestiti adstant, pro se orare: & ut surrexerit, dicit ipse diaconus, *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. Et dicit orationem, sicut in Sacramentorum continetur. Postea sedent Pontifex & sacerdotes in sediculis suis: diaconi permanent stantes. Ipsa expleta, dicit, *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. Inde, *Sursum corda*. Resp. *Habemus ad Dominum*. *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Resp. *Dignum & justum est*. Inde vero accedit in consecrationem cerei, decantando quasi canonem. Inde vero accenduntur in duobus (*a*) candelabris duo cerei, & de ipso igne accendunt in omni domo, quia omnis anterior exstingui debet.

40 Deinde lector exuit se planeta: ascendens in ambonem, (*b*) non pronunciat, *Lectio libri Genesis*, sed incoat ita, *In principio fecit Deus cælum & terram*. nam & reliquæ omnes sic incoantur. In primis (*c*) græca legitur, deinde statim ab alio latina. Tunc primum surgens Pontifex dicit, *Oremus*: & diaconus, *Flectamus genua*, deinde, *Levate*: & datur oratio a Pontifice, & legitur lectio græce, *Factum est in vigilia matutina*; & ab ipso cantatur canticum hoc græce, *Cantemus Domino*. Post hæc ascendit alius, & legit supradictam lectionem latine. Deinde Pontifex surgens dicit, *Oremus*; & diaconus ut supra; & datur oratio. Post hoc legitur lectio græce, *Apprehendent septem mulieres*; & ab ipso cantatur canticum græce, *Vinea*. Deinde ascendit alius legere suprascriptam latine; canticum latine cantat suprascriptum. Et Pontifex, *Oremus*. Diaconus ut supra: & iterum legitur lectio græce, *Scripsit Moyses canticum*: & alius ascendens legit eam latine. Deinde Pontifex vel diaconus, ut supra. Post hoc cantatur psalmus, *Sicut cervus*, græce; & alius ipsum psalmum latine.

41 Post hæc Pontifex directus ad populum dicit, *Dominus vobiscum*: & respondent, *Et cum spiritu tuo*. & dicit, *Oremus*: & dat orationem directus ad orientem. Post

a Aliter Amalarius in lib. I. cap. XX. *Additur etiam in libello memorato alter cereus, ubi dicitur*. ET TUNC ILLUMINANTUR DUO CEREI, TENENTIBUS DUOBUS NOTARIIS, &c. quæ verba hinc absunt, sed adsunt in Appendice quam mox subjiciemus.

b Hæc verba citat Amalarius in cap. XXI. *Dicit libellus, de quo sæpe memoravimus, qui continet Romanum Ordinem*: NON PRONUNCIATUR LECTIO LIBRI GENESIS, &c.

c Apposite ad hunc locum idem qui supra Amalarius initio lib. II. *Sex lectiones ab antiquis Romanis græce & latine legebantur, (qui mos apud CP. hodieque servatur) ni fallor, propter duas causas: unam, quia aderant Græci, quibus incognita erat latina lingua: alteram propter unanimitatem utriusque populi*. Confer Micrologum sub finem cap. XXVIII. & Bernonem abbatem Augiensem cap. VII. ubi Amalarii verba sub nomine *Patrum* adducit.

Post finitam, dicit, *Dominus vobiscum*: & statim veniens unus minister tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu altaris, & tunc ascendit ipse praecedens Pontificem ad fontes. Tunc deinde schola descendit ad fontes ad letaniam faciendam, exspectantes parati Pontificem. Secundus vero scholae tenet vas aureum in manu sua sinistra super planetam, unde Pontifex mittere debet chrisma in fontem, & jussi faciunt letaniam ternam. Deinde Pontifex procedit cum omni decore, sustentatus a duobus diaconibus: & illa duo cereostata, quae ante fuerant inluminata, semper ante ipsum procedunt, usque dum omnia finierint.

42 Letania finita, facto silentio dicit Pontifex, *Dominus vobiscum*. Respondent, *Et cum spiritu tuo*. Dicit, *Oremus*, & dat orationem, *Omnipotens sempiterne Deus*. Item alia, *Deus qui invisibili potentia*. Hic primam crucem facit, *Qui hanc aquam*, cum manu sua dividens aquam in modum crucis. Secundam, *Unde benedico te*. Similiter tertiam, *Benedico te & per Jesum-Christum*. Haec omnia expleta, fundit chrisma de vasculo in fonte super ipsam aquam in modum crucis, & cum manu sua miscitat ipsam chrismam cum aqua, & spargit per omnem fontem, vel super omnem populum. Hoc facto, omnis populus, qui voluerit, accipit benedictionem in vasis suis de ipsa aqua, antequam ibi baptizentur parvuli, ad spargendum in domibus eorum, & vineis, & campis, & fructibus eorum.

43 Deinde presbyteri aut diaconi, etiam, si necesse fuerit, & acolythi, discalciati, induentes se aliis vestibus mundis vel candidis, ingrediuntur in fontes (*a*) intro aquam; & baptizantur primo masculi, deinde feminae sub hac interrogatione (*b*): *Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli & terrae?* Resp. *Credo*. *Credis & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum natum & passum?* Resp. *Credo*. *Credis & in Spiritum-sanctum, sanctam ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam?* Resp. *Credo*. Et acceptos infantes de parentibus baptizent eos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocantes, ita dicendo, *Baptizo te, in nomine Patris*, & mergit semel; *& Filii*, & mergit iterum, *& Spiritus sancti*, & mergit tertio.

44 Levatis autem ipsis infantibus in manibus suis, offerat eos uni presbytero: ipse vero presbyter faciens de chrismate crucem cum pollice in vertice eorum cum invocatione sanctae Trinitatis, dicit, „Deus omnipotens, Pater „domini nostri Jesu Christi, qui „te regeneravit ex aqua & Spi„ritu sancto, quique dedit tibi „remissionem omnium peccato„rum; ipse te linet chrismate sa„lutis in Christo Jesu Domino no„stro in vitam aeternam, amen." Et sint parati qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum, & accipiunt ipsos a presbyteris, vel (*c*) diaconibus qui eos baptizant. Pontifex vero egredietur a fonte, habens compositam sedem in ipsa ecclesia, ubi voluerit sedens in ea: & deportantur ipsi infantes ante eum: & dat sin-

a Idem ritus legitur in codice Gellonensi, immo etiam in vulgato Ordine Romano.

b Haec est redditio Symboli, quam Amalarius ait reddi Sabbato sancto secundum *Ordinem Romanum*; aliis in Coena Domini, in lib. 1. cap. XII. sub initium.

c Libellus septimus meminit solius diaconi pro ministro baptismi, num. 12.

singulis (*a*) stolam, casulam, & chrismale, & x siliquas; & vestiantur. Induti vero ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu: & dat orationem super eos Pontifex, cum chrismate faciens crucem in frontibus (*b*) eorum cum invocatione sanctæ Trinitatis, & tradit eis septiformem gratiam Spiritus sancti. Hoc autem per omnia præcaventes, ut hoc non negligant: quia tunc omne baptismum legitimum christianitatis nomine confirmatur.

45 Interim vero schola jussa facit letaniam ante altare: primam (*c*) septenam; & spatio facto faciunt alteram quinam: iterum spatio facto faciunt ternas; & dum dicitur *Agnus Dei*, magister scholæ dicit, *Accedite*: & tunc inluminatur (*d*) ecclesia. Et procedit Pontifex de sacrario cum duo cereostata, unde, sicut superius diximus, stant, sicut antea, a dextris & a sinistris altaris. Letania expleta, dicit Pontifex *Gloria in excelsis Deo*, deinde legitur epistola, *Alleluja*, *Confitemini Domino*; tractus, *Laudate Dominum omnes gentes*. Non cantant offertoria, nec *Agnus Dei*, nec communionem. Ante Evangelium, non portant lumen (*e*) in ipsa nocte, sed incensum.

46 Illud autem de parvulis providendum est, ut, postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent sacramenta corporis Christi: & omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedant, & parentes eorum offerant pro ipsis, & communicent omnes. Hunc autem supradictum ordinem baptismi in hoc sabbato Paschæ, sicut & in sabbato Pentecosten, omnimodis celebretur.

47 Item ipsa die diuturnale cursum separatim canunt in ipsa nocte post gallorum cantum; matutino irrumpente luce tenebras, surgentes in ecclesia veniunt, mutua caritate se invicem osculantes dicunt, *Deus in adjutorium meum*; sequitur Invitatorium cum *Alleluja*. Sequuntur tres psalmi cum antiphona, *Beatus vir*, *Quare fremuerunt*, *Domine quid multiplicati sunt*. Sequuntur vero tres lectiones cum responsoriis. Prima lectio de Actibus Apostolorum; sequitur secunda, & tertia de homeliis sancti Augustini. Sequitur matutinum cum *Alleluja*. Infra Albas Paschæ super *Venite*, *Surrexit Dominus vere*, *alleluja*, & tres psalmos super nocturna. Imponuntur per singulas noctes usque in octabas Paschæ, id est, feria II. *Cum invocarem*, *Verba mea*, *Domine ne in furore tuo*: feria III. *Domine Deus meus in te speravi*, *Domine Dominus noster*, *In Domino confido*: feria IV. *Salvum me fac Domine*, *Usquequo Domine*, *Dixit insipiens*: feria V. *Domine quis habitabit*, *Conserva me Domine*, *Exaudi Domi-*

a Ita etiam in libello septimo. In plerisque aliis fit mentio tantum de alba veste & chrismali. Idem ritus fusior in Appendice sequenti.

b Amalarius sub finem cap. XXVII. *Dicit Romanus libellus, de quo sæpe commemoravimus*: ORATIONE EXPLETA FACIT CRUCEM, &c. quæ verba leguntur in subjecta Appendice.

c Amalarius in fine secundæ Præfationis ad librum de ecclesiasticis Officiis, meminit hujusce ritus litaniarum post baptismum, *per septenarium*, *& quinarium*, *& ternarium numerum*. Vide Commentarii prævii caput XV.

d Idem in cap. XXX. *Quod illuminatio cereorum, secundum libellum Romani Ordinis exspectetur usque ad* AGNUS DEI, *hoc demonstrat, quod per illum Agnum, qui tollit peccata mundi, unusquisque lumen accipere debet*.

e Amalarius sub medium cap. XXXI. *Ut opinor, propter mulierum imitationem dicit Romanus libellus, non portari hac nocte ante evangelium aliud, nisi thymiama* &c.

mine justitiam meam : feria VI. *Cœli enarrant*, *Exaudiat te Dominus*, *Domine in virtute tua* : feria VII. *Domini est terra*, *Ad te levavi*, *Judica me Domine*, *quoniam in innocentia*. Item a Pascha usque in octabas ad omnes cursus non cantatur responsorium, nec lectio recitatur: sed pro versu (*a*) & responsorio cantatur gradale, *Hæc dies*, tantum prima. Post octabas vero Paschæ super *Venite*, & super omnes psalmos *Alleluja* cantant. In secunda feria ad *Venite*, & super tota hebdomada, *Surrexit Dominus vere, alleluja*.

VIII. *Quod sequitur habetur in eodem MS. codice, sed dimidio folio a præcedentibus sejunctum.*

48 In diebus festis, id est, Paschæ, Pentecostes, sancti Petri, Nativitatis Domini, per has quatuor solemnitates habent colligendas presbyteri cardinales, unusquisque tenens corporalem in manu sua: & venit archidiaconus, & porrigit unicuique eorum oblatas tres. Et accedente Pontifice ad altare, dextra lævaque circumdant altare, & simul cum illo canonem dicunt, tenentes oblatas in manibus, non super altare, ut vox Pontificis valentius audiatur; & simul (*b*) consecrant corpus & sanguinem Domini: sed tantum Pontifex facit super altare crucem dextra lævaque. Cum acolythi acceperint hostias ab archidiacono de altare, vadunt ad presbyteros, accipientes calices (*c*) tres qui priores sunt. Diaconibus vero frangentibus in patenam, vertit se archidiaconus ad scholam, ut incipiant *Agnus Dei*: quod tamdiu cantatur, usque dum complent fractionem. Nam, si necesse fuerit, licet archidiacono quemlibet vocare ad confringendum in patenam. Ibi tamen, ubi Pontifex non fuerit, mox ut perfregerint diaconi excussis manibus in patenam, aspexerit, statim facit signum cum manu primus scholæ, & finiunt.

49 Quando dixerit, *ab omni turbatione securi*, tunc qui in ordine fuerit diaconus junior, vertit se, & recipit patenam de subdiacono, deosculans tenet eam in brachio suo: & dum dixerit *Per omnia secula seculorum*, rumpit oblatam a latere dextro; & partem quam ruperit, cum dicit, *Pax Domini*, mittit in calicem, faciendo crucem ter.

50 Tunc sic agitur, quando ægritudo Pontificis non fuerit. Stat Pontifex ante altare. Diaconus ponit patenam super altare. Pontifex vero oblationes, quas confringere solus debet, ponit in patena, & confringet. Deinde stant diacones in parte dextra, & in parte sinistra archipresbyteri, & secundus vel quartus, vel quem voluerit Pontifex: & dat unicuique eorum singulas oblationes, & confringunt cum ipso super altare in corporale: ceteras oblationes, quas superfluas habuerit, ponit episcopus, seu archidiaconus, vel qui fuerit de diaconibus, in sacculis, quos tenent acolythi: & sic ipsi deferunt ad ceteros presbyteros, qui subterius stant ad confringendum, Si autem ægritudo fuerit Pontificis, ordinem quo agere debeat, su-

a Multa de hoc Romano ritu observat Amalarius in l. 4. c. 52.

b Huc pertinent Amalarii verba in lib. 1. cap. 12. sub medium: *Mos est Romanæ ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint presbyteri, & simul cum Pontifice verbis & manibus conficiant.*

c Id est, calices ministeriales, qui alio nomine scyphi appellantur. Alias Gregorius II. in epistola IX. ad Bonifacium episcopum Moguntinum, non scriberet congruum non esse, *duos vel tres calices in altario ponere, cum Missarum solemnia celebrantur.*

superius scriptum habemus.

51 Igitur diaconus quando dixerit, *Per omnia secula seculorum*, post *Gloria in excelsis Deo*, levant planetas in scapulas, & stant juxta Pontificem: similiter levant & subdiaconi, sed cum sinu. Subdiaconus vero de schola, statim ubi imposuerit antiphonam ad Introitum, levat planetam cum sinu. Ad completionem *Alleluja* vel responsoria, parat se diaconus ad evangelium legendum. Si autem diaconus ibidem non fuerit, presbyter, sicut diaconus, stat juxta Pontificem, sed non levata planeta. At ubi evangelium relegerit, ibi se non parat, ubi & diaconus: sed statim venit ante altare vestitus planeta, ornat altare, sicut diaconus.

APPENDIX.

I. *De officiis in noctibus a Cœna Domini usque in Pascha.*

1 IGitur a Dominica, quam Sedes apostolica Medianam voluit nuncupari, usum observantiæ credimus intimandum: unde & ea, quæ ipso die dicuntur, numerum dierum ostendunt, ut est illud, *Quarta decima die ad vesperum*. & paulo post, *& in quinta-decima solemnitatem celebrabitis*. A quo die usque ad vigiliam dominicæ resurrectionis in nullo responsorio decantetur *Gloria*. A Cœna vero Domini, nec in psalmis, nec in nullo loco decantatur *Gloria* usque in Pascha. Eadem vero nocte surgent ad vigilias hora noctis octava: & tunc ecclesia sit omni lumine decorata. Nec more solito *Deus in adjutorium meum* dicent, nec Invitatorium, nec *Gloriam*: sed cantor incipit in psalmis antiphonam, sicut in Antiphonario continetur. Sed & in fine nocturnæ lector benedictionem non petit, nec presbyter more solito benedictionem complet: & quando finit lector, non dicit *Tu autem Domine*, sed ex verbis lectionis jubetur facere finem.

2 Lumen autem ecclesiæ ab initio cantus nocturnæ incoatur exstingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius ecclesiæ incipiat paulatim * tutari: ut verbi gratia, peracto primo nocturno, videatur eorum pars tertia esse exstincta; medio nocturno iterum tertia: tertio vero expleto, exceptis septem lampadibus, nihil lumen relinquunt. Quæ in matutinis exstinguuntur hoc ordine. Initio primi psalmi sit custos semper paratus in loco dextræ partis ecclesiæ prope lampadibus: ut ubi audierit antiphonam, tenens cannam in manu sua, tutet lampadam unam: in fine vero psalmi ipsius tutet aliam partis sinistræ. In secundo psalmo, cum antiphonas audierit, tutet dextra parte aliam. Sic una ex parte una, alia ex alia tutantur usque ad (*a*) evangelium: in evangelio vero tutatur mediana lampada. Ea die vero Cœna Domini, hora nona, faciunt excuti ignem de lapide, in loco foris basilica; si ibidem oratorium habuerit, in portam ibi excutiunt: sin vero, in loco quo consideraverit prior, ita ut ex eo possit candela accendi. Quæ candela in arundine debet poni, & a mansionario ecclesiæ portari præsente populo; & de ipso igne continuo in eadem ecclesia loco secreto accendatur lampada una, & servetur usque in sabbato sancto ad inluminandum cereum, qui eodem die benedicendus est ordine, quo in Sacramentorum continetur. Et hic ordo cerei

* *id est* exstingui.

a Id est, usque ad canticum *Benedictus* ex evangelio Lucæ desumtum. Eum ad modum canticum *Magnificat* designatur infra.

rei benedicendi in suburbanis civitatibus agitur.

3 Nam in catholica ecclesia infra civitatem Romanam, mane prima, sabbato sancto in Lateranis venit archidiaconus in ecclesia, & fudit ceram in vas mundum majorem, & miscitat ibidem oleo, & benedicit ceram, & ex ea fundit in similitudinem agnorum, & servat eos in loco mundo. In octabas vero Paschæ dantur ipsi agni ab archidiacono in ecclesia post Missas & communionem populo, & ex eos faciunt in domos suas incensum ad suffumigandum pro qualecumque eis eveniente necessitate. Similiter in suburbanis civitatibus de cera faciunt.

4 Hoc expleto, accipit mansionarius prior jam fatam candelam in manu sua inluminatam in canna, prosequente eum populo cum supplici silentio, ita ut summitas candelæ, quæ inluminatur, ad altare versa inclinata respiciat illam ecclesiam, quam sunt ingressuri, quæ tamen prius absque lumine erit, præparatis ante altare septem lampadibus, ita compositis, ut absque ullo impedimento cujuscumque retardationis manu mansionarii cum eadem candela possint accendi: ac deinceps præparatis custodibus omni lumine decoretur ecclesia. Et ita ingrediuntur ad Missas, sicut in Sacramentorum continetur vel Antiphonario. Missa expleta communicant ordine constituto, & servant de Sancta usque in crastinum juxta consuetudinem. Sed & ipsa ecclesia usque ad vigilias inluminata permaneat, & sicut in isto die taxavimus, sic & sexta feria faciendum est; similiter & sabbato, ea tantum ratione, ut ad horam nonam excutiant ignem de lapide, sicut diximus, & a mansionario quinta feria portetur: sexta feria ab archidiacono; in sabbato sancto ab episcopo juniore portetur. Si vero hic ordo in monasteriis agitur, quinta feria ipse ignis a custode ecclesiæ portetur; sexta feria a præposito; sabbato vero sancto ab abbate portetur.

II. *Feria quarta, quod est pridie Cœnæ Domini.*

5 Hora tertia conveniunt omnes presbyteri, tam civitatis, quam & de suburbanis, & omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra urbem exspectantes Pontificem, qui semper in ecclesia majore per se orationes solemnes ipso die, sicut in Sacramentorum continetur, complet. Qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum super oratorium; mox ut surrexerit, dicit *Oremus*, & diaconus, *Flectamus genua*: postea dicit, *Levate*. Et (a) Pontifex dicit, *Oremus dilectissimi nobis in primis pro ecclesia Dei*, & cæteras per ordinem; tantummodo pro se intermittit: ad ultimum pro Judæis non flectunt genua. Quibus expletis, osculatur altare, & egreditur. Presbyteri vero ecclesiarum sive de urbe, seu de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, ut hoc ordine cuncta faciant. Feria sexta hora tertia, hoc scientes, ut ubi Pontifex de se intermisit, ipsi illum nominent. Postea vero hora (b) octava ingrediuntur ad Missam hoc ordine. Dicit schola antiphonam ad introitum, & Pontifex dat orationem. Legitur lectio una, sicut in Capitulare commemoratur. Sequitur gradale, *Ne avertas faciem tuam*. Sequitur altera lectio: post quam canticum, *Domine exaudi*, cum versibus suis. Evangelium pronunciabitur ita: *Passio Domini nostri Jesu-Christi secundum Lucam*.

Qua

a *al.* presbyter.

b *al.* nona.

Qua perlecta, expletur Missa ordine suo.

III. *Feria quinta Cœnæ Domini.*

6 Hora tertia ingressi sacrarium induuntur dalmaticis, tam Pontifex, quam omnes diaconi, vel omni ornamento, sedente Pontifice in sella sua; & præparantur ampullæ duæ cum oleo: quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo & commiscitato cum oleo manu sua impleat eam. Illam vero aliam ministri retineant plenam. Et Pontifex lotis manibus procedit cum septem cereostata ad Missas. Dicta antiphona ad Introitum, dicit orationem. Legitur Apostoli lectio, *Fratres, convenientibus vobis in unum*, usque *ut non cum hoc mundo damnemur*. Sequitur grad. *Christus factus est pro nobis*. Legitur Evangelium secundum Johannem cap. (*a*) CXII. *In illo tempore, sciens Jesus quia venit hora ejus*, usque, *quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Et deinceps peragitur Missa ordine suo. Qua expleta, communicat solus Pontifex ante altare, & diaconus confirmat eum cum calice illa tantummodo die. Postquam communicaverit, ponet calicem super altare. Deinde accepta a subdiacono patena, ponit juxta calicem de latere sinistro, & statim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de sindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris e regione Pontificis.

7 Post corporalem expansam, continuo duo acolythi involutas ampullas cum sindone alba serico, ita ut videri possint, a medio tenent in brachio projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingant scapulam dextram, quatenus possint dependentia retineri: a quibus sub humero stantibus venit subdiaconus, & accipit ampullam commixtam unam cum sindone, & dat eam archidiacono, & ille defert Pontifici ante altare. Tunc Pontifex respiciens ad orientem, (*b*) & diaconus tenet ante ipsum ampullam in sinistro brachio revolutam sindone, ut supra præfiximus. Et dicit Pontifex, *Sursum corda*. Respondetur, *Habemus ad Dominum*. Et intrat in consecratione chrismatis excelsa voce. Sed antequam benedicatur, halat ter in ampullam. Qua expleta, benedicit ampullam olei (*c*) tacite, ordine quo supra delatam, & similiter halat in ipsa ter. Ampulla autem quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine nuda videatur: sed tenente eam acolytho, omnes eam per ordinem salutant. Nam episcopus & diaconi prius eam nudam salutant. Hoc expleto, ablutis manibus Pontifex venit ante altare, & communicat omnis populus ordine suo. A feria quinta vespere nuda sint altaria usque mane sabbathi, & ipsa die ad vesperos non cantatur responsorium.

8 Feria sexta (*d*) hora tertia procedit Pontifex, vel qui vicem illius tenuerit, in ecclesia statuta infra Urbem, non tamen in majore ecclesia. Qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad

a al. cap. CXVII.

b al. archidiaconus.

c Deest *tacite* in ordine superiori n. 30. In Colbertino, *benedicit chrismatis ampullam olei, ordine quo supra delatam: & similiter halat in ipsa, sed tacite ipsam benedicat ampullam, qua cum chrismate est. Statim ut benedicta fuerit, &c.*

d Colbert. *Feria 6. hora tertia conveniant omnes presbyteri tam civitatis, quam de suburbanis, & omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra Urbem, non tamen in majore ecclesia, & exspectent Pontificem vel qui vicem illius tenuerit. Qui dum veniens de sacrario, &c.*

ad (*a*) orandum super oratorium, sicut mos est; statim ut surrexerit, cum silentio ascendit ad sedem. Quo sedente, statim subdiaconus ascendit ad legendum: & post lectionem cantatur canticum, *Domine audivi*, cum versibus suis. Et dicit Pontifex, *Oremus*. Diaconus, *Flectamus genua*. *Levate*. Et dat orationem, *Deus a quo & Judas*. Deinde sequitur alia lectio: post quam sequitur tractus (*b*) *Qui habitat*. Quo finito, legitur Passio Domini secundum Johannem. Qua perlecta usque, *super vestem meam miserunt sortem*, statim duo diaconi nudant altare sindone, quæ prius fuerat sub evangelio posita, in modum furantis. Finito evangelio, tunc venit Pontifex ante altare, & dicit *Oremus*, & diaconus *Flectamus genua*; & orat diutissime, & dicit *Levate*. *Oremus dilectissimi nobis in primis pro Ecclesia Dei*, & cætera per ordinem, sicut supra in quarta feria diximus. Quas ut finierit, omnes tacite exeunt foras. (*c*) Presbyteri vero ecclesiarum, sive de Urbe, seu de suburbanis, vadunt per ecclesias, & hoc ordine cuncta ad vesperum faciant, hoc tantum mutantes, ubi Pontifex meminit Apostolicum, ipsi nominent suum. Ad vesperum vero tam in ecclesia, in qua Pontifex dicit orationes, quam in cæteris ecclesiis presbyterorum, post orationes præparatur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam & altare, sustentata hinc inde a duobus acolythis. (*d*) Posito ante eam oratorio venit Pontifex, & adoratam deosculatur crucem: deinde episcopi, presbyteri, diaconi, & cæteri per ordiem, deinde populus. Pontifex vero sedet in sede usquedum omnes salutent. Presbyteri vero duo priores mox ut salutaverint, intrant in sacrarium, vel ubi positum fuerat corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in patenam, & subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato; & alter subdiaconus patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus, accipit unus presbyter prior patenam, & alter calicem, & deferunt super altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persalutat populus crucem. Nam salutante Pontifice vel populo crucem, canitur semper antiphona, *Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, venite adoremus*. Dicit ad repetendum psalmus CXVIII. Qua salutata, & reposita in loco suo, descendit Pontifex ante altare, & dicit, *Oremus*. *Præceptis salutaribus*. *Pater noster*. Sequitur, *Libera nos quæsumus Domine*. Cum dixerint, *Amen*, sumet de Sancta, & ponet in calice, nihil dicens; & communicant omnes cum silentio: & expleta sunt universa.

9 Sabbato sancto veniunt omnes in ecclesiam, & tunc inluminantur duo cerei, tenentibus (*e*) duobus notariis, unus in dextro cornu altaris, & alter in sinistro. Et ascendit lector in ambone. Non pronunciat, *Lectio libri Genesis*, sed incoat, *In principio*, plane. Similiter & alias lectiones. Ante *In principio* non dicit orationem. Post expletas orationes & lectiones, statim veniens unus minister, tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu altaris; & tunc ascendit ipse præcedens Pontificem ad fon-

a al. adorandum.

b In Colbert. *Eripe me Domine*; in superiori vero Ordine, *Qui habitat* vel *Eripe me*.

c Hæc desunt in codice Romano usque ad hæc verba, *Ad vesperum vero*, &c.

d al. Posita ea ante oratorium.

e Hæc totidem verbis ex libello Romano refert Amalarius l. pr. c. XX. ut superius præmisimus.

fontes. Tunc deinde ſchola deſcendit ad fontes ad letaniam faciendam, exſpectantes parationem Pontificis; & non finiunt letaniam, dicentes *Agnus Dei* ſemper, uſquedum Pontifex venerit, & annuat eis ut ſileant. Secundus vero ſcholæ tenet vas aureum in manu ſua ſiniſtra ſuper planetam, unde Pontifex mittat chriſma in fonte. Deinde Pontifex procedit cum omni decore, ſuſtentatus duobus diaconibus: & illa duo cereoſtata, quæ ante fuerunt inluminata, ſemper ante ipſum præcedunt, uſquedum omnia (*a*) finierit. Mox ut venerit ante fontes, ſtans benedicit fontes, ut mos eſt. Hic primum crucem facit, *Qui hanc aquam*, cum manu ſua dividens aquam in modum crucis; ſecundam, *Unde benedico te*; ſimiliter tertiam, *Benedico te per Jeſum-Chriſtum*. Poſt fontes benedictos, mittit chriſma cum vaſe aureo, & (*b*) aſpergit aquam cum manu ſua ſuper populum. Tunc baptizat, redit in ſacrarium, exſpectans, ut cum veſtiti fuerint infantes, confirmet eos.

10 Deinde ſchola juſſa facit letaniam ante altare: primam ſeptenam; ſpatio facto faciunt alteram quinam; intervallo facto faciunt tertiam ternam. Et dum dicitur *Agnus Dei*, magiſter ſcholæ dicit excelſa voce, *Accendite*; & tunc inluminatur eccleſia. Et procedit Pontifex de ſacrario cum duobus cereoſtatis, unde ſuperius diximus: & ſtant ſicut antea a dextris & ſiniſtris altaris. Letania expleta, dicit Pontifex *Gloria in excelſis Deo*; deinde legitur Apoſtolus, *Alleluja. Confitemini Domino*. Tract. *Laudate Dominum omnes gentes*. Non cantent (*c*) Offerenda, nec *Agnus Dei*, nec Communionem. Ante evangelium non portant lumina in ipſa nocte, ſed tantum incenſum. Epiſcopus debet dicere, quando mittit chriſma in frontibus infantum, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, pax tecum*, Reſp. *Et cum ſpiritu tuo*.

11 A Paſcha uſque in Octabas Domini ad omnes curſus non cantatur reſponſorium, nec lectio recitatur; ſed pro verſu & reſponſorio cantatur gradale, *Hæc dies quam fecit Dominus*, tantum (*d*) ſemel. In Dominicum Paſchæ ſuper *Venite*, dicitur *Alleluja* ante *Præoccupemus faciem ejus*, & per omnes pſalmos cantatur *Alleluja*. In ſecunda feria ad *Venite* & per totam hebdomadam dicunt antiphonam, *Surrexit Dominus vere Alleluja*.

12 Ad Veſperos diei Paſchæ ſancti, conveniente (*e*) ſchola temporius cum Epiſcopis & diaconibus in eccleſia majore ad locum (*f*) crucifixi, incipiunt *Kyrie eleiſon*, & veniunt uſque ad altare. Aſcendentibus diaconibus in (*g*) pogium, epiſcopi & presbyteri ſta-

tuun-

a al. fuerint completa.

b al. expandit.

c Appoſite ad hunc locum VValafridus Strabo in cap. 21. exiſtimat, *priſcis temporibus Patres ſanctos ſilentio obtuliſſe vel communicaſſe: quod etiam hactenus*, inquit, *in ſabbato ſancto Paſcha obſervamus*.

d In quibuſdam mſſ. legitur *prima*, quod ſcriptores male reddiderint (ut quidem puto) hanc notam 1. quæ *unum, primum*, & *ſemel* pro rei natæ occaſione ſignificat.

e Confer vulgatum Ordinem Romanum a pag. 80. ubi multa quæ hic referuntur, deſunt, omnino vero græca.

f Id eſt ad locum, ubi crucifixi ſtatua trabi in baſilica tranſverſæ impoſita erat, qui ritus hodie quoque apud nos ſervatur, vix apud Romanos.

g Pogii nomine hic intellige locum cancellorum, quibus ſanctuarium a choro dirimitur: ſic dictum quod per gradus ſenſim aſſurgeret.

tuuntur in locis (*a*) suis, & schola ante altare. Finito (*b*) *Kyrie eleison*, annuit archidiaconus primo scholæ: & ille inclinans se illi, incipit *Alleluja* cum psalmo, *Dixit Dominus Domino meo*. Post hunc annuit secundo, vel cui voluerit: sed & omnibus incipientibus hoc modo præcipit. Dicit igitur *Alleluja* cum psalmo centesimo decimo. Sequitur post hunc primus scholæ cum paraphonistis infantibus *Alleluja*, & respondent paraphonistæ. Sequitur subdiaconus cum infantibus *Alleluja*, *Dominus regnavit*, & reliqua: & semper respondent paraphonistæ, & adnunciant vers. II. infantibus. ℣. *Parata sedes tua Deus*. Item ℣. III. *Elevaverunt flumina Domine*. Post hos versos salutat primus scholæ archidiaconum, & illo annuente incipit *Alleluja* cum melodiis infantium. Qua expleta, respondent paraphonistæ semel. Post hanc incipit tertius *Alleluja* cum psalmo CXI. Hunc sequitur *Alleluja*. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. ℣. *Epulemur in azymis*. Hoc expleto ordine quo supra, incipit archidiaconus in (*c*) Evangelio antiphonam, *Scio quod Jesum quæritis*, vel, *Jesum quem quæritis*. Post hæc dicit sacerdos orationem, & descendunt ad fontes cum antiphona, *In die resurrectionis meæ*. Quam ut finierint, dicit primus scholæ *Alleluja*, cum psalmo CXII. Sequitur *Alleluja*, Ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν. item versum, καὶ γὰρ ἐστερέωσε τὴν οἰκουμένην, ἥτις οὐ σαλευθήσεται. Finito ordine quo supra, post hanc sequitur diaconus secundus in evangelio antiph. *Venite & videte locum, ubi positus erat Dominus Alleluja, alleluja*. Deinde dicit sacerdos orationem, & tunc vadunt ad sanctum Johannem (*d*) ad Vestem, canentes antiph. *Lapidem quem reprobaverunt*, deinde *Alleluja* cum psalmo CXIII. Deinde primus scholæ dicit cum pueris, *Allel. Venite exsultemus Domino*. V. II. *Præoccupemus faciem ejus*. V. III. *Hodie si vocem ejus*. Post hoc sequitur diaconus ant. *Cito euntes dicite discipulis ejus*. Deinde oratio semper absque *Kyrie eleison*, & tunc vadunt ad sanctum (*e*) Andream ad crucem, canentes antiph. „Vidi aquam egredientem de templo a „latere dextro Allel. & omnes ad „quos pervenit aqua ista, salvi „facti sunt, & dicent Allel. allel." Post hanc dicant *Allel.* cum psalmo CXIII. Quo finito schola incipit *Allel. Venite exsultemus Domino*, & reliqua ut supra. Post dicitur antiph. *Cito euntes*, deinde oratio. Deinde descendunt primates ecclesiæ ad

a Id est pone altare in circuitu apsidæ, ubi presbyterium erat, exstatque Romæ etiam nunc in antiquioribus basilicis.

b Idem legitur in vulgato Ordine Romano pag. 80. col. 1. Quamquam hoc videtur contrarium Amalario, cujus hæc verba sunt in lib. IV. cap. XXIII. *Habemus scriptum in Romano Ordine, ut non dicatur*, KYRIE ELEISON *sive* CHRISTE ELEISON *ad ullum cursum in memoratis diebus, sed sine retractatione cantemus*, HÆC DIES, &c. Confer n. 12. infra. Numeri Romani post versus exstant tantum in Colbertino.

c Hoc loco & in consequentibus *Evangelium* pro cantico *Magnificat* usurpatur.

d Deest in quibusdam *ad Vestem*. Apud vulgatum Alcuinum, *ad sanctum Johannem ad Fontes seu ad Vestem*. Exstat nunc quoque oratorium sancti Johannis Baptistæ ad Fontes Lateranenses, a beato Hilario Papa constructum: quod, quia fortasse baptizandi vestes ibi deponebant, easdemque jam baptizati ibidem resumebant, dictum est *sancti Johannis ad Vestem*.

e Templum sancti Andreæ proximum erat basilicæ Vaticanæ, a Symmacho papa constructum.

ad accubita, invitante notario Vicedomino, & bibunt ter, de Græco (*a*) ſemel, de Pactis ſemel, de Procema ſemel. Poſtquam biberint omnes presbyteri, & omnes diaconi, ſeu ſubdiaconi, vel omnes acolythi per ſingulos titulos, redeunt ad faciendos Veſperos, & bibent de dato presbyteri. Hæc ratio per totam hebdomadam ſervabitur uſque in Dominicam in Albis.

13 Feria ſecunda ad Veſperos iterum ad Lateranis ordine quo ſupra ingrediuntur, his *Allel.* mutantes poſt pſalmum cxi. „ Allel. „ Domine refugium factus es no- „ bis a generatione & progenie. ℣. ii. „ Priuſquam montes fierent „ aut firmaretur orbis terræ, a „ ſeculo & uſque in ſeculum tu „ es Deus. " In evangelio dicit diaconus antiph. „ Nonne ſic opor- „ tuit pati Chriſtum, & intrare „ in gloriam ſuam Allel. " Data oratione deſcendunt ad fontes cum antiph. „ Lapidem quem reproba- „ verunt ædificantes, hic factus eſt „ in caput anguli. A Domino fa- „ ctum eſt, & eſt mirabile in o- „ culis noſtris All. all. " Deinde poſt pſalm. cxii. ſequitur *Alleluja*. (*b*) Ὁ ποιμαίνων τὸν Ἰσραὴλ πρόσχες, ὁ ὁδηγῶν ὡσεὶ πρόβατον τὸν Ἰωσήφ. Ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβὶν ἐμφάνηθι, ἐναντίον Ἐφραῒμ καὶ Βενιαμὶν, καὶ Μανασσή. ℣. Ἄμπελον ἐξ Αἰγύπτου μετῆρας. ἐξέβαλες ἔθνη καὶ κατεφύτευσας αὐτήν. Ὡδοποίησας ἔμπροσθεν αὐτῆς, καὶ ἐπλήρωσε τὴν γῆν. Poſt hunc in evangelio antiph. *Cognoverunt Dominum Allel. in fractione panis Allel.* Et data oratione cum antiphona, qualem volueris pro loco, deſcendunt ad ſanctum Andream, dictoque pſalmo cxiii. ſequitur *Allel. In exitu Iſrael ex Ægypto, domus Jacob de populo barbaro*. v. ii. *Facta eſt*: v. iii. *Mare vidit*. In evangelio antiph. *Surrexit Dominus vere All. & apparuit Petro Allel.* ſequitur oratio.

14 Feria iii. ad veſperum iterum ad Lateranis. Poſt pſalmum cxi. „ Alleluja, Paratum cor meum „ Deus, paratum cor meum, can- „ tabo & pſalmum dicam Domi- „ no. verſ. ii. Exſurge gloria „ mea. v. iii. Ut liberentur dile- „ cti tui. " In evangelio antiph. „ Stetit Jeſus in medio diſcipulo- „ rum ſuorum. Et data oratione deſcendunt ad fontes cum antiph. Poſt pſalmum cxii. ſequitur *All.* (*c*) Προσέχετε λαός μου τῷ νόμῳ μου· κλίνατε τὸ οὖς ὑμῶν εἰς τὰ ῥήματα τοῦ στόματός μου. v. Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς. In evangelio antiph. *Vide manus meas*, data oratione. Item ad ſanctum Andream poſt pſal. cxiii. dicit „ Al- „ leluja, Confitebor tibi Domine „ in toto corde meo, in conſpe- „ ctu Angelorum. v. ii. Adorabo „ ad templum ſanctum tuum. v. iii. „ Super miſericordia tua. " In evangelio antiphon. „ Iſti ſunt „ ſermones, quos dicebam vobis.

15 Feria iiii. poſt pſalmum cxi. „ Allel. allel. Te decet hy- „ mnus Deus in Sion. v. Reple- „ bimur in bonis domus tuæ. " In evangelio antiph. „ Mittite in dex- „ teram navigii rete. " Data oratione itur ad fontes. Poſt pſalm. cxiii. „ Alleluja, Confitemini Do- „ mino, & invocate nomen ejus. v. ii. „ Cantate ei, & pſallite „ ei. Item v. iii. Laudamini in „ no-

a In vulgatis legitur, *de Græco primo, de Pactiſi ſecundo, de Procovia tertio*. In codice Vaticano, *de Græco*. i. *de Pactiſi, & uno de Procoma*: at in Colbertino diſtincte, *de Græco* i. id eſt, ſemel, *de Pactis* i. *de Procoma* i. Denique in Vindocinenſi, *de Græco primo, de Pactiſi ſecundo, de Procovio tertio*. Pacti & Procoma ſeu Procovium loca erant, ubi hoc genus vini naſcebatur. In editis & in codice Colbertino deſunt hæc verba, *bibunt de dato presbyteri*, quæ habentur in Vaticano.

b Pſ. 79. 1. *&* 2. *Ibid.* 9. 10.

c Pſ. 77. 1.

„ nomine ſancto ejus. “ In evangelio Antiph. „ Dixit ille diſcipu-„ lus, quem diligebat Jeſus, Pe-„ tro, Dominus eſt, Allel. “ data oratione. Item ad ſanctum Andream, poſt pſalmum CXIII. incoantes, *Hæc dies*; reſpondent omnes, *Quam fecit Dominus*, ſine antiphona. In evangelio antiphon. *Hoc jam tertio manifeſtavit*. Per titulos tantummodo pſalm. cum *Alleluja* dicunt, vel grad. *Hæc dies quam fecit Dominus*. Antiph. *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum*. *Aſcendo ad patrem meum*. Item, *Venit Maria nuncians diſcipulis*.

16 Feria V. poſt pſalmum (*a*) CXI. *Allel. Lætatus ſum*. v. II. *Stantes erant*. Item v. *Rogate quæ ad pacem ſunt*. In evangelio antiph. *Undecim diſcipuli*. Data oratione deſcendunt cum antiph. ad crucem, ad cubicellum (*b*) Rigodem. Poſt pſalm. CXIII. grad. *Hæc dies quam fecit Dominus*. Antiph. *Data eſt mihi omnis*. Inde poſt orationes ad fontes. Poſt pſalmum CXIII. *All. Qui confidunt in Domino*. v. *Montes in circuitu ejus*. Item v. III. *Ut non extendant juſti*. In evangelio antiph. *Euntes docete omnes gentes*. Item ant. *Dixit Jeſus diſcipulis ſuis, afferte*. Ant. *Ecce ego vobiſcum ſum, Alleluja, omnibus diebus, Allel.*

17 Feria VI. (*c*) poſt pſalm. (*d*) CXV. „ All. Cantate Domi-„ no canticum novum, quia mira-„ bilia. v. Notum fecit Dominus. In evangelia antiph. *Gaviſi ſunt diſcipuli, Allel.* Data oratione deſcendunt ad fontes. Poſt pſalmum (*e*) CXI. *All.* (*f*) Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ. ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. v. Ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα, καὶ νὺξ νυκτὶ ἀναγγέλλει γνῶσιν. In evan. ant. „ Accipite „ Spiritum Sanctum.

18 Sabbato poſt pſalmum *CXI. *Allel.* Δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ κυρίῳ, ἀλαλάξωμεν τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρι ἡμῶν. v. Προφθάσωμεν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐν ἐξομολογήσει, καὶ ἐν ψαλμοῖς ἀλαλάξωμεν αὐτῷ. v. Ὅτι Θεὸς μέγας κύριος, καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Et in eadem eccleſia ſequitur antiph. „ Quia vidiſti me Thoma, credi-„ diſti: beati qui non viderunt & „ crediderunt. Pſal. Beatus vir qui „ timet Dominum. Poſt hunc „ Al-„ leluja, Omnes gentes plaudite „ manibus. v. II. Quoniam Domi-„ nus ſummus, terribilis. v. III. „ Aſcendit Deus in jubilatione. “ In evangelio ant. *Mitte manum tuam, & cognoſce*. Item antiph. *Miſi digitum meum*. Item antiph. *Hæc autem ſcripta ſunt* : & data oratione finitur in nomine Domini.

a al. CXII.
b Ita in utroque codice, Vaticano & Colbertino.
c Alium Ordinem Romanum præ oculis habebat Amalarius, cum ſcriberet in libro Antiphonarii cap. LII. *In ſexta feria interponitur reſponſorius*, HÆC DIES ∴ *inter duo* ALLELUJA ∴ *de quibus ſcribitur in Ordine Romano*: USQUE AD DIEM OCTAVAM PASCHÆ, JUXTA ROMANAM CONSUETUDINEM, MEMORATUM CURSUM CELEBRAMUS, &c.
d al. CXI.
e al. CXV.
f Pſal. 18. 1. & 2.
* *al.* CX. *Pſ.* 94. 1.

Explicit feliciter Deo juvante, Amen.

ADMONITIO P. MABILLONII
IN II. ORDINEM ROMANUM.

1 QUI *hic ſequitur Ordo Romanus, primo loco editus eſt a Caſſandro & Hittorpio. Onufrius Panvinus exiſtimat eum eſſe Ordinem Gelaſianum, qui a Gregorio M. fuerit emendatus. Attamen Ordo præmiſſus plura continere videtur antiquioris ritus: quale eſt illud, quod* Sancta, *id eſt Eucharìſtia, initio Miſſæ pontificalis, nempe in proceſſione ad altare, ex ſecretario ſeu ſacriſtia deferantur: quod eadem in calicem mittantur, præter particulam ex hoſtia recens conſecrata. At in ſequenti Ordine Pontifex ad altare perveniens* adorat Sancta, *quæ proinde in altari jam exſtitiſſe neceſſe eſt, non in ſecretario, ut in alio Ordine Romano: nec mentio fit niſi de una particula in calicem miſſa.*

2 *Verum nihilo minus hic Ordo antiquiſſimus eſt, utpote quem per partes explicavit Amalarius, Ecloga in ipſum Ordinem edita: quem V. C. Stephanus Baluzius ex veterrimo codice ſancti Galli vulgavit in Appendice Capitularium. Eamdem viſum eſt hic exbibere inter Probationes librorum ritualium. Hunc ipſum Ordinem Romanum præ oculis habebat Micrologus in cap.* IX. *ubi tria obſervat ex Ordine Romano, quæ in hoc ſolo leguntur: nempe ſignum crucis in fronte & in pectore ad evangelii lectionem: baculorum item depoſitio; & ſtatio diaconi legentis verſus meridiem, non verſus ſeptemtrionem. In editis inſcribitur*, Ordo proceſſionis ad eccleſiam ſive ad Miſſam. *Aptior videtur titulus ſequens.*

S E-

SECUNDUS
ORDO ROMANUS.
DE MISSA PONTIFICALI.

1 DENUNCIATA statione diebus festis, primo mane præcedit omnis clerus Pontificem ad ecclesiam, exceptis qui obsequio illius comitantur, qui ordine suo scribuntur, exspectantes Pontificem in ecclesia. Sed dum venerit Pontifex prope ecclesiam, exeuntes acolythi & defensores ex regione illa, cujus die ad officium fuerit in obsequio, præstolantur eum loco statuto, antequam veniat ubi descensurus est. Similiter & presbyter tituli vel ecclesiæ, ubi statio fuerit, una cum majoribus domus illius civitatis, vel Patre diaconiæ, (si tamen illa ecclesia diaconiæ fuerit) cum subdito sibi presbytero & mansionario, thymiamateria deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dum venerit. Acolythi quidem cum defensoribus primum, deinde presbyteri cum suis petita benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem usque ad ecclesiam.

2 Cum vero ecclesiam introïerit Pontifex, non ascendit continuo ad altare: sed prius intrat in secretarium, sustentatus a diaconibus, qui eum susceperint de sellari descendentem: ubi cum intraverit, sedet in sella sua. Et diaconi salutato Pontifice egrediuntur e secretario, & ante fores ejusdem mutant vestimenta sua. Et parat evangelium qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto archidiaconi super planetam acolythi. Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorum mutans vestimenta solemnia, ordinabiliter compositis per primicerium & secundicerium vestimentis ejus, ut bene sedeant; novissime per diaconum vel subdiaconum, cui ipse jusserit, pallio superinduitur, & configitur per acus in planeta retro & ante, & in humero sinistro. Deinde subdiaconus regionarius porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua ipsius.

3 His ita compositis, invitante ad regiam secratrii præfato subdiacono scholam, quartus scholæ, qui semper nunciat Pontifici de cantoribus, adstans ante faciem Pontificis, & nutum ejus ad psallendum exspectans, statim dum innuit ei, egreditur ante fores secretarii, & dicit, *Accendite*. Qui dum incenderint, statim subdiaconus sequens, tenens thymiamaterium aureum pro foribus, ponit incensum, ut pergat ante Pontificem. Et ille quartus scholæ ad priorem vel secundum sive tertium, inclinato capite dicit, *Domini jubete*. Tunc statuuntur duæ acies in choro per ordinem ab utroque latere, & mox incipit prior scholæ antiphonam ad Introitum. Subdiaconi vero de schola levant planetas cum sinu: quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad Pontificem in secretarium.

4 Tunc Pontifex elevans se, dat manuum dexteram duobus presbyteris: & illi osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso sustentantes eum, præcedentibus ante eos diaconibus septem. Tunc ministri cum thymiamaterio & thuribulis non amplius ternis, procedunt ante ipsum mittentes incensum & septem acolythi portan-

tantes septem cereoſtata (*a*) foras eccleſiam accenſa, procedunt ante Pontificem uſque in chorum. Poſt thuribula portatur evangelium propius epiſcopo. Eadem autem proceſſio fit ab auſtro in ſeptemtrionem. Tunc procedit Pontifex, & antequam veniat ad ſcholam, dividuntur cereoſtata, quatuor ad dexteram, tria ad ſiniſtram. Et pertranſit Pontifex in caput ſcholæ, & in gradu ſuperiore, inclinato capite ad altare, primo adorat (*b*) Sancta, & ſtat ſemper inclinatus uſque ad verſum (*c*) prophetalem.

5 Tunc ſurgens, & faciens crucem in fronte ſua, dat pacem presbyteris duobus, & diaconibus omnibus, qui dextera lævaque ſunt, de altiore gradu numero minori: & de inferiore, majori; & reſpiciens ad priorem ſcholæ, annuit ei, ut dicat *Gloria Patri*. Et prior ſcholæ inclinans ſe Pontifici, dat gloriam Trinitati. Et Pontifex a ſæpedictis presbyteris in ſuperiorem ducendus eſt gradum, non omnino ad altare. In quo etiam loco figendus eſt greſſus, uſquequo presbyteri primum, & tunc duo & duo diaconi altaris cornua oſculentur, & noviſſime archidiaconus ſolus. Evangelium vero, ſtatim poſtquam ad altare ventum fuerit, ſuperponitur. Subdiaconi autem quaſi quadam linea porrecti, uſque ad altare progredientes, ſimul ſe inclinant coram eo, atque Evangelio (ut prædictum eſt) ſuperpoſito, redeuntes in chorum, quatuor in dextera, & tres in ſiniſtra parte conſiſtunt. Diaconi vero, ſicut prius, ſtantes retro Epiſcopum inclinati, quando dicitur *Sicut erat in principio*, ſurgunt ut ſalutent latera altaris prius, id eſt ante (*d*) Epiſcopum, duo & duo viciſſim, & redeunt ad Epiſcopum. Tandem Epiſcopus oſculatur Evangelium & altare, & pergit ad dexteram altaris ad ſedem ſuam, & ſtat erectus verſus orientem; & diaconi retro illum, unus poſt unum ſtantes erecti, plures ad dexteram, pauciores ad ſiniſtram altaris. Schola vero ad nutum diaconi imponit litaniam *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, & reliqua. Et continuo acolythi ponunt cereoſtata in pavimento eccleſiæ, quatuor quidem in dexteram partem, & tria in ſiniſtram, vel (ut alii volunt) lineatim ab auſtro in ſeptemtrionem.

6 Litania finita, incipit ſolus Pontifex clara voce hymnum, *Gloria in excelſis Deo*, ſi tempus fuerit. Deinde vero totus reſpondet chorus, *Et in terra pax hominibus*: & non ſedet prius Epiſcopus, antequam dicant poſt orationem primam *Amen*. Poſtea ſalutans populum Pontifex dicit, *Pax vobiſcum*, ſive *Pax vobis*. (*e*) Reſp. *Et cum ſpiritu tuo*. Deinde dicit, *Oremus*. Sequitur oratio prima, quam collectam dicunt, uſque *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus-ſancti, per omnia ſecula ſeculorum*. Reſp. *Amen*. Tunc tolluntur cereoſtata de loco, in quo prius ſteterant, ut ponantur in una linea ab oriente in occidentem per mediam eccleſiam. Poſt primam autem datam orationem, Pontifex ſe-

a Amalarius in Ecloga: *Candelæ primo ab acolythis inluminantur extra eccleſiam*, &c.

b Id eſt Euchariſtiam. Amalarii Ecloga ad hunc locum: *Epiſcopus veniens ante altare, adorat prima Sancta, & poſtea pacem dat presbyteris*, &c.

c Id eſt uſque ad repetitionem verſus ſeu antiphonæ ad Introitum: quæ antiphona ex Prophetæ pſalmis ſemper deſumta eſt.

d Hoc nomine Pontifex non raro abſolute appellatur.

e Addunt editi, *Sacerdos autem*, DOMINUS VOBISCUM.

sedet (*a*) versus ad populum, & presbyteri cum eo ad nutum ejus, & diaconi stant ante Pontificem. Subdiaconi autem ascendunt ad altare, statuentes se ad dexteram, sive sinistram.

7 Subdiaconus vero qui lecturus est, mox ut viderit post Pontificem presbyteros residentes, ascendit in ambonem ut legat, non tamen in superiorem gradum, quem solus solet ascendere qui evangelium lecturus est. Postquam legerit, cantor cum cantorio sine aliqua (*b*) necessitate ascendit; non superius, sed stat in eodem loco ubi & lector, & solus incoat responsorium, & cuncti in choro respondent, & idem solus versum responsorii cantat. Si fuerit tempus ut dicatur *Alleluja*, bene: sin autem, tractus: sin minus, tantummodo responsorium. Cantor vero qui incoat *Alleluja*, ipse solus cantat versum de *Alleluja*. Ipse iterum *Alleluja* dicit, stans in eodem gradu, id est inferiore (*c*).

8 Deinde diaconus osculans pedes Pontificis, petitaque benedictione, venit ante altare, & osculans evangelium, levat in manus suas codicem in quo lecturus est, & partem ejus in dextero humero ponens, vadit ad ambonem. Et procedunt ante ipsum duo subdiaconi cum duobus thuribulis, sive uno, levantes thymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensum. Et duo acolythi portantes duo cereostata, venientes ante ambonem, dividuntur à se, & transeunt subdiaconi & diaconi cum Evangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante evangelium in ambonem ex una parte ascendentes, & ex altera parte statim descendentes, redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Ille autem absque thymiamaterio vertens se ad diaconum, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit evangelium, ut manu subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit: inventoque loco lectionis, ascendit in ambonem in superiorem gradum, & dicit *Dominus vobiscum*. Respondent omnes, *Et cum spiritu tuo*. Quo audito, vertit se Pontifex, & omnis sacerdotalis gradus, sive omnis populus fidelis ad (*d*) orientem. Et postquam dixerit *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam*, sive *Marcum*, & reliqua, facit crucis signum in fronte sua idem diaconus, & in (*e*) pectore: similiterque Episcopus & omnis populus; & revertuntur ad evangelium. Sed & (*f*) baculi omnium deponuntur de manibus, & in ipsa hora, neque corona, neque aliud operimentum super capita eorum habetur. Ipse vero diaconus stat versus (*g*) meri-

a Addunt libri editi, *tribus horis*, sed perperam, ut quidem videtur. Certe Amalarius in Ecloga sua nihil de illis *tribus horis* habet. *Ideo* vero *altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant*. &c. Ita ille.

b Forte *sine aliqua cessatione*. Quamquam Ecloga innuit, cantorem *indifferenter* posse ascendere superius.

c Editi inserunt hæc verba: *Sequitur jubilatio, quam Sequentiam vocant*. At de his nihil in Ecloga. Certe nec Sequentiæ (quas vocant) id est rhythmicæ illæ cantiones, quæ inter *Alleluja* & Evangelium a nobis quandoque inseruntur, non erant in usu ante Notkerum Balbulum, qui earum auctor perhibetur, mortuus an. 912.

d Ita observat Ecloga sæpissime laudata.

e Ecloga nullam facit mentionem de pectore, sed tantum de fronte. Micrologus tamen utrumque habet in c. IX.

f Eclogæ auctor: *Post hæc baculi deponuntur e manibus*, &c. Hi erunt baculi, quibus innitebantur stantes ad orandum, ne statio esset molestior. Et infra: *Neque coronam, neque aliud operimentum super caput eadem hora tenentes*. Plura inferius de corona pontificali.

g Et id notat Amalarius in Ecloga. Verba sequentia, *alias autem ad septentrionem*, videntur huc intrusa. Confer Micrologi c. IX.

ridiem, ad quam partem viri solent confluere, alias autem ad septemtrionem. Sed & candelæ in pavimento, prædicante eo evangelium, de manibus acolythorum juxta ambonem deponuntur usque finitum tempus evangelii. Perlecto evangelio, iterum se signo sanctæ crucis populus munire festinat, & descendente diacono de ambone, subdiaconus qui in filo stat, recipit evangelium: quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculandum primum Episcopo (*a*), deinde omnibus per ordinem graduum qui steterint, & universo clero, necnon & populo: deinde conditur in loco suo.

9 Post lectum evangelium, (*b*) candelæ in loco suo extinguuntur, & ab Episcopo (*c*) *Credo in unum Deum* cantatur; & thuribula per altaria portantur, & postea ad nares hominum feruntur, & per manum fumus ad os trahitur. Deinde salutat Episcopus populum dicens, *Dominus vobiscum*: postea dicit *Oremus*. Tunc canitur offertorium cum versibus. Tunc venit subdiaconus, ferens in brachio dextro patenam, & in sinistro calicem, in quo recipiuntur amulæ populorum; & super calicem corporale, id est sindonem, quod accipiens diaconus ponit super altare a dextris, projecto capite altero ad diaconem secundum, ut expandant. Deinde transit Sacerdos ad suscipiendas oblationes. Interim cantores cantant offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, id est panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde feminæ: novissime vero sacerdotes & diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante altare. Subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur archidiaconum, & Pontifice oblationes populorum suscipiente, archidiaconus suscipit post eum amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono, quem sequitur cum scypho super planetam acolythus, in quem calix impletus refunditur. Oblationes autem a Pontifice suscipit subdiaconus, & ponit in sindonem quæ eum sequitur, quam tenent duo acolythi. Tunc tenentibus duobus presbyteris manus ejus, Episcopus redit in sedem, & lavat manus suas: deinde respicit archidiaconus in faciem Pontificis, & innuit ei. Et ille resalutato eo, & cantantibus adhuc cantoribus, accedit ad altare. Tunc subdiaconi levantes oblatas de manu subdiaconi sequentis, porrigunt archidiacono, & ille componit altare. Ornato vero altari, archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de subdiacono, & refundit super colum in calicem. Deinde descendit subdiaconus sequens in scholam, & accipit fontem de manu archiparaphonistæ, & defert archidiacono; & ille ex amula infundit faciens crucem in calicem: & ascendunt diaconi ad Pontificem. Tunc surgens Pontifex a sede, & cantantibus adhuc cantoribus, descendit ad altare, & orat, & salutat altare, & suscipit oblatas de manu presbyterorum & diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Deinde archidiaconus suscipit oblatas duas de oblationario, & dat Pontifici: quas dum posuerit Pontifex in altare, levat calicem archidiaconus de manu subdiaconi, & ponit eum super altare juxta oblationes Pon-

a In vulgaris additum, *aut presbytero*.

b Amalarius in Egloga: *Post lectum evangelium candela extinguuntur*.

c Ex Amalarii Egloga intelligimus, locum hunc de Symbolo non esse interpolatum, etsi alio ferat Berno Augiensis, qui ait Symbolum iin ecclesia Romana cantatum non fuisse ante S. Henrici principatum. Nihil tamen de Symbolo habet Micrologus, qui hunc Ordinem secutus est.

Pontificis a dextris, involutis ansis cum offertorio suo, quod etiam ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super altare, & Pontifex inclinans se paululum ad altare, respicit scholam, & annuit ut sileant, & convertit se ad populum dicens, *Orate*.

10 Tunc finito offertorio ordinantur presbyteri post Pontificem, & archidiaconus a dextris eorum; secundus diaconus a sinistris, & cæteri per ordinem disposita acie. Subdiaconi etiam, finito offertorio, vadunt retro altare, adspicientes ad Pontificem, stantes erecti usquedum dicta oratione super oblationes secreta, & Episcopo alta voce incipiente *Per omnia secula seculorum*, post salutationem & exhortationem, finita præfatione, incipiant dicere hymnum angelicum, id est *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, in quo bis repetitur *Hosanna*. Quæ dum (*a*) expleverint, surgit solus Pontifex, & (*b*) tacite intrat in canonem, & diaconi & subdiaconi & presbyteri in presbyterio omnes permanent inclinati. In quo etiam canone sex ordines (*c*) crucium observantur, quorum primus est, ubi dicitur, *Ut accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*. Secundus quippe est, ubi dicitur, *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam*. Tertius namque est crucis ordo, ubi narratur, *Et accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit*. Item, *Tibi gratias agens, benedixit*. Quartus, ubi subinfertur, *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ*. Quintus, ubi dicitur, *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis*. Sex. quidem ordo sequitur, quando profertur, *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso*, quando cum oblata calix tangitur. In eodem officio diaconi adhuc inclinati per ministerium acolythorum lavant manus suas. Et sacerdos quando dicit, *Supplices te rogamus*, humiliato capite, inclinat se ante altare. Et cum dixerit aperta clamans voce, *Nobis quoque peccatoribus*, surgunt subdiaconi, & stant in loco, ubi ante steterunt, & sursum adspiciunt in faciem Pontificis. Cum dixerit, *Per quem hæc omnia Domine*, erigit se archidiaconus solus: & cum dixerit, *Per ipsum, & cum ipso*, levat cum offertorio calicem per ansas, & tenet exaltans illum juxta Pontificem. Pontifex autem tangit e latere calicem, cum oblatis duas faciens cruces, & dicens, *Per ipsum, & cum ipso*, usque *per omnia secula seculorum*. Et ponit Pontifex oblationes in loco suo, & archidiaconus calicem juxta eas, dimisso offertorio in ansas ejusdem.

11 Sequitur in altum præfatio dominicæ orationis, & oratio dominica cum emboli (*d*) sua, in qua tres articuli orationis inveniuntur. Subdiaconi autem, postquam viderint calicem, in quo sanguis Domini est, fanone circumdatum, & audierint, *Sed libera nos a malo*, vadunt & præparant calices sive sindones

a His consentanea statuit Heraldus episcopus Turonensis cap. XVI. *Ut secreta*, id est, Canonem, *presbyteri non incoent, antequam* SANCTUS *finiatur*.

b Non ergo elata voce, ut apud Græcos, canon recitabatur. Vide Eclogam & Remigium Autisiodorensem.

c De his signis crucium interrogatus a Bonifacio episcopo Zacharias papa respondet in epistola, quæ est inter Bonifacianas ordine CXLII.

d Id est cum subsequenti oratione, *Libera nos quæsumus Domine, &c.*

dones mundas, in quibus recipiant corpus Domini, ne in terram cadat, & in pulvere (*a*) vertatur, post diaconos stantes, donec ex eo populus vitæ sumat consortationem æternæ. Nam quod intermisimus de patena, quando incoatur canon, venit acolythus, sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera usque medium canonem. Tunc subdiaconus sequens suscipit eam super planetam, & venit ante altare, exspectans quando eam suscipiat subdiaconus regionarius. Finito autem canone, subdiaconus regionarius stat cum patena nuda post archidiaconem. Quando dixerit, *& ab omni perturbatione securi*, vertit se archidiaconus, & osculata patena dat eam tenendam diacono secundo (*b*).

12 Cum dixerit, *Pax Domini sit semper vobiscum*, mittit in calicem de Sancta oblata. Sed archidiaconus pacem dat episcopo priori; deinde cæteri per ordinem, & populus, separatim viri & feminæ. Tunc Pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, & particulam quam rumpit, super altare relinquit: reliquas vero oblationes suas ponit in patenam, quam tenet diaconus, & redit ad sedem.

13 Jam archidiaconus levat calicem, & dat eum archisubdiacono, quem tenet juxta cornu altaris dextrum: & accedentes subdiaconi cum acolythis, qui sacculos portant, a dextris & a sinistris, extendentibus acolythis brachia cum sacculis, stant a fronte, ut parent sinus sacculorum archidiacono, ad ponendas oblationes, prius a dextris, deinde a sinistris. Tunc acolythi vadunt dextera lævaque post episcopos circa altare: reliqui descendunt ad presbyteros, ut frangant hostias. Patena præcedit juxta sedem, deferentibus eam duobus subdiaconibus ad diaconos ut frangant. Sed illi adspiciunt ad faciem Pontificis, ut eis innuat frangere. Et dum innuerit, resalutato Pontifice confringunt, & archidiaconus evacuato altari oblationibus, respicit in scholam, & innuit eis ut dicant *Agnus Dei*, & vadit ad patenam cum cæteris. Expleta confractione, diaconus minor levatam de subdiacono patenam defert ad sedem, ut communicet Pontifex, qui dum communicaverit, de ipsa Sancta, quam momorderat, ponit inter manus archidiaconi in calicem, faciens crucem ter, dicendo: *Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Jesu-Christi accipientibus nobis in vitam æternam*. Respond. *Amen*. *Pax tecum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*.

14 Deinde venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & annunciat stationem: & refuso parum in calicem de scypho inter manus acolythi, accedunt primum episcopi ad sedem, ut communicent de manu Pontificis secundum ordinem. Sed & Presbyteri omnes ascendunt ut communicent ad altare. Episcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi, & stat in cornu altaris, ut confirmet sequentes ordines. Deinde archidiaconus, accepto de manu illius calice, refundit in

a Nempe per confractionem, de qua in Ordine superiori. Obscurum est quod habet Ecloga hoc loco: *Postea*, scilicet post Orationem dominicam, *commixtum corpus Domini cum vino, simulque pace annunciata, aufertur dominicum corpus de altari*. Et infra: *Et ideo quia totus homo surrexit, simul fas est ut illico cum oblatione calix Domini auferatur de altari*, nempe ad communicandum (ut quidem videtur) Pontificem, qui ad sedem suam communicare solet.

b Post hæc additur in editis: *Post solutas (ut in his partibus mos est) pontificales benedictiones, cum dixerit &c.* Quod additamentum esse non dubito Gallicani vel Germanici Scriptoris, cum apud Romanos in usu non essent ejusmodi benedictiones, ut superius notavimus, nec quidquam de illis in Ecloga legatur.

in scypho, quem supra diximus, & tradit calicem subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmet populum. Calicem autem subdiaconus accipit sequens, & dat acolytho, & ille revocat in paratorium. Quos dum confirmaverit, id est quos Papa communicat, descendit Pontifex a sede, tenentibus ei manus qui eum duxerint, ut communicet eos qui in senatorio sunt: post quem archidiaconus confirmat. Postea episcopi communicant populum innuente Pontifice, & post eos diaconi confirmant. Presbyteri autem jussu Pontificis communicant populum, & ipsi vicissim confirmant. Nam mox ut Pontifex cœperit communicare populum in senatorio, statim schola incipit antiphonam ad communionem, & psallunt usquedum communicato omni populo, etiam in parte mulierum, redit in sedem, & repetito versu quiescunt. Post omnes hos communicat ad sedem regionarios per ordinem, & eos qui in filo steterant, & saccellarium, & acolythum, qui patenam tenet, & qui manutergium tenet & qui aquam dat: & post Pontificem archidiaconus eos confirmat.

15 Pontifex autem contemplans populum communicatum esse, innuit per subdiaconum primo scholæ: & ille resalutato eo, dicit *Gloria Patri*, & *Sicut erat*, & versum. Et finita antiphona, surgit Pontifex cum archidiacono, & veniens ad altare dat orationem ad complendum. Qua finita, cui præceperit archidiaconus de diaconibus, adspicit ad Pontificem, ut ei innuat, & dicit ad populum, *Ite, Missa est*. Resp. *Deo gratias*. Tunc septem cereostata præcedunt Pontificem, & subdiaconus cum thuribulo ad secretarium. Descendente autem illo in presbyterium, episcopi primum dicunt, *Jube domne benedicere*. Resp. *Benedicat vos Dominus*. Resp. *Amen*. Post episcopos presbyteri, deinde (*a*) monachi, deinde de schola, deinde omnes processores, & mansionarii; & intrat in secretarium.

a Monachi quippe tunc temporis quando hæc scripta sunt, degebant apud Lateranum, & ad sanctum Petrum, ex dictis supra in Commentarii c. IV.

SANCTI GREGORII
PAPÆ
OPERA LITURGICA
HOC EST

SACRAMENTARIUM A MURATORIO EDITUM, RESPONSORIALES, ANTIPHONARII ET GRADALES LIBRI EDITI A VEN. CARDINALI THOMASIO EX RECENSIONE VEZZOSII.

MONITUM E. V.

AD OPERA LITURGICA S. GREGORII PAPÆ.

Quam hactenus dedimus Isagogen nostram, veluti PRÆFATIO quædam generalis fuit, quam ad Opera Liturgica S. Doctoris concinavimus, quemadmodum spoponderamus in generali Præfatione. Quocirca nihil est, cur hic diutius in antecessum præloqui & Lectores nostros morari debeamus: præsertim quia Auctores, quorum laboribus recudendis usi sumus, cum suis quemque præfationibus in rem nostram transferre visum est. Itaque Sacramentario Muratoriano notulas quasdam subjecimus, ex Menardo & Thomasio decerptas, & ad calcem rejectas pro Typographi commoditate, cui etiam serviendum fuit. Accipient illud antiquæ Ecclesiæ rituum studiosi cum appendicibus suis, cum præfatione & duobus capitibus VI. videlicet ac VII. ex diatriba de rebus Liturgicis ex eodem Muratorio desumtis. In illo tamen omisimus Breviarium Ecclesiastici Ordinis: tum quia pluribus scatet mendis amanuensis, tum vel maxime quia pertinet ad Monachos in Cœnobiis. In hac tantum parte ab Illustrissimi Archiepiscopi GRADONICI placitis recessimus: nam maluisset ille Pamelianum pro Menardiano Sacramentario recudi. Sed aliter nobis visum est, ob eas quas infra rationes invenient Eruditi a Muratorio ipso expositas. Ac fortasse Ill. Præsul non ab re istud existimavisset, si de eo Sacramentario inter scribendum illius menti succurrisset. Sacramentarium porro excipient duo *Responsorialia* ex Tomo IV. operum Thomasii ex recensione Vezzosi: itemque ex tomo V. *Antiphonarius* & *Gradalis*: quæ opuscula cum suis appendicibus præcedent suorum auctorum eruditissimæ præfationes, ex quibus multa desumsimus jam, quæ in nostram Isagogen immigrarunt. Vereor nonnihil fore aliquos qui mihi succenseant, quasi qui plures ejusdem generis libros edere voluerim. At isti sciant, sic eos esse plures numero, ut tamen re singulares sint in genere suo quisque, cum in uno deficiant sæpe aut diversa sint quæ in alio reperiuntur; & ad internoscenda ea fortasse quæ Gregoriana sunt, ab iis quæ subinde adjecta fuerunt, nonnisi bini ejusdem generis libri satis fortasse esse queant. Quod utinam per voluminis magnitudinem etiam in Sacramentario facere potuissemus. At illud sua mole nos a consilio deterruit.

ruit. Quod ſi quidam de nobis querantur, quod in Liturgicis Sammarthanea univerſa immutaverimus: hi profecto cum legerint diatribam Gradonicianam de procuranda nova Operum S. Gregorii Papæ editione, quam Vindiciis Gregorianis ejuſdem Auctoris ſuo loco juxta promiſſionem noſtram ſubnectemus; hi profecto inquam ſententiam mutabunt, & in noſtram manibus pedibuſque, ut ajunt, ituros confidimus. Sed quia ad juſtam rationem Liturgicam habendam adhuc deſiderabantur Miſſales Lectiones & Evangelia, quibus olim vetus Eccleſia utebatur; animus erat hæc omnia ad calcem cujuſvis Miſſæ vel Officii ſupponere: deinde conſultius viſum eſt integra hæc opuſcula quaſi complementum quoddam noſtræ Iſagoges cæteris libris ſubnectere. Itaque poſt editos libros S. Gregorii, qui ad veterem Eccleſiæ ritum in Divinis pertinent, ceu notas quaſdam generales ad illos, tria dabimus Thomaſiana opuſcula ex Vezzoſiana recenſione, quæ ſic Liturgias Gregorianas ad juſtam amuſſim revocabunt, videlicet ex tomo V. 1. Comitem, 2. Lectionarium Miſſæ, & 3. Capitulare Evangeliorum. His habitis poterit quiſque integras Miſſas ſibi compingere ex uſu veteris Eccleſiæ ubicumque libuerit, ex ſolis S. Gregorii voluminibus, non conquiſitis aliunde libellis, quod pleriſque ſtudioſis harum ſacrarum antiquitatum cordi eſſe jam dudum animadvertimus. Porro vix dubitandum, quin hujuſmodi etiam libri ad Gregorium proxime pertineant. Quicumque enim tandem fuerit ille Gregorius, qui in recenſendis veteris Liturgiæ libris diligentiam adhibuit; idem certe neceſſaria connexione & ordinandis Lectionariis ſive Capitularibus debuit navaſſe operam. Hæc ſunt paucis, Lector benevole, de quibus te monitum volebam: neque enim ſtat animo ſupervacanea verba inutiliter profari. Jam ergo ad præſtanda ea quæ ſpopondimus, accedamus.

PRÆ-

PRÆFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII

In Opera ſua Liturgica.

NON anguſtum Eruditionis Eccleſiaſticæ campum ſtudioſæ genti ſacra Liturgia exhibet, quæ de Ritibus adhibitis ad publicum Dei cultum, in miniſtrandis divinis Sacramentis, atque in aliis Catholicæ Religionis Officiis agit. Ex quo Carolus Magnus Auguſtus, ejuſque Filius Ludovicus Pius tam Gallos quam Germanos ad reſtaurandum jacentium Literarum Regnum excitavit, jam tum docti Viri ad hujuſmodi argumentum exornandum ſe contulere, Amalarius, Florus Magiſter, Agobardus, Rhabanus Maurus, Walafridus Strabo. Subſequentibus ſeculis Berno Augienſis Abbas, Micrologus, & qui ſub Alcuini nomine evulgatus eſt Scriptor. Serius quoque Guilielmus Durandus, & Johannes Belethus de divinis Officiis multa tradidere. Tum ſeculo Chriſti ſexto decimo Jacobus Pamelius, Georgius Caſſander, Johannes Stephanus Durantus, Claudius de Sainctes, & alii, qui Orientalium Eccleſiarum Liturgias Latio donarunt, in hac palæſtra ſe exercuere. Longe majori etiam ſucceſſu, ſubſequente ſeculo decimo ſeptimo, Liturgiæ Eccleſiaſticæ patrimonium eſt auctum. Nam, ut alios prætercam, Joſeph Vicecomes, Johannes Baptiſta Caſalius, Bartholomæus Gavantus, Jacobus Goar, Gabriel Albaſpinæus, Leo Allatius, Johannes Morinus, & Hugo Menardus, accuratius de Ritibus ſacris ſcripſere. Sed omnium maxime nos obſtrictos fatemur tribus hoc de argumento Scriptoribus, videlicet Johanni Bonæ Cardinali, qui Res Liturgicas tanta cum eruditione ac judicio pertractavit; & Venerabili Cardinali Joſepho Mariæ Thomaſio, qui tot egregia hac de re Monumenta tenebris erepta evulgavit; & Johanni Mabillonio immortalis nominis viro, qui in hoc etiam argumentum vires ſuæ eruditionis non uno opere extendit. Ab hiſce vero Catholicorum ſtudiis excitatus inter Anglicanos Joſeph Binghamus, quum multis & ipſe Libris Origines, ſive Antiquitates Eccleſiaſticas excolendas poſt primos ſeculi præſentis annos ſuſcepiſſet, Liturgiam quoque ſacram illuſtrare aggreſſus eſt, Sectæ ſuæ pro viri-

bus serviens, sed non semper veritati. Iisdem ferme temporibus egregium Opus confecit Eusebius Renaudotius Parisiensis, *Collectionem* scilicet *Liturgiarum Orientalium*, quas etiam eruditis Notis auxit. Mirum quoque in modum bene de eadem Liturgia meritus est Pater Don Edmundus Martene Benedictinus e Congregatione Sancti Mauri, editis quatuor Tomis *de antiquis Ecclesiæ Ritibus*. Ad hæc, Pater Petrus le Brun, Oratorii Parisiensis Presbyter, quatuor aliis Tomis *Explicationem Missæ*, omnium utilissimam, & Liturgiarum quarumcumque compendium, nobis dedit, una cum aliquot Dissertationibus Liturgicis, quibus singularis laus debetur. In Italia vero Pater Joseph Blanchinius, Oratorii Romani Presbyter, insigne beneficium Christianæ Reipublicæ contulit ob detectum, typisque publicis traditum *Leonianum Sacramentarium*, simulque ob antiquum Gothico-Hispani Ritus Orationarium, luce donatum atque illustratum. Præterea Pater Don Cajetanus Maria Meratus Clericus Regularis *Thesaurum sacrorum Rituum Gavanti* amplificavit. Sed & sanctissimus Pontifex hodie regnans BENEDICTUS XIV. pro suo erga eamdem Liturgiam amore, cujus etiam partes aliquot suis jam editis Libris exornavit, inter alias a se institutas in Urbe Academias, Liturgicam minime neglexit, atque inde jam fructum se percepisse gavisus est. Nam Dominicus Georgius *Pontificiam Missam* multiplici eruditione illustravit. Ad elucidandam quoque *Mozarabicam*, aliasque Hispanicas Liturgias multum studii contulit Pater Joseph Pinius e Societate Jesu: Petrus vero Morettus Canonicus sanctæ Mariæ trans-Tiberim, *Ritum dandi Presbyterium* exponens, Liturgica multa complexus est. Alia alii ex doctis iis Viris meditantur, continuandæque profecto messis spes nobis est facta.

Quod tamen expostulare quisquam possit, ejusmodi materies exhausta jam videatur, & occupata a tot eximiis Scriptoribus provincia, prope est ut quisquiliæ tantummodo, aut merces parum utiles successoribus sint relictæ. Atque in hanc ipsam cogitationem antea præreptum me fateor, quum nuper memoratus Pater Blanchinius a studiis Liturgicis avocatus, ob impositum sibi a prælaudato Pontifice Maximo onus concinnandi Annales Ecclesiasticos Odorici Raynaldi, sibi jam parata antiquissima Gregoriani Sacramentarii exemplaria ad me misit, ut per me aliquo cum fœnore donum hoc acciperet Catholica Ecclesia. Nam quis, ajebam ego, in animum inducat, Sacramentario huic commentarios & ornamenta comparare se posse, quando hoc mu-

munere adeo feliciter Hugo Menardus Monachus Benedictinus est functus? Unum ergo mihi proposui, scilicet conjuncta exhibere Lectoribus Romana tria Sacramentaria, *Leonianum* videlicet, quod paucorum in manus hactenus pervenit, dignumque majori plane fortuna est; tum *Gelasianum*, cujus exempla jam rara admodum evaserant; denique *Gregorianum* ex omnium id genus antiquissimo Codice MSto expressum; ejus enim ætas nongentos annos superare deprehensa mihi est. In tribus hisce Sacramentariis tota Liturgia Romana vetus concluditur, eamque habere conjunctam, non ingratum compluribus futurum arbitrabar. At mecum simul recogitabam; ex tot hominibus, qui sacris Literis dant operam, quot quæso erunt, quibus videatur, aliquid utilitatis extundi ex hoc Opere posse? Nobis sunt, inquient illi, Missales nostri: quidquid in vetustis, immo & vetustissimis occurrit tam Precum, quam Rituum, in his quoque nostris deprehenditur; immo plura habent nostri, quam illi. Cur ergo exoletos & carie consumtos Codices excutere hic homo velit, ut nobis non aliud præbeat, quam quod a tanto tempore possidemus? Res nunc est mihi, non cum veris Eruditis, doctissimisque hominibus, qui probe norunt, quanti facienda sint tum in se ipsis, tum ob ipsam antiquitatem ejusmodi Sacramentaria, quantumque sit pondus ipsius vetustatis in Controversiis Ecclesiasticis; sed cum id genus hominibus, qui præ oculis aurifodinas habentes, earum tamen pretium minime noscunt, aut omnem educendi auri rationem ignorant. Itaque hosce tantum monendos duco, nullam graviorem, nullam celebriorem inter nos, atque Acatholicos fervere Controversiam, quam quæ Eucharistiam & Sacrificium Missæ respicit. Ad hanc autem dirimendam mirifice conducit Liturgicorum Codicum auctoritas, si quos ostendere possumus natos ante putidam fabellam de Paschasio Ratberto, quem stulta imaginatione Heterodoxi somniarunt veteris Catholicæ doctrinæ corruptorem. Istius itaque doctrinæ stabilem semper, & numquam variatam in Ecclesia Dei veritatem demonstrandam mihi sumsi, ope potissimum vetustissimæ Romanæ Liturgiæ. Adjeci consensionem reliquarum omnium veterum Liturgiarum Christiani orbis, Sanctorumque etiam Patrum, ita ut idem Dogma de Eucharistia in omnium temporum, in omnium locorum Ecclesiis constantissime viguisse videas, & grandi piaculo Novatores ab eo recessisse. Tanto autem fidentius in agonem istum descendi, quod, uti infra ostendetur, Heterodoxi eadem arma, quæ toties ab illustribus Catholicæ communionis pu-

M 2 gili-

gilibus protrita fuere, nobis opponere pergunt, quaſi eorum vigor perduret, ſatiſque futurus ſit ad continendum in fide contribulum ſuorum gregem. Si quis ergo ex iis umquam hæc pauca legat, & ſincere in tanti momenti re ſecum agat, non inutili fortaſſe labore eadem ego congeſſerim. Sin minus, hoc ſaltem conſequuturum me ſpero, ut quicumque e noſtris, minus in ejuſmodi concertationibus verſatus, ad iſta legendum adducatur, ſibi ea conſolationi eſſe ſentiat, dum ab infantia acceptam fidem ſuam tanto totius Antiquitatis conſenſu firmatam agnoſcet, ſimulque excuſatione eos minime dignos intelliget, qui ineffabile Myſterium Euchariſtiæ, & Miſſæ Sacrificium, ſua dignitate temerario auſu privarunt, ejuſque veritati inſultare adhuc non deſinunt.

Denique, ut Lector ſub oculis habeat antiquiora Occidentalium Eccleſiarum Sacramentaria, Romanis adjuncta volui Miſſale Gothicum, Francorum, & Gallicanum vetus, a Cardinali Thomaſio edita; uti & alterum Gallicanum, una cum duobus omnium antiquiſſimis Romanæ Eccleſiæ Ritualibus Libris a Mabillonio evulgatum. De his poſtremis aliquid ſuo loco præfabor.

E X E O D E M

LUDOVICO ANTOIO MURATORIO

DE REBUS LITURGICIS

CAPUT VI.

DE SACRAMENTARIO GREGORIANO.

Exploratum habemus, Gelaſianum Sacramentarium a Sancto Gregorio Magno coarctatum fuiſſe, atque ad eum ordinem redactum, qui deinceps in Romana Eccleſia, cæteriſque ipſam imitantibus, ad noſtros uſque dies obſervatus eſt, additamentis tamen non paucis, ſed levibus, idemtidem factis, quibus nihil ſubtractum fuit ſubſtantiæ Gregoriani fœtus. Johannem Diaconum (*a*) Hadrianum Primum Papam (*b*), & antiquiſſimos alios Scriptores, atque Miſſales, teſtes habemus hujuſmodi laboris. Illud tantummodo quærendum venit, an Codex aliquis ſuperſit, purum ac germanum Gregoriani Sacramentarii textum exhibens. Et quidem ſine dubitatione reſpondendum ajo, nullum hactenus repertum, immo reperiendi ſpem omnem ereptam videri. Quum enim non Romana tantum Eccleſia, ſed & reliquæ, novos dies Feſtos in antiquam Liturgiam inveherent, vix fieri potuit, ut Codex aliquis tantæ antiquitatis ad nos venerit, in quo nihil additamenti occurrat. Itaque illud dumtaxat in votis mihi fuit, ut, quem poſſem reperire textum Gregorianum, cæteris antiquitate præſtantem, Lectori exhiberem. Sacramentarium Gregorianum Anno Chriſti 1571. primus ex antiquiſſimo Codice evulgavit Jacobus Pamelius (*c*): quod tamen quicumque conferat cum textu, quem ego prolaturus ſum, ſtatim animadvertet, eidem antiquitate cedere; multa quippe in eo addita occurrunt, quæ in infra mihi edendo minime ſpectantur. Alterum poſtea evulgavit Angelus Rocca, Apoſtolici Palatii Sacriſta (*d*). In eo etiam minor vetuſtas, quam in Pameliano. Tertium denique Hugo Menardus (*e*) ex ſancti Eligii Codice MSto expreſſum & Notis illuſtratum typis tradidit: illudque Clariſſimi Patres Benedictini e Congregatione Sancti Mauri nobis iterum dedere (*f*). Duo autem ibi conſideranda ſunt. Textus videlicet Gregoriani Sa-

a Johannes Diaconus in vita S. Gregorii M.

b Hadrianus I. Papa in Epiſtola ad Carolum M.

c Jacobus Pamelius Tom. II. Liturgicon.

d Angelus Rocca in editione Operum S. Gregorii I. ſub Clemente VIII. Romæ peracta.

e Hugo Menardus, Sacramentarium Gregorii M.

f Nova Editio Operum S. Gregorii I. a Benedictinis S. Mauri inſtructa.

Sacramentarii; ipsiusque Menardi Notæ. Ad hasce quod attinet, eæ ex multiplici eruditione, qua in Liturgicis rebus eminebat Vir doctissimus, summopere sunt commendandæ, & dignæ, quæ omnium manibus terantur. Quod vero pertinet ad Gregorianum textum ab eo editum, en quid de eo senserint prælaudati Benedictini in Præfatione ad idem Sacramentarium: „ Et „ sane, *inquiunt*, perpensis omni- „ bus æquiori lance, nullum ipsi „ vel ob antiquitatem, vel ob in- „ tegritatem præferendum duximus, „ lecta, quam editioni suæ Vir „ doctissimus præfixit, Præfatione. " Verum Venerabili Cardinali Thomasio, uti in ejus Vita memoriæ proditum lego, aliter visum fuit. Scilicet optasset ille, ut Benedictini Gregorianum a Pamelio editum Sacramentarium in editione Operum sancti Gregorii M. prætulissent, quum illud magis conforme ac simile censeret primigenio textui sancti Pontificis, quam alterum a Menardo evulgatum: quod tamen facere ii vetabantur, quando statuerant utilissimas Menardi Notas in suam editionem inferre, quæ textui diverso a Menardino minime respondissent.

Cæterum quin Pamelii textus Menardino sit præferendus, uti arbitratus est Thomasius, ac deinde confirmavit eximius Pater Mabillonius, nemo dubitare poterit, qui diligentiori lance utrumque expendat. Nimis enim multa sunt in Gregoriano Sacramentario Menardi, quæ sanctum Gregorium auctorem nequaquam agnoscunt, & a vetustis Romanæ Ecclesiæ moribus recedunt, ita ut sancti Eligii Codex (quo tamen non ipse sanctus Eligius, sed Monachi sancti Eligii olim utebantur, & usus postea est Menardus ad suam editionem) non sit ejus antiquitatis & integritatis, quam sibi persuaserunt Monachi Benedictini. In oculos primo statim incurrunt innumeræ, ut ita dicam, Præfationes illæ, quæ ad singulos ferme festos dies, & ad omnes totius anni Dominicas, vel ad ipsas Vigilias, & ad privatarum necessitatum Missas adjunguntur. Atqui tantam Præfationum copiam a sancto Gregorio profectam atque probatam, a credendo nos vetera monumenta deterrent. Concorditer quidem procedebant universæ Orbis Christiani Ecclesiæ in quadam Præfatione sive Præparatione ad Canonem, quam Hymno Seraphico concludebant; atque istius communis Præfationis mentio est apud Sanctos Cyprianum, Cyrillum Hierosolymitanum, Chrysostomum, Augustinum, aliosque Patres. Sed mos sensim in Occidente invaluit, ut huic Præfationi aliquid singulare adderetur, pertinens ad singulas quasvis Festivitates. Antiquitatem hujusce consuetudinis habemus a Concilio Milevitano II. quod An. Christi 416. præsente S. August. celebratum fuit. Ibi hæc leguntur: (*a*) „ Placuit etiam & illud, ut „ Preces, vel Orationes, seu Mis- „ sæ, quæ probatæ fuerint in Con- „ cilio, sive Præfationes *&c.* ab o- „ mnibus celebrentur. Nec aliæ o- „ mnino dicantur in Ecclesia, nisi „ quæ a prudentioribus tractatæ „ vel comprobatæ in Synodo fue- „ rint, ne forte aliquid contra Fi- „ dem, vel per ignorantiam, vel „ per minus studium sit composi- „ tum. " En qualis æmulatio olim foret piis hominibus Latinis, vel ipso quinto Ecclesiæ seculo, concinnandi novas Orationes, Præfationes, & Missas. Par quoque in ipsa Romana Ecclesia studium fuit. Vide Sacramentarium Leonianum, in quod confluxisse videtur quid-

quid

a Concilium Milevitanum II. Can. XII.

quid Præfationum Romæ habebatur, quo tempore illud confectum fuit. Vide & Gelasianum, ubi non levis Præfationum copia; & profecto, ut jam didicimus ex Anastasio, sanctus Gelasius fecit *Sacramentorum Præfationes*.

Quum autem usque ad Gregorium Magnum eodem Sacramentario Gelasiano usa fuerit Ecclesia Romana, justæ propterea dubitationi aditus relinquitur, an tribuenda sit Pelagio II. Papæ Epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ, quam in Conciliorum Collectionibus, & in Annalibus Ecclesiasticis Cardinalis Baronii habes ad An. Christi 590. hoc est centum post Gelasii mortem annis. Petebant Episcopi illi „ ordinem Præfationum, quem sancta Romana Ecclesia hactenus „ haberet. *Rescribit Pontifex*: Sacrum Ordinem Romanum, sacraque „ constituta nostrorum Antecessorum relegentes, invenimus, „ has novem Præfationes in sacro „ catalogo recipiendas, quas longa „ retro veritas in Romana Ecclesia „ hactenus servavit. Unam in Albis „ Paschalibus, aliam de Ascensione „ Domini, tertiam de Pentecoste, „ quartam de Natali Domini, „ quintam de Apparitione „ (*idest de Epiphania*), sextam „ de Apostolis, septimam de Sancta „ Trinitate, octavam de Cruce, „ nonam de Jejunio & Quadragesima „ tantummodo dicendam. Has Præfationes tenet & „ custodit sancta Romana Ecclesia. „ Has tenendas vobis mandamus. " Isidori Mercatoris fœtum adulterinum hanc Epistolam suspicatus est Labbæus. Cardinalis vero Bona suspicionem concepit, „ ne alterius „ forte Pontificis recentioris sit, & „ Pelagio per errorem tributa. " Suspicionis suæ caussam deinde is adfert, inquiens: „ Si enim ætate „ Pelagii illis tantum Præfationibus „ Romana Ecclesia, tamquam dudum „ in ea receptis & approbatis „ utebatur: quomodo Gregorius, „ ejus immediatus Successor, „ sacrorumque Rituum tenacissimus „ custos, alias novas instruxit? „ Evidens enim est, in Libris Antiquis „ Sacramentorum, qui Romanæ „ Ecclesiæ titulum præ se ferunt, „ plures reperiri Præfationes: „ vixque ulla Missa est, cui „ propria & peculiaris non assignetur „ Præfatio. " Cardinali Bonæ majori fragore subscripsit Pagius (*a*), iisdem, ac ille, rationibus usus. Suppostitiam, aut alteri Romano Pontifici recentiori potius tribuendam, & ego arbitror Epistolam illam Pelagii II. Papæ, sed non ob adducta argumenta. Decepti namque ab editione Menardi tam Bona, quem Pagius, sibi persuasere, tot in Gregoriani Sacramentarii editione Menardina Præfationes ab ipso Gregorio Magno Pontifice esse profectas: quod tamen cum veritate pugnat; quippe brevi palam fiet, dumtaxat paucas illas, quibus nunc utimur, Præfationes a sancto Gregorio esse receptas atque probatas. Ratio ergo, cur suppositionis arguenda sit Epistola nuper memorata, ea est, quod revera ante Pelagium II. atque ante annum 590. Ecclesia Romana compluribus usa fuit Præfationibus, uti constat e Sacramentariis Leoniano & Gelasiano, atque ex Anastasio scribente, *Sacramentorum Præfationes* a sancto Gelasio elaboratas fuisse: quæ verba non novem tantum, easque brevissimas Præfationes indicant, sed quidem multas, quales in Gelasiana Liturgia reperimus. Itaque falso ea scripsisset Pelagius Secundus. Contra Auctor illius Episto-

(*a*) Pagius Critic. Baron ad Ann. 590.

ſtolæ, fortaſſis Iſidorus Mercator, quum ineunte ſeculo Chriſti nono, ſive ſub Carolo Magno ſpurias Epiſtolas ſcriberet, merito affirmare potuit, nonniſi novem Præfationibus a longo tempore uti Romanam Eccleſiam: nam revera nonniſi octo, aut novem, aut decem a Gregorii Magni temporibus eadem uſurpavit in ſacris, idque antiquiſſimi Codices teſtantur.

VERUM unde in editum a menardo Sacramentarium tanta Præfationum copia irrepſit? Micrologus ſeculi undecimi Scriptor, auctor eſt, Alcuinum Albinum ſub finem ſeculi octavi confeciſſe, aut collegiſſe varias Præfationes, quæ tamen ſanctum Gregorium minime auctorem habebant: (*a*) „ Fecit (*ſunt* „ *ejus verba*) idem Albinus in ſan„ cta Eccleſia non contemnendum „ opus: nam Gregorianas Oratio„ nes in Libris Sacramentorum col„ legiſſe aſſeritur, paucis aliis ad„ jectis, quas tamen ſub obelo no„ tandas eſſe indicavit (*ut eas a* „ *Gregorianis diſtingueret*). Deinde „ alias Orationes, ſive Præfationes, „ etſi NON Gregorianas, Eccleſia„ ſticæ tamen celebritati idoneas, „ collegit, ſicut prologus teſtatur, „ quem poſt Gregorianas Orationes „ in medio ejuſdem Libri colloca„ vit. “ Qui vero in Gallicanis & Germanicis Eccleſiis pietate præſtaſtabant, ejuſmodi proprias Præfationes ad majorem quibuſdam diebus venerationem conciliandam in Liturgiam Gregorianam intulere. In Chronico Centulenſi apud Dacherium memoratur (*b*) *Miſſalis Gregorianus, & Gelaſianus Modernis Temporibus ab Albino ordinatus*. Confer cum Sacramentario per Menardum edito Gelaſianum: reperies non paucas e Gelaſianis Præfationibus in Gregorianam Liturgiam immigraſſe, ut in Vigilia Natalis Domini in nocte, Feria VI. in Albis, Dominica II. & Dominica IV. poſt Octavas Paſchæ, ut alias prætercam. Reliquæ vero, non Gelaſianæ, ab Alcuino Albino aliunde collectæ fuerunt. Mos autem fuit in deſcribendo Sacramentario Gregoriano, ejuſmodi Præfationes non Gregorianas ſeorſim apponere, uti fœtus minime ſancto illi Pontifici tribuendos, adhibendas tamen devotionis cauſſa pro opportunitate Feſtorum. Incertum eſt, an Codex ſancti Eligii, quo uſus eſt Hugo Menardus, eaſdem ad quamlibet Miſſam inſertas haberet, an ad calcem Codicis rejectas. In Cæſarea Vindobonenſi Bibliotheca inſigne antiquitatis monumentum viſitur, celeberrimum videlicet Sacramentarium Gregorianum, quod Petrus Lambecius (*c*) idem ipſum eſſe cenſuit ac miſſum ab Hadriano I. ſummo Pontifice ad Carolum Magnum Francorum & Langobardorum Regem, ut patet ex Epiſtola LXXXII. Codicis Carolini.

An tantæ antiquitatis cenſendus foret ejuſmodi Codex, dubitans ego, hac de re literas dedi ad Dominicum Bricherium Columbum, amicum meum doctiſſimum, ut ipſum ſcrutaretur, ſive judicium expoſceret domini Forlaſiæ primi Bibliothecæ Cuſtodis. Reſcripſit ille, in Oratione Feria VI. in Paraſceve legi: *Oremus & pro Chriſtianiſſimo Imperatore noſtro*; alia vero manu ſupra ſcriptum fuiſſe *REGE*. Non aliud habere potuit, atque habuit Sacramentarium Gregorianum, quam *pro Imperatore noſtro*: ita enim ſuo tempore ſcripſit ſanctus Gregorius. Quonam vero tempore ſcriptum in eo Codice fuerit *Rege*, incertum eſt. Ibi quoque ha-

(*a*) Micrologus Cap. LX. de Eccleſ. Obſerv.

(*b*) Dacherius in Spicilegio Lib. III. Cap. III.

(*c*) Lambecius Tom. II. Cap. V. Biblioth. Cæſar.

que habetur : (a) „ Die Dominica Missa de Sancta Trinitate . Feria secunda de Sapientia . Feria tertia de Spiritus Sancti dono postulando &c. " At hujusmodi Missæ , uti nos veteres Liturgici Scriptores monuerunt, auctorem agnoscunt prælaudatum Alcuinum Albinum , ita ut hinc discamus , exaratum fortasse fuisse Codicem illum ante finem seculi octavi ; at non eum esse potuisse, qui ab Hadriano I. Pontifice ad Carolum Magnum missus fuit. Præterea ante idem Vindobonense Sacramentarium primigenia manu scriptæ occurrunt *Præfationes* Missarum a prima Dominica Quadragesimæ usque ad Feriam sextam in Parasceve . Deinde „ Missa de Patronis Ecclesiæ. Benedictio Candelarum in die Purificationis sanctæ Mariæ Virginis . Missa sancti Christophori ; & Kalendarium . " Tandem sequitur hic titulus , literis alternis ex auro , argento , minio , atque atramento efformatis : „ In nomine Domini . Incipit Liber Sacramentorum in circulo Anni , expositum a sancto Gregorio Papa Romano , editum ex authentico Libro Bibliothecæ Capituli scriptum . " Viden' ut Præfationes distinctæ sint a Gregoriano Sacramentario? Eam sane ob caussam , quod auctorem non habent præclarissimum illum Pontificem. Spectasse Codicem hunc ad celeberrimum *Augiæ Majoris* Monasterium in Constantiensi Diœcesi situm, ex Kalendario eruitur , ubi anniversarius dies obitus , & interdum ordinationis illorum Abbatum adnotatur, atque insuper Regum , aliorumque hominum, bene de eodem Cœnobio meritorum , dies emortualis vario charactere signatur . Postremus Regum est *Henricus Rex*, Primus videlicet ejus nominis in Germania ; Abbatum vero *Folevvinus* , qui Anno Christi 809. electus fuit . In eo Codice nonnullæ Missæ, Orationes, & Benedictiones nobis sese offerunt, quæ in Codice Menardi desiderantur; & aliæ contra exstant apud eumdem Menardum, quibus caret Vindobonensis Codex.

Sunt & alii in Italia vetustissimi Codices ejusdem Gregorianæ Liturgiæ. An ex iis aliquem adservaret insignis Aquilejensis Patriarchalis Ecclesia , a Cl. V. Johanne Dominico Berroli , ejusdem Ecclesiæ Canonico, sum percontatus . Retulit ille, haberi illic elegantissimum Codicem , cujus ætas spectare videtur ad seculum Christi nonum , aut decimum. En ejus titulum : „ In Christi nomine incipit Liber Sacramentorum de circulo anni, a sancto Gregorio Papa Romano editum , qualiter Missa Romana celebratur. Hoc est in primis Introitus &c. " In Bibliotheca quoque insignis Capituli Canonicorum Veronensium exsistit idem Sacramentarium cum usitato titulo, scilicet: „ Incipit Liber Sacramentorum de circulo anni, expositus a sancto Gregorio Papa Romano , editus ex authentico Libro Bibliothecæ Cubiculi scriptus , qualiter Missa Romana celebratur. " Consultus a me Bartholomæus Campagnola , sanctæ Cæciliæ Archipresbyter, & Veronensium rerum peritissimus , ad me rescripsit, in Benedictione Cerei Sabbatho sancto hæc legi : „ Ut nos famulos tuos &c. una cum Papa nostro (illo) & gloriosissimo Rege nostro Ottone , nec non & venerabili Antistite nostro Vuolfkango ,

a Lambecius Tom. II. Cap. V. Biblioth. Cæsar. *Tom. X.*

„ kango ; quieta temporum con. „ tinua &c. Auctoritate Missalis hujus Cl V. Scipio Maffejus Marchio in Catalogo Episcoporum Veronensium intulit Vuolfkangum, ut ex postrema Veneta editione Italiæ sacræ constat. Verum prælaudato Campagnolæ visum est, Sacramentarium illud spectasse olim ad Ratisbonensem Ecclesiam sub *Ottone Tertio* Germanico Rege, nondum Imperatore, quo tempore floruit Vuolfkangus Ratisbonensis Episcopus ab Anno Christi 974. usque ad 994. Codicem vero ab Oberto Episcopo, qui Cathedram Veronensem tenuit ab Anno 992. ad 1008. atque Ottoni Tertio perquam carus & familiaris fuit, ob devotionem erga sanctum illum Præsulem fuisse Veronam deportatum. Quæ si vera sunt, expungendus est ex Catalogo Veronensium Antistitum ille Vuolfkangus. In eodem autem Sacramentario præter consuetas Romanæ Ecclesiæ Præfationes, nulla alia occurrit. Sed & apud Canonicos Mutinenses Gregoriani Sacramentarii vetustissimum exemplum superest, mutilum tamen, quum a *Natali Sancti Fabiani* die XIII. Kalendas Februarii exciderint non pauca folia usque ad Feriam Quartam infra Octavam Pentecostes. En Codicis titulum: „ In nomine Domini incipit Liber Sacramentorum de anni circulo, expositum a sancto „ Gregorio Papa Romano, editum „ ex authentico Libro Bibliothecæ „ Romanæ Ecclesiæ. Incipit Missa Ecclesiæ Romanæ. Per omnia „ secula seculorum. " Seculo Christi nono exaratus Codex videtur; saltem decimo statuenda illius ætas: quod & characterum forma, & quædam in margine alia manu adnotata evincunt. Ibi inter alia legitur „ Tertio Kalendas Julii, quod „ fuit Festivitas Apostolorum Petri & Pauli, obiit Gotefredus de „ Bolonia; sed & Emerada uxor „ ejus obiit ipsa Kal. Julii de hoc „ seculo; quod fuit Genitor & Genitrice Domni VVarini Episcopi „ Mutinensis, Indictione prima (idest Anno Christi 1003. aut 1018. quo floruit idem VVarinus Episcopus). Alteram accipe adnotationem in margine: „ Ab hac hora „ in antea promitto ego Johannes „ Archipresbyter tibi VVarino Episcopo, quod diebus vitæ meæ „ cum muliere alterius adulterium „ non faciam, neque cum inlicita meretrice fornicationem. Et „ si fecero, me ipsum confirmo in „ periculum. *Tertiam denique adnotationem accipe*: „ Ego Naira „ Presbyter promitto coram Deo „ & omnibus Sanctis, & tibi Guarino Episcopo, quod carnis commistionem non faciam. Et si fecero, & honoris mei & beneficio Ecclesiæ perdam. " Ibi quoque Præfationes illæ dumtaxat in textu leguntur, quæ adhuc in usu sacrorum sunt. Si quæ vero additæ sunt, in margine alia manu adnotatæ fuerunt.

Longe tamen antiquiora Sacramentarii Gregoriani exempla mihi suppeditavit diligentia, & antiquus erga me amor Cl. Viri Patris Josephi Blanchinii, quem editi Libri celebrem reddidere, & cui in Oratorio Romano commendata est Ecclesiasticorum Annalium continuatio. Geminos ille, inquam, Codices ad me misit ex veneranda profecto vetustate præ cæteris Gregorianis commendandos. Alter ex iis olim in Gallia spectavit ad Paulum Petavium Parisiensem Senatorem; tum ad Christinam inclytam Suecorum Reginam pervenit; denique Romæ in Othobonianam Bibliothecam inlatus ibi quiescit. Confirmatur rara ejus antiquitas ex characterum forma, quorum specimen idem Pater Blanchinius æreæ laminæ commendatum voluit.

Rur-

Rursus Codicis hujus antiquitas ex Necrologio, quod identidem varia manu, diversisque temporibus, eidem Sacramentario adjectum fuit, deduci posse videtur. Certum quippe est, antea exaratum fuisse Codicem; tum addita prout sors ferebat, & confuse in margine, sive in paginis vacuis, nomina defunctorum, aut infirmorum, aliorumque etiam viventium, pro quibus preces in tremendo Sacrificio fundebantur. Singula referre, in nullius usum concederet. Præcipua tantum memorabo.

Nomina Canonicorum Parisiensium.

Ercanradus Episcopus.
Ercanfredus.
Ragoboldus.
Fulcaldus.
Hadericus.
Gabilo.
Remigius.
Fulcricus.
Alo.
Amalingus.
Amalgarius.
Vuacco.
Aganus.
Item Aganus.
Ercanfredus.
Item Ercanfredus.
Eltbertus.
Martinus.
Ambrico.
Atroldus.
Everladus.
Jonas.
Melismus.
Berthaus.
Ainricus.
Gislefredus.
Johannes.
Bernardus.
Magenardus.
Gillardus.
Vulfuinus.
Drogo.
Vuinebaldus.
Rotgamus &c.

Quod de Italia animadverti ego alibi (*a*), de Galliis nunc animadvertere potes. Scilicet homines unico nomine descriptos, quum nullus tunc esset cognominum usus. Qui mos fieri non potuit, quin confusionem aliquando pareret. Heic habes tres *Ercanfredos*, duos *Aganos*. Quid, quæso, unum ab altero distinguit?

Nomina INFIRMORUM.

Gerulfus Sacerdos.
Hildeardus.
Tetbaldus.
Fulcoldus.
Adalharius Sacerdos.
Gerbertus.
Lingradus.
VValaradus.
Hildegardis.
Hildulfus.
Adalaldus.
Adalardus.
VValtharius.
Ivo.
Durandus.
Hulculfus.
Amalhardus.
Durandus.
Leduis.
Melismus.

a Muratorius Antiqu. Italicar. Differt. XLI.

Zangrulfus.
Aldecrudis.
Sichardus.
Eufania.
Hainramnus.
Anthelmus.
Sigebertus.
Sidhardus.
Godelindis.
Agino.
Morandus.
Agenildis.
Rotfridus.
Ingelbaldus &c.

Nomina *DEFUNCTORUM*.

Domnus Inchadus Episcopus.
Ercanradus Episcopus.
Erembertus Episcopus.
Duntbaldus Episcopus.
Aldricus Episcopus.
Adalbertus Episcopus.
Adalricus.
Hilduinus Abba.
Arigarius Sacerdos.
Lotharius Imperator.
Meinardus Monachus.
Teovvinus Monachus.
Vumelinda.
Amaltrudis.
Deutfredus.
Geringarius.
Beniamin.
Elongus.
VVlfgrimmus Sacerdos.
Baltadus Sacerdos.
Rodulfus Comes.
Metarius Laicus.
Otfredus Episcopus.
Madelgarius.
Item Madelgarius.
Emeltrudis.
VVlfaldus.
Item VVlfaldus.
Constantius.
Item Constantius.
BERINGARIUS.
Jacobus Episcopus.
Ratfredus.
Plectrudis.
Guntardus.
Stephanus.
Almedus.
Stephanus &c.

In aliis paginis hæc habentur.

Karolus Imperator.
Hludovicus Imperator.
Pippinus Rex.
Constantius Episcopus.
Hevvardus Levita.
Sirmundus Sacerdos.
Alfredus Levita.
Drogo.
Elisard Episcopus.
Hodolricus Decanus.
Fulcherius Decanus.
Frotmundus Decanus.
Otramnus Levita.
Johannes Subdiaconus.
Giroldus.
Fulbertus.
VValdrit Levita.
Otulfo Levita.
Adelenda femina.
Flaremburgis femina.
Godevertus Laicus.
Ingelrannus.
Anstasius.
Heribertus.
Anastasius &c.

Reliquorum hominum heic descriptorum colluviem prætereo. Eorum nomina diversa characterum forma plerumque scripta apparent, ideoque addita, postquam Sacramentarium exaratum fuerat. Gemini autem *Ercanradi*, sive *Erchenradi* Parisienses Episcopi heic numerari viden-

dentur. Catalogum pervetuſtum Pariſienſium Epiſcoporum edidit Mabillonius (*a*), in quo recenſentur duo *Erchanradi*. Senior, a Sammarthanis in priore editione Galliæ Chriſtianæ omiſſus, florebat anno Chriſti 775. Junior vero interfuit Synodo Theodonis Villæ circiter Annum 835. & deceſſiſſe creditur circiter annum 853. Quare ſaltem ante hunc annum Othobonianus Codex ſcriptus videtur. In eodem autem Codice legitur *Letania Romana*, non adeo antiquo charactere ſcripta, atque ad Pariſienſis Eccleſiæ uſum accommodata, quam a me accipere Lectorem non pigebit. Ibi oratur pro *Domno Imperatore*, *&* *exercitu Francorum*. Ergo hæc Litania ante annum Chriſti 887. in uſu fuit.

Letania Romana.

Kyrie eleiſon. Ter.		Sancte Gergi.	ora.
Chriſte audi nos. Ter.		Sancte Ignati.	ora.
Sancta Maria.	ora.	Sancte Alexander.	ora.
Sancte Michael.	ora.	Sancte Cucufas.	ora.
Sancte Gabriel.	ora.	Sancte Gervaſi.	ora.
Sancte Raphael.	ora.	Sancte Protaſi.	ora.
Sancte Johannes.	ora.	Sancte Celſe.	ora.
Sancte Petre.	ora.	Sancte Hippolythe.	ora.
Sancte Paule.	ora.	Sancte Dionyſi.	ora.
Sancte Andrea.	ora.	Sancte Ruſtice.	ora.
Sancte Jacobe.	ora.	Sancte Eleutheri.	ora.
Sancte Johannes.	ora.	Sancte Saturnine.	ora.
Sancte Thoma.	ora.	Sancte Polycarpe.	ora.
Sancte Philippe.	ora.	Sancte Timothee.	ora.
Sancte Bartholomee.	ora.	Sancte Coſma.	ora.
Sancte Matthee.	ora.	Sancte Damiane.	ora.
Sancte Simon.	ora.	Sancte Maurici.	ora.
Sancte Taddee.	ora.	Sancte Gereon cum Sociis tuis.	ora.
Sancte Mathia.	ora.	Sancte Criſpine.	ora.
Sancte Marce.	ora.	Sancte Criſpiniane.	ora.
Sancte Luca.	ora.	Sancte Chriſtophore.	ora.
Sancte Stephane.	ora.	Sancte Hilari.	ora.
Sancte Line.	ora.	Sancte Martine.	ora.
Sancte Clete.	ora.	Sancte Auguſtine.	ora.
Sancte Clemens.	ora.	Sancte Gregori.	ora.
Sancte Xiſte.	ora.	Sancte Hieronyme.	ora.
Sancte Corneli.	ora.	Sancte Silveſter.	ora.
Sancte Cypriane.	ora.	Sancte Benedicte.	ora.
Sancte Chryſogone.	ora.	Sancte Ambroſi.	ora.
Sancte Laurenti.	ora.	Sancte Apollinaris.	ora.
Sancte Vincenti.	ora.	Sancte Maximine.	ora.
Sancte Anaſtaſi.	ora.	Sancte Remigi.	ora.
Sancte Fabiane.	ora.	Sancte Vedaſte.	ora.
Sancte Sebaſtiane.	ora.	Sancte Marcelle.	ora.
Sancte Tiburti.	ora.	Sancte Germane.	ora.
Sancte Valeriane.	ora.	Sancte Medarde.	ora.

San.

(*a*) Mabillon. Lib. VI. pag. 625. de Re Diplomatica.

Sancte Sulpici. ora.
Sancte Lupe. ora.
Sancte Eligi. ora.
Sancte Albine. ora.
Sancte Audoene. ora.
Sancta Felicitas. ora.
Sancta Perpetua. ora.
Sancta Agatha. ora.
Sancta Agnes. ora.
Sancta Lucia. ora.
Sancta Cæcilia. ora.
Sancta Anastasia. ora.
Sancta Petronilla. ora.
Sancta Scholastica. ora.
Sancta Susana. ora.
Sancta Prisca. ora.
Sancta Praxedis. ora.
Sancta Brigida. ora.
Sancta Afra. ora.
Sancta Juliana. ora.
Sancta Eulalia. ora.
Sancta Leochadia. ora.
Sancta Eugenia. ora.
Sancta Euphemia. ora.
Sancta Genovefa. ora.
Sancta Thecla. ora.
Sancta Columba. ora.
Sancta Helena. ora.
Sancta Adelgundis. ora.
Sancta Antonina. ora.
Sancta Christina. ora.
Omnes Sancti, orate pro nobis.
Propitius esto. Parce nobis, Domine.
Propitius esto. Libera nos, Domine.
Ab omni malo. Libera.
Ab hoste malo. Libera.
A periculo mortis. Libera.
Per Crucem tuam. Libera.
Peccatores. Te rogamus, audi nos.
Ut pacem nobis dones. Te rog.
Ut sanitatem nobis dones. Te rog.
Ut fructum terræ nobis dones. Te rog.
Ut aeris temperiem nobis dones. Te rogamus.
Ut Domnum Apostolicum (illum) in sancta Religione conservare digneris. Te rogamus.
Ut Domnum Imperatorem, & exercitum Francorum conservare digneris. Te rogamus.
Ut cunctum Populum Christianum, pretioso sanguine tuo redemtum, conservare digneris. Te rogam.
Fili Dei. Te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miserere.
Christe, audi nos.
Kyrie eleison.

Alterum Sacramentarii Gregoriani Codicem, saltem ineunte seculo Christi Nono exaratum, adservat supra cæteras ditissima, hoc est Codicibus MStis referta, Vaticana Bibliotheca. Illius exemplum sibi procurarat indefessus eruditionis Ecclesiasticæ venator Pater Blanchinius nuper memoratus, illudque tandem in usum meum concessit, adjuncto etiam specimine characterum ejusdem Codicis in ærea lamina inscripto. Idem cum aliis ibi titulus: „ Incipit Liber Sacramentorum de „ circulo Anni, expositum a San„ cto Gregorio Papa Romano, e„ ditum ex authentico Libro Bi„ bliothecæ Cubiculi scriptum. “ In aliis Codicibus, ut supra vidisti, habetur, indignante Prisciano, *Liber expositum*, *editum*, *scriptum*. Si quis Codex editus aliter effert, de correctione longe serius adhibita dubitandum est. Hæc autem animadversio me ad opinandum adducit, non ex ipso authentico Libro Bibliothecæ Cubiculi Pontificii singula exempla Sacramentarii Gregoriani fuisse olim petita. Unum exemplum inde expressum, & ad Ecclesiam quampiam Galliarum, aut Germaniæ, aut Italiæ translatum, satis fuit, ut complures aliæ Ecclesiæ nova inde exempla desumerent: quod præcipue factum seculo Christi nono & decimo, quo nempe tempore per singulas ferme civitates Canonicorum Collegia constituta certarunt, ut Ritus suos componerent ad exemplar omnium Matris Ecclesiæ, hoc est Apostoli-

cæ

cæ Romanæ. Si unusquisque e Romano Codice suum derivasset, vix fieri potuisset, ut in tot exempla incurrisset idem Grammaticalis error. Attamen in Codice Othoboniano, de quo nuper agimus, ita conceptus est titulus, literis majusculis & minio exaratus: „ In nomine Domini. Incipit Liber Sa„ cramentorum de circulo Anni, „ a sancto Gregorio Papa Roma„ no editus. Qualiter Missa Roma„ na &c. Repetendum autem heic est, in neutro Codice, Vaticano scilicet, atque Othoboniano, exhiberi nobis purum putum Sacramentarium, quale e sancti Gregorii manibus prodiit. Aliquot etiam Additamenta Festorum subinde ad illud utrobique sunt facta: cujus rei exemplum satis est memorare, diem festum ipsius *Sancti Gregorii* ad IV. Idus Martias, & Missam *Sanctæ Mariæ ad Martyres* III. Idus Majas; quæ instituta fertur a Bonifacio IV. Papa circiter annum Christi 610. Attamen suum stat remotissimæ antiquitatis pretium geminis memoratis Codicibus, Vaticano videlicet atque Othoboniano, ita ut ambo referre Natale suum censendi sint, aut ad finem seculi octavi, hoc est ante annum Christi Octingentesimum, aut ad priores seculi noni annos. Leo III. Papa anno DCCXCV. Pontificatum iniit; Anno DCCCXVI. vivere desiit. De hoc autem Pontifice quid habeat Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita, accipe. „ Ipse vero a Deo pro„ tectus & præclarus Pontifex con„ stituit, ut ante tres dies Ascen„ sionis Dominicæ Letaniæ cele„ brarentur. Scilicet Feria secun„ da, egrediente Pontifice cum o„ mni Clero & cuncto Populo cum „ hymnis & canticis spiritualibus „ ab Ecclesia Dei Genitricis ad „ Præsepe *&c.* Feria tertia vero „ exeuntes ab Ecclesia Sanctæ Sa„ binæ Martyris *&c.* Feria quarta „ exeuntes ab Ecclesia Hierusalem &c. Habes heic, quo tempore Litaniæ minores, sive Rogationes, ante aliquot secula in Galliis institutæ, in Romanam Ecclesiam invectæ fuerint. Earum quidem mentio occurrit in Sacramentario Menardino; nulla vero in Vaticano atque Othoboniano Codicibus. Itaque firmo decreto statui jam potest, geminos hosce Codices sub finem seculi octavi, aut exordium Noni fuisse exaratos. Ad hæc in Sacramentariis Pamelii & Menardi habentur Missæ *in Natali Sancti Marci Evangelistæ* ad diem 7. Kalendas Majas; *& in Natali sancti Jacobi Apostoli* ad diem 8. Kalendis Augusti: quæ in Vaticano atque Othoboniano minime leguntur. Rursus apud Menardum habes Missas *in Natali sancti Bartholomæi Apostoli*; & *sancti Augustini Episcopi*; & *in Vigilia sancti Lucæ Evangelistæ*; & *in Natali sanctorum Simonis* & *Judæ*; & *sancti Thomæ Apostoli*. Nulla ex his Missis visitur in utroque Codice nostro: quæ satis evincunt, Pamelii & Menardi Sacramentaria utrique illi Codici antiquitate concedere. Atque hoc manifestius postea elucet ex die Festo *omnium Sanctorum*, quem Adone, & Usuardo testibus Gregorius IV. summus Pontifex, Ludovico Pio imperante circiter Annum Christi 830. instituit. Quum illius diei Missa tam in Codice Pameliano quam in Menardino legatur, nulla vero in Vaticano atque Othoboniano: legitima inde conjectura, immo & peremtoria sententia exsurgit, majorem istis vetustatem esse tribuendam. Vindobonensis Cæsareus Codex Missas concordes cum ambobus Codicibus nostris exhibet, & quum nullum ibi sit de Rogationibus verbum, inde illius quoque ætatem metiri potes. Redeo nunc ad tot

Præ-

Præfationes, quibus oneratam vides Liturgiam Gregorianam a Menardo editam; ac repeto, easdem in textum Missarum inlatas, causam errori dedisse, quasi ipsarum auctor fuerit sanctus ipse Gregorius, uti nimium fidentes eidem Menardo credidere Cardinalis Bona, & Antonius Pagius. Atqui certum est, non alias Præfationes in textu Gregoriano haberi, quam quæ adhuc in usu Romanæ Ecclesiæ sunt; uti fidem faciunt antiquissimi Codices Vindobonensis, Vaticanus, Othobonianus, & Mutinensis; excepta Missa *Sanctæ Anastasiæ* in Natali Domini, cui propria olim attributa fuit Præfatio. *In Vigilia* quoque, & *Natali sancti Andreæ* peculiares olim fuere Præfationes, quæ tamen aliæ sunt a Menardinis. Plerique autem Codices in fine collectas habent Præfationes & Benedictiones, quæ pro arbitrio Sacerdotum & Episcoporum adhibebantur. Antiquissimus tamdem Collector, quem Pamelius *Grimoaldum Abbatem*, Menardus vero *Rodradum Presbyterum* est opinatus, nos vero, auctoritate Micrologi, æquius arbitrabimur *Alcuinum Albinum*, monet in Prologo (quem proferam & ego ante *Benedictionem Cerei* ex Othoboniano) se hæc *in aliis Sacramentorum libellis invenisse inserta*; sed a Gregoriano textu sejuncta exhiberi, ut unusquisque noscat, *quæ a beato Gregorio, quæve sint ab aliis edita Patribus*. Tum de Præfationibus ipsis hæc infra subdit: „ Præfationes vero, quas in „ fine posuimus Codicis, flagitamus, ut ab iis, quibus placent, „ cum caritate suscipiantur & canantur. Ab his vero, qui eas „ intelligunt, nec tamen delectant, „ necnon & ab his, qui eas volunt, nec intelligunt, poscimus, „ ut nec assumantur nec canantur. “

Ista satis produnt, peculiarium ejusmodi Præfationum auctorem minime fuisse sanctum Gregorium, & neminem Liturgiæ Gregorianæ addictum ad eas adhibendas adactum, liberumque omnibus eo tempore fuisse illis uti, aut non uti. Pleræque etiam concordes pergunt cum evulgatis a Menardo. Ad hæc animadvertas velim, aliquot Othoboniani Codicis Præfationes a Menardinis differre, ut in festo *sanctæ Agnæ*, sive *Agnetis*, *in Sabbato sancto*, in *Paschate*, in *Adnuntiatione sanctæ Mariæ*, in *Ascensione Domini*, in *Dominica Quarta* post Pentecosten, ut alias prætermittam. Rursus in Othoboniano Codice plures habentur Præfationes, paucæ in Vaticano: quæ tamdem nos ad perspiciendum impellunt, ejusmodi Præfationes, & præsertim ob earum varietatem, non e Gregoriano Sacramentario, sed ex aliis fontibus haustas fuisse. Rejectas quoque intueberis ad calcem Liturgiæ Gregorianæ *Benedictiones Episcopales*, quas tamen apud Menardum perperam insertas habemus in textu Gregoriano. Iis in Pontificali Missa Episcopi olim benedicebant Populo ante illa verba *Pax Domini sit semper vobiscum*; fateri enim cogimur, ejusmodi consuetudinem antiquissimam fuisse. Aderat propterea peculiaris Liber, quem *Benedictionalem* appellabant. Ne has quidem Benedictiones, fœtum esse Gregorii Magni, statuendum est, quum in vetustis Ordinibus Romanis a Mabillonio editis, nullum de iis verbum sit, & nullæ in Mutinensi Sacramentarii Gregoriani Codice, nono aut decimo seculo scripti, reperiantur. In calce quidem Vaticani & Othoboniani exstant, sed plures in uno quam in altero, atque interdum diversæ a Menardi Codice. Si easdem complexum fuisset Romani Cubiculi Sacramentarium,

rium, unde exempla olim fuere desumta, nulla inter Codices antiquos esset diversitas. Propterea Mabillonius (*a*) merito censuit, easdem Benedictiones non fuisse inferendas in Sacramentarium Gregorianum; immo opinatus est, easdem a Zacharia Pontifice improbatas fuisse in Officio Gallicanæ Ecclesiæ. Et numquam iis usos fuisse Romanos Pontifices, conjicere etiam possumus e Sacramentariis Gelasiano & Leoniano, in quibus nullum est earum vestigium. Quod mirari cogor, Missæ fere omnes Dominicarum recurrentium per annum, tam in Vaticano, quam in Othoboniano Codice, atque in editis a Pamelio, rejiciuntur in alterum Librum, veluti non procedentes a sancto Gregorio Magno. Immo in vetustissimo Mutinensi Sacramentario post Missam *ad Pontificem ordinandum* hæc adnotantur: EXPLICIT SACRAMENTORUM A SANCTO GREGORIO PAPA EDITUM. Tum sequitur: *Incipiunt Missæ in diebus Dominicis*. In Othoboniano autem ac Pameliano inseritur Prologus, sive Adnotatio Alcuini, veluti indicantis Missas de Dominicis non pertinere ad sanctum Gregorium. Atqui fieri-ne potest, ut sanctus ille Pontifex Missas prætermiserit, quæ omnium maxime ad divinum cultum, atque ad Sacramentum spectabant? Quid heic dicendum? Si Vaticanum vetustissimum Codicem consulimus, quo ad hanc Editionem usurus sum, nulla ibi interponitur Adnotatio, sive Prologus, distinguens a Gregoriano textu Orationes Dominicales. Contra in Prologo, sive in Præfatione Alcuini, præposita eisdem Missis, hæc leguntur: *Sed quia sunt & alia quædam, quibus necessario sancta utitur Ecclesia, quæ idem Pater* (scilicet sanctus Gregorius) *ab aliis jam edita esse inspiciens, prætermisit: idcirco operæ pretium duximus, ea velut flores pratorum vernantes carpere &c.* Et profecto Orationes de Dominicis, omnium elegantissimæ ac devotissimæ, auctorem minime agnoscunt sanctum Gregorium. Vide Sacramentaria præcedentia, Leonianum videlicet ac Gelasianum, in quibus pleræque leguntur. Si Gregorius eas in suo prætermisit (quod tamen facile concedendum non est) alia de caussa factum non fuit, nisi quia ipsæ in manibus jam erant omnium earum Ecclesiarum, quæ Romana Liturgia utebantur.

Quod nunc expostulare cogor, est quidem nobis Sacramentarium Gregorianum; sed integrum conspectum quotidianæ Missæ minime habemus, qualis fuit ejusdem sancti Pontificis ævo. Hoc autem inquiens, non moror Lectionum, Evangeliorum, & Antiphonarum textum, quorum nulla ibi est mentio. Fuerunt enim olim varii Codices ad usum Missæ solemnis, sive Missæ cantu peractæ. Nempe *Antiphonarium*, Psalmos, & Antiphonas pro diversis diebus ad Missam decantandas continens, aderat Clericis in Choro canentibus: *Lectionarium*, Lectiones complectens, ex veteri Testamento, aut ex Epistolis Canonicis decerptas, præsto erat Subdiacono: *Evangelistarium* quoque, exhibens diversas Evangeliorum portiones, singulis diebus canendas, Diacono ministrabatur. Unus interdum Codex tam Epistolarum quam Evangeliorum Lectiones amplectebatur. Erat etiam Clero *Liber Comitis*, sive *Comes*, antiquus sane, itaut eum nonnulli sancto Hieronymo, perperam tamen, tribuerint; qui Lectiones indicabat singulis diebus adhibendas in sacris. Indicabat, in-

a Mabillonius Cap. VIII. pag. LII. Comment. in Ordines Romanos.

inquam: nam nihilominus erat opus habere Codicem, unde ipsæ Lectiones extensæ desumendæ erant. Nos hæc omnia in Missalibus nostris conjuncta nunc habemus. At nullum, quem noscam, Missalem Librum, conscriptum ante annum Christi millesimum, quisquam adhuc exeruit, in quo universus iste sacrorum apparatus, coagmentatus & per ordinem distributus legatur. Quare vix intelligas, quei sine incommodo tunc privatæ Missæ sine Diacono, Subdiacono, & Choro, celebrarentur, quum e diversis Codicibus petenda esset integra Missa, scilicet Orationes ex Sacramentario; Antiphonæ, Lectiones, & Evangelia ex aliis Libris. Ingens profecto incommodum fuerit, quatuor aut saltem tres Codices deferre ad Altare, & ex uno ad alium procedere, ut quæ spectabant ad peculiarem Missæ recurrentis ordinem, conjungerentur. An aliter fieri, & ejusmodi incommodum evitari potuerit, judicabunt alii. At ista minime, ut ajebam, moror. Id unum contendo, non omnia, quæ in unaquaque Missa inconcusso ritu recitanda erant, exhiberi in vetustis Sacramentariis a sancto Gregorio concinnatis. Nullæ enim in iis plerumque Rubricæ; nihil ibi de Salutationibus ad Populum, hoc est *Dominus vobiscum*, aut *Pax vobis*, Populo respondente *Et cum spiritu tuo:* quæ salutatio ad attentionem renovandam non semel in sacra Liturgia recurrit, & a sera antiquitate commendatur. Integer vero Canon Missæ decurrit usque ad *Libera eos, quæsumus, Domine*, &c. quo recitato nihil aliud subjungitur in Gregoriano, nisi *Pax Domini sit semper vobiscum*. Respondetur: *Et cum spiritu tuo*. Neque plura habes in Sacramentario Gelasiano; immo nulla ibi mentio *Agnus Dei*. Præterea in Gregoriano nulla sunt verba de Fractione consecrati Panis, & in Corpus Christi immutati, neque de immissione particulæ in Calicem, neque referuntur illa magni momenti verba, a Sacerdote recitanda, idest: *Hæc commixtio & consecratio Corporis* &c. Fractio hæc ex Apostolica traditione manasse creditur, eamque etiam Orientales Christi Fideles ab antiquis seculis usurpant ad designandam Domini Passionem. Dubitare autem non possumus, quin Ecclesia Romana supra laudatis verbis ad fractionem fuerit usa, quum in Ordine Primo Romano, cujus frequens mentio est apud Amalarium, & quem Mabillonius seculo Christi nono longe superiorem censet, eadem formula præscribatur, videlicet *Fiat commixtio*, seu *Hæc commixtio* &c. Neque hæc tantum desiderantur in Sacramentario Gregoriano, sed & cætera de Pace danda, quam olim Osculum sanctum confirmabat. Omissa quoque videas, quæ præcedunt & subsequuntur Communionem Sacerdotis & populi fidelis; quum tamen compertum sit, Sacerdotem, porrigentem populo cœlestem Panem, usum fuisse verbis illis: *Corpus Domini* &c. & communicantes respondisse: *Amen*. Antiquissima quoque est formula: *Ite; Missa est*, uti & aliqua *Benedictionis* species in fine Missæ non solum in vetustis Romanæ Ecclesiæ Ordinibus, sed etiam a Rhabano Mauro (*a*), & ab Amalario (*b*) memorata; quorum tamen mentionem frustra ab eodem Sacramentario exspectes. Ut opinari fas est, quod nunc & Orationum & Rituum in vetustis Libris desideratur, supplebant olim Episcopi & Presbyteri, sive memoria complexi quidquid scripto traditum non

a Rhabanus Maurus Lib. I. Cap. XXXIII. de Instit. Cler.

b Amalarius in Eclogis, & Lib. III. Cap. 36. de Divin. Offic.

non fuerat ad complementum Sacrificii & Communionis, sive potius quia, ut nunc etiam fieri videmus, scripta ea haberent in tabella Altari superposita, quam pro opportunitate consulebant; nam fidere memoriæ non omnes possunt, neque tutum in rebus tanti momenti est. Atque hæc satis sint de Sacramentario Gregoriano. Qualis autem sit characterum forma in Vaticano Codice, unde ista expressa fuerunt, in specimine intueberis, quod ad me misit P. Blanchinius.

CAP. VII.

In quo olim sita foret varietas utentium Liturgia Romana.

Post sacrum Tridentinum Concilium, multiplicemque curam Romanorum Pontificum, Liturgia omnium Catholicarum in Occidente Ecclesiarum ad Missam pertinens, stabilem consequuta est unionem. Excipienda est Ambrosiana Ecclesia, quæ suis adhuc antiquis Ritibus utitur. Diversitas tamen illius a Romana in incruento Sacrificio potissimum respicit Orationes, sive Collectas, & alias Epistolarum sacrarum atque Evangeliorum Lectiones, & complurium Præfationum usum. Nam quod attinet ad Canonem, Ambrosiani quoque ipsi ferme in omnibus concordes procedunt cum Romana Ecclesia. In angulo pariter Toletanæ Civitatis locus relinquitur Mozarabicæ vetustæ Liturgiæ. Nam quod a nonnullis Monachorum cœtibus peculiaris aliquis, sed levis Ritus adhibeatur adhuc in Missa, id nullius momenti negotium est. Antiquis autem seculis etsi a plerisque Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Britanniæ, aliarumque Provinciarum Ecclesiis Missæ Romanæ Liturgia observaretur, non mediocris tamen varietas in earum Missalibus deprehendebatur; sed quæ, uti jam monuimus, nihil officeret substantiæ Mysterii, atque essentialibus præcipuisque Ritibus Missæ. Versabatur hæc in additamentis Orationum, Sequentiarum, & præsertim Festorum, ac propterea Missarum, quibus licebat unicuique Episcopo suum infercire Missalem. Verum immutare sacrata Canonis verba nefas semper fuit. A libro, cui titulus Comes, eo quod præsto semper erat sacris Templi ministris, de quo nuper facta fuit mentio, indicabantur Lectiones ex Prophetis, aut Epistolis Canonicis, simulque Evangeliorum segmenta ad quamlibet Missam recitanda. Veneranda maxime fuit Libri hujus antiquitas, quum ejus mentio ipso seculo Christi quinto occurrat, uti Mabillonius animadvertit. Is tamen tot novis Sanctis ac Missis oneratus ad nos per Pamelium & Baluzium pervenit, ut plures fortassis sint in eo additæ merces, quam antiquæ. Librum hunc ex Codice vetustissimo dedit nobis Venerabilis Cardinalis Thomasius.

Veterum Missalium diversitatem, pro Ecclesiarum varietate auctam, quicumque agnoscere velit, adeat Cl. Patrem Martene (*a*) qui ordinarium, sive consuetum Missæ cursum ex multis Galliarum Missalibus atque Ritualibus collegit. Non dissimilem varietatem ostendere posset in Italicis Ecclesiis, quisquis antiquos earum Missales MStos superstites consuleret. Jamque varios Liturgiæ Siculæ Ritus illustravit anno 1736. doctissimus vir Johannes de Johanne, Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus (*b*). Liceat & mihi pro-

a Martene Tom. I. de antiqu. Eccles. Ritib.

b Johannes de Johanne, de Divinis Siculorum Officiis.

dere, quibus olim Ritibus Mutinensis Ecclesia tremendum Sacrificium celebraret. Uti supra monui, erat & adhuc est huic Ecclesiæ Sacramentarium Gregorianum, nono vel saltem decimo seculo exaratum. Verum in antiquis id genus Sacramentariis plerumque Rubricæ desiderantur, Ritus scilicet omnes ad sacram Synaxim adhibendi. Ejusmodi Ritus post annum millesimum cœpti sunt adjungi Missalibus libris. Adservantur autem in Archivo Capituli Canonicorum Mutinensium gemini id genus libri membranacei, ante annos sexcentos exarati. Alter ex his ad Equites, sive Fratres Templarios spectasse mihi creditur, nam ad varios Kalendarii dies recentiori ac vario charactere hæc nomina adscripta fuere. *V. Id. Jul. Obiit Ugo de Paens primus Magister. II. Id. Jul. Obiit venerabilis Philippus Rex Franciæ*, idest Philippus II. anno 1223. *VII. Id. Sept. Obiit Frater G. Carnoc Decimus tertius Magister. XV. Kal. Octob. Obiit Frater Bernardus de Tremailea Tertius Magister. VI. Non. Octob. Obiit Frater Arnaldus de Terra rubea Octavus Magister.* Aliorum nomina prætereo. Agi heic de magnis Magistris Ordinis Templariorum sum opinatus. Pluris tamen faciendus est alter Codex, quod Rubricas Missæ tunc usitatæ accuratius descriptas exhibeat. En ergo quid ex illo excerpendum credidi.

Ritus quotidianæ Missæ, expressi ex Codice Mutinensis Ecclesiæ, ante annos sexcentos scripto.

„ *Incipit Ordo, qualiter Episco-*
„ *pus, vel Presbyter, ad Missam*
„ *se debeat præparare. In primis*
„ *cantet per se & per circumstan-*
„ *tes Psalmos istos cum Letaniis,*
„ *& Antiphona*: Sanctifica nos,
„ Domine. *Psalm.* Quam dilecta.
„ *Psalm.* Benedixisti. *Psalm.* In-
„ clina. *Psalm. Credidi*, cum Pa-
„ ter noster, & precibus his. *CAP.*
„ Exsurge, Domine, adjuva. *Resp.*
„ Et libera. Fiat misericordia tua,
„ Domine, super nos. *Resp.* Quem-
„ admodum. Deus, tu conversus
„ vivificabis nos. *Resp.* Et plebs
„ tua lætabitur. Ostende nobis,
„ Domine, misericordiam tuam.
„ *Resp.* Et salutare tuum. Ab oc-
„ cultis meis munda me, Domi-
„ ne. *Resp.* Et ab alienis. Non in-
„ tres in judicium cum servo tuo,
„ Domine. *Resp.* Quia non justi-
„ ficabitur. Sacerdotes tui induan-
„ tur justitiam. *Resp.* Et sancti tui
„ exsultent.

Et tunc exsuat se cotidianam tunicam, dicens:

„ Exsue me, Domine, veterem
„ hominem cum actibus suis, &
„ indue me novum hominem, qui
„ secundum Deum creatus est in
„ justitia, & sanctitate veritatis.

Ad manus lavandum.

„ Ablue, Domine, manus meas,
„ & cor meum, quatenus tem-
„ plum Sancti Spiritus effici me-
„ rear.

Ad Ephot dicat.

„ Dona, Domine, galeam salutis
„ in capite meo, ad expugnandas
„ & superandas omnes diabolicas
„ fraudes.

Ad Albam.

„ Indue me, Domine, vestimento
„ salutis, & tunica lætitiæ & ca-
„ stitatis ac continentiæ circumda
„ me semper.

Ad Cingulum.

„ Præcinge, Domine, lumbos meos,
„ & circumcide omnia vitia cor-
„ dis & corporis mei, cum custo-
„ dia mentis meæ.

Ad Stolam.

„ Circumda, Domine, cervicem
„ meam stola justitiæ, & ab omni
„ corruptione purifica mentem
„ meam.

Ad

Ad Casulam.

„ Indue me, Domine, lorica Fidei, & galea salutis, & perfecta Caritate reple cor meum.

Ad Manipulum.

„ Da, Domine, manibus meis manipulum ad extergendas sordes a corde & corpore meo, ut sine pollutione valeam nomen tuum laudare & benedicere in secula seculorum. Amen.

Et cum paratus fuerit, dicat.

„ Fac me, quæso, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut Sanctorum tuorum merear exsultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium Sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exsuas, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per.

Alia Oratio.

„ Rogo te, altissime Deus Sabaoth, Pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, & meos lumbos balteo tui amoris ambire, ac renes cordis mei tuæ Caritatis igne urere, ut pro peccatis meis possim intercedere, & adstantis Populi veniam promereri, ac pacificas hostias singulorum immolare. Me quoque audacter accedentem non sinas perire, sed dignare lavare, ornare, & leniter suscipere.

Hac dicta, ingressio fit ad Altare, incipiendo ita:

„ *Antiphona.* Introibo. Judica me, Deus.

Cum autem pervenerit ante Altare, dicat humiliter inclinato vultu:

„ Pone, Domine, custodiam ori meo. *Resp.* Et ostium circumstantiæ.

Et agat, ut mos est Confessionem. Peracta vero Confessione dicat:

„ Deus, vitam meam annuntiavi tibi. *Resp.* Posuisti lacrimas. Delictum meum cognitum tibi feci. *Resp.* Et injustitiam. Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. *Resp.* Et tu remisisti.

„ Pro hac orabit ad te omnis sanctus. *Resp.* In tempore opportuno.

„ Domine, exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor.

„ Aufer a nobis, quæsumus, Domine, intercedentibus istis, & omnibus Sanctis tuis, cunctas iniquitates, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

Cum autem se erexerit, mittat incensum in thuribulum, dicens:

„ In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti benedicatur incensum istud, & acceptabile fiat in odorem suavitatis.

Tunc sumat de eo, & osculetur Evangelium, ut jubet Romanus. Deinde procedens paululum prope Altare, inclinatus dicat hanc Orationem.

„ Domine Jesu Christe, Mundi Redemtor, propitius esto mihi peccatori, omnibusque modis in peccato jacenti: quia tu solus, Domine, Deus noster immortalis es, & sine peccato. Indulge mihi misero præsumenti accedere ad sanctum Altare tuum, & invocare te: quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, & coram Angelis, & omnibus Sanctis tuis. Sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam, & veniam delictorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis & regnas.

Deinde erigat se, & osculetur Altare, & dicat hanc Orationem.

„ Domine Deus omnipotens, qui es magnus & admirabilis Dominus, qui donasti nobis introitum in Sancta Sanctorum, propter

„ In-

„ Incarnationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, unigeniti Filii tui, obſecramus & petimus benignitatem tuam: & propterea in timore ſumus & tremore, volentes aſſiſtere ante ſanctum & glorioſum Altare tuum. Emitte ſuper nos donum Spiritus Sancti tui, & renova animas noſtras & corpora, ut mundo corde offeramus tibi Sacrificium in remiſſionem peccatorum noſtrorum, & omnium populorum tuorum, qui gratia tua & miſericordia Chriſti tui ſunt redempti. Qui tecum vivit.

Tunc dicat Gloria in excelſis Deo, *ſi adeſt tempus.*

Et eo plane finito, dicat hanc Orationem.

„ Ante conſpectum divinæ Majeſtatis tuæ, Deus, reus aſſiſto, qui invocare nomen ſanctum tuum præſumo. Miſerere, Domine, mihi homini peccatori. Ignoſce indigno Sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe, præ cæteris capitalium, polluto, & non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et licet vitiis & voluptatibus carnis aggravati ſimus, Deus, tamen recordare, quod caro ſumus. In tuo conſpectu etiam Cœli non ſunt mundi: quanto magis nos homines terreni, immundi ſicut pannus menſtruatus? Indigni ſumus, Domine Jeſu Chriſte, ut ſimus viventes; ſed tu, qui non vis mortem peccatoris, da nobis veniam in carne conſtitutis, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui mereamur in cœlis. Per te, Chriſte Jeſu.

Alia Oratio.

„ Omnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem ſacris Altaribus adſtare voluiſti, & ſancti nominis tui laudare potentiam: concede, quæſumus, per hujus Sacramenti myſterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majeſtati digne miniſtrare merear. Per.

Deinde, cum Evangelium oſculatur, dicat:

„ Pax Chriſti, quam nobis per Evangelium ſuum tradidit, confirmet & conſervet corda & corpora noſtra in vitam æternam. Amen.

Et cum incenſum, antequam Evangelium legatur, in thuribulum mittit, dicat:

„ Odore cœleſtis inſpirationis ſuæ Dominus accendat & impleat corda noſtra, ad audienda & implenda Evangelii ſui præcepta. Qui vivit.

Deinde inclinato Diacono, & benedictionem petenti, ſignum Crucis faciendo dicat:

„ Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis, ut nunties competenter Evangelium pacis.

Item Benedictio.

„ Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti deſcendat ſuper te, & aperiat os tuum, ad digne idoneeque pronuntiandum Evangelium ſuum.

Diaconus dicat:

„ Conforta me, Rex Sanctorum principatum tenens, & da ſermonem rectum, & bene ſonantem in os meum.

Poſt lecto Evangelio dicat:

„ Per iſtos ſanctos ſermones Evangelii Domini noſtri Jeſu Chriſti, indulgeat nobis univerſa delicta noſtra.

Et Calice ſibi a Diacono cum Oblata dato, dicat Diaconus.

„ Tibi domino Creatori meo hoſtiam offero pro remiſſione omnium peccatorum meorum, cunctorumque Fidelium tuorum.

Et

Et Sacerdos, oblationem accipiens, dicat:

,, Domine Jeſu Chriſte, qui in Cru-
,, ce paſſionis tuæ de latere tuo,
,, unde tibi Eccleſiam conſecrares,
,, ſanguinem manare voluiſti: ſu-
,, ſcipe hoc Sacrificium, quod tibi
,, offert famulus tuus, & concede
,, clementiſſime, ut pro redemtione
,, noſtra & totius Mundi in con-
,, ſpectu divinæ majeſtatis tuæ cum
,, odore ſuavitatis aſcendat.

Tunc Diaconus, libamen in Calice offerens, dicat:

,, Acceptum ſit omnipotenti Deo
,, Sacrificium iſtud.

Et, cum Sacerdos id ipſum offert, dicat:

,, Suſcipe, clementiſſime Pater, ho-
,, ſtias placationis & laudis, quas
,, tibi offero indignus famulus tuus,
,, ad gloriam & honorem nominis
,, tui, ut vivis proſit ad veniam,
,, & cunctis fidelibus defunctis ad
,, indulgentiam; & me indulgen-
,, tiam quærentem placatus reſpi-
,, ce. Qui vivis &c.

Deinde poſitum Sacrificium benedicat his verbis, Crucem faciendo:

,, In nomine Patris & Filii & Spi-
,, ritus Sancti, ſit ſignatum, & con-
,, ſecratum, & benedictum hoc Sa-
,, crificium.

Super Oblatam.

,, Sanctifica, quæſumus, Domine,
,, hanc Oblationem, ut nobis Uni-
,, geniti tui Corpus fiat.

Super Calicem.

,, Sanctifica, quæſumus, Domine,
,, & hunc Calicem, ut nobis Uni-
geniti tui Sanguis fiat.

Tunc mittat incenſum in thuribulum, dicens:

,, Per interceſſionem ſancti Gabrie-
,, lis Archangeli ſtantis a dextris
,, Altaris incenſi, & omnium ele-
,, ctorum ſuorum, Dominus digne-
,, tur incenſum iſtud benedicere,
,, & in odorem ſuavitatis accipe-
,, re.

Et, cum vaporem emiſerit, dicat:

,, Incenſum iſtud a te benedictum
,, aſcendat ad te, Domine, & de-
,, ſcendat ſuper nos miſericordia
,, tua.

Item.

,, Dirigatur oratio mea, ſicut in-
,, cenſum in conſpectu tuo.

Cum incenſum offertur ſingulis, dicatur:

,, Accendat in nobis, Dominus,
,, ignem ſui amoris, & flammam
,, æternæ Caritatis.

Ad offerenda munera.

,, Suſcipe, Sancta Trinitas; hanc
,, oblationem, quam tibi offerimus
,, in memoriam Incarnationis, Na-
,, tivitatis, Paſſionis, Reſurrectio-
,, nis, & Aſcenſionis Domini no-
,, ſtri Jeſu Chriſti, & in honorem
,, perpetuæ Virginis Mariæ, atque
,, omnium electorum tuorum, qui
,, tibi placuerunt ab initio Mundi:
,, ut omnibus proficiat ad honorem,
,, nobis autem ad ſalutem; & illi
,, omnes pro nobis intercedere di-
,, gnentur in cœlis, quorum me-
,, moriam facimus in terris. Per
,, eumdem.

Pro defunctis.

,, Suſcipe, Sancta Trinitas, hanc
,, oblationem, quam tibi offero pro
,, animabus famulorum famularum-
,, que tuarum, ut eis requiem æter-
,, nam donare digneris in numero
,, electorum tuorum, ut in illorum
,, conſortio vita perfruantur æter-
,, na. Per Chriſtum.

Poſtea vertat ſe, deoſculetur Altare, & dicat:

,, Orate pro me peccatore, fratres
,, ac ſorores, ut meum ac veſtrum
,, Sacrificium acceptum fiat omnipo-
,, tenti Deo ante conſpectum ſuum.

Et reſpondetur a circumſtantibus.

,, Orent pro te omnes Sancti & ele-
,, cti Dei, & exaudiat te Dominus
,, orantem pro noſtrum omnium
,, ſalute; & memor ſit omnis Sa-
,, crificii tui. Et immola Deo Sa-

„ crificium laudis; & misereatur tui „ omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua. Dominus „ Deus sit in corde tuo, & in ore „ tuo, & suscipiat Sacrificium sibi „ acceptum de manibus tuis pro „ nostra & omnium salute.

Et postea dicant hos Psalmos.

„ Exaudiat te. *Psalm.* Ad te levavi. *Psalm.* Miserere mei, Deus, „ secundum. *Psalm.* Deus refugium. „ *Psalm.* Qui habitat. *Psalm.* Ad „ Dominum cum tribularer. *Canticum Graduum usque* Qui fecit „ cœlum & terram. Kyrie eleison, „ *cum* Pater noster, *cum precibus* „ *his*: Salvum fac servum tuum. „ *Resp.* Deus meus. Desiderium „ cordis ejus tribuisti ei. *Resp.* Et „ voluntatem. Vitam petiit a te, „ & tribuisti ei. *Resp.* Longitudinem. Oculi Domini super ju„stos. *Resp.* Et aures ejus. Fiat „ voluntas tua super nos. *Resp.* „ Quemadmodum. Exsurge, Do„mine, adjuva nos. *Resp.* Et li„bera. Domine, exaudi oratio„nem meam. *Resp.* Et clamor.

Collecta pro Sacerdote.

„ Gaudeat, Domine, famulus tuus „ beneficiis impetratis, & cui fi„duciam sperandæ pietatis tribui„sti, optatæ misericordiæ præsta „ benignus effectum. Per.

Collecta pro omnibus.

„ Precibus nostris, quæsumus, Do„mine, aures tuæ pietatis accom„moda, & orationes supplicum, „ occultorum cognitor, benignus „ exaudi, ut te largiente ad vitam „ perveniamus sempiternam. Per.

Symbolum Apostolorum.

„ Credo in unum Deum Patrem „ omnipotentem &c.

Sequuntur Præfationes (a).

Sequitur Canon:

„ Te igitur &c. (b)

Hic te inclina aliquantulum.

„ Hanc igitur oblationem &c. Cor„pus ✠ & Sanguis ✠ fiat dile„ctissimi Filii tui Domini nostri „ Jesu Christi.

Hic accipit Oblatam de Altari.

„ Qui pridie quam pateretur &c. „ Benedixit ✠ Fregit, dedit Di„scipulis suis, dicens: Accipite, „ & manducate ex hoc omnes. „ Hoc est enim Corpus meum.

Hic accipit Calicem.

„ Simili modo postea quam cœna„tum est &c. *ut in consueto Cano„ne.*

Antequam misceatur Corpus cum Sanguine:

„ Hæc sacrosancta commixtio Cor„poris & Sanguinis Domini nostri „ Jesu Christi fiat omnibus sumen„tibus salus mentis & corporis, „ & ad æternam vitam capessen„dam præparatio salutaris. Per e„umdem.

Hic osculetur aram Sacerdos, dicens:

„ Domine Jesu Christe, qui dixi„sti Apostolis tuis &c.

Deinde pacem dicat:

„ Habete vinculum caritatis & pa„cis, uta pri sitis sacrosanctis my„steriis.

Cæteri invicem dicant:

„ Pax Christi & Ecclesiæ abundet „ in

(a) Idest Præfationes *in Nativitate Domini. In Epiphania Domini. Per totam Quadragesimam. In Resurrectione Domini. In Ascensione Domini. In Pentecoste. De Sancta Cruce. De Apostolis. In Assumtione Sanctæ Mariæ. In honore Sanctæ Trinitatis.* Tum una Præfatio reliquis diebus usitata, uti in editis. Ante postremam Præfationem occurrit Imago Salvatoris, manu Librum tenentis. Post illam visitur altera Imago ejusdem e Cruce pendentis. Utramque, aut unam saltem osculari mos fuit. Aliquantum coloris oscula data demerserunt.

(b) Canon procedit, ut in editis. Ibi legitur: " Una cum famulo tuo Papa „ nostro (illo) & Rege nostro, & An„tistite nostro (illo) &c. Cosmæ & „ Damiani, & omnium Sanctorum tuo„rum, nec non & illorum, quorum „ hodie sollemnitatis in conspectu glo„riæ tuæ celebratur triumphus. Quo„rum meritis precibusque &c.

„ in cordibus noſtris. Amen.

Ante Communionem dicat:

„ Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei
„ vivi &c.

Deinde Panem manu tenendo, dicat:

„ Panem cœleſtem accipiam, &
„ nomen Domini invocabo.

Alia.

„ Domine, non ſum dignus, ut
„ intres ſub tectum meum; ſed
„ tantum dic verbo, & ſanabitur
„ puer meus.

Cum Corpus accipit, dicat:

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chri-
„ ſti ſit mihi ad remedium ſempi-
„ ternum in vitam æternam. A-
„ men.

Suſcipiendo Calicem, dicat:

„ Quid retribuam Domino &c.

Sumendo Calicem, dicat:

„ Sanguis Domini noſtri Jeſu Chri-
„ ſti cuſtodiat me in vitam æter-
„ nam.

Poſt Corpus & Sanguinem acceptum, dicat:

„ Corpus Domini mei Jeſu Chri-
„ ſti, quod accepi, & Sanguis e-
„ jus, quo potatus ſum, adhæreat
„ viſceribus meis, & præſtet, ut
„ ibi nulla remaneat peccati macu-
„ la, ubi ejus introierunt Sacra-
„ menta. Qui cum Patre &c. (*a*).

Et cum aliis dederit, dicat:

„ Corpus Domini noſtri Jeſu Chri-
„ ſti conſervet animam tuam in
„ vitam æternam. Amen.

Item alia.

„ Perceptio Sanguinis Domini no-
„ ſtri Jeſu Chriſti conſervet ani-
„ mam tuam in vitam æternam.
„ Amen.

Poſt Communio.

„ Læti, Domine, ſumpſimus Sacra-
„ menta cœleſtia. Intercedente bea-
„ ta Dei Genitrice ſemper Virgine
„ Maria, cum omnibus Sanctis tuis,
„ ad vitam nobis proficiant ſempi-
„ ternam. Per eumdem.

Item dicat:

„ Ite. Miſſa eſt.

Finita Miſſa oſculetur Altare, & dicat:

„ Meritis & interceſſionibus beatiſ-
„ ſimæ Mariæ ſemper Virginis &
„ omnium Sanctorum, miſereatur
„ noſtri omnipotens Deus. Qui vi-
„ vit &c.

Poſtea rediens ad Sacrarium, dicat:

„ Benedicite omnia opera Domini
„ Domino &c.

Sequitur Miſſa. Tertio Kal. Decembris, Vigilia Sancti Andreæ Apoſtoli. Tum reliquæ Miſſæ. Ex iis hæ dumtaxat memorandæ mihi ſunt viſæ.

VIII. Id. Decemb. Sancti Nicolai Epiſcopi & Confeſſoris.

VII. Id. Decemb. Natalis Sancti Ambroſii Epiſcopi & Confeſſoris.

Eodem die Sancti Savini Epiſcopi & Martyris.

VI. Id. Decemb. Sancti Zenonis Epiſcopi.

Eodem die Sancti Dalmatis Martyris.

V. Id. Decemb. Sancti Syri Epiſcopi & Confeſſoris.

VIII. Kal. Febr. Converſio Sancti Pauli Apoſtoli.

Eodem die Sancti Proſperi Martyris.

II. Kal. Febr. Natalis Sancti Geminiani Epiſcopi & Confeſſoris.

Kal. Febr. Natalis Sancti Severi Confeſſoris & Archiepiſcopi.

VII. Id. Febr. Sancti Vedaſti Confeſſ.

IV. Id.

(*a*) Quantæ antiquitatis ſit hujuſmodi Oratio, quæ adhuc in Liturgia Romana quotidie repetitur, habes ex Miſſali Gothico ante annum Chriſti DCCC. uſurpato. Ibi ad Miſſam Dominicalem hæc *Poſt Commun.* legitur: *Corpus tuum, Domine, quod accepimus, & Calicem tuum, quem potavimus, hæreat in viſceribus noſtris: præſta, Deus omnipotens, ut non remaneat macula, ubi pura & ſancta intraverunt Sacramenta. Per.*

IV. Id Febr. Sanctæ Scholasticæ Virginis.
XVI. Kal. Mart. Natalis Sancti Valentini Martyris.
Eodem die Sanctorum Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.
XIV. Kal. Mart. Sanctæ Julianæ Virginis.
Non. April. Sancti Ambrosii Archiepiscopi.
Id. April. Sanctæ Euphemiæ Virginis.
II. Kal. Maii *in Kalendario præfixo* Translatio beati Geminiani; *sed Missa desideratur.*
VIII. Id. Maii. Apparitio Sancti Michaelis Archangeli.
Eodem die Sancti Victoris Martyris.
In margine. Sancti Cathaldi Archiepiscopi.
VI. Id. Maii. Sanctorum Gordiani & Epimachi.
Eodem die Sanctæ Christinæ Virginis & Martyris.
III. Id. Maii. Dedicatio Sanctæ Mariæ ad Martyres.
Ad Id. Januarii habetur Sancti Hilarii Episcopi & Confessoris; *& nihilominus* II. Id. Maii *occurrit Missa* Sancti Hilarii Episcopi & Confessoris.
XVI. Kal. Jun. Translatio Sancti Syri Episcopi & Confessoris. *In Kalendario* Translatio Sancti Geminiani, *sed sine Missa.*
XII. Kal. Jun. Translatio Sanctorum Senesii & Theopompi.
X. Kal. Jun. Sancti Juliani Martyris.
VIII. Kal. Jun. Sancti Urbani Papæ & Martyris.
Eodem die Sancti Dionysii Mediolanensis.
Eodem die Sancti Salvatoris.
II. Kal. Jul. Festum Sancti Pauli Apostoli.
Eodem die Sancti Martialis.
VIII. Id. Jul. Sanctorum Kiliani, Colonati, Thothanani.
V. Id. Jul. Translatio Sancti Benedicti in Floriaco.
Kal. Aug. Sanctæ Praxedis Virginis.
Eodem die Sancti Danielis Prophetæ.
VIII. Id. Aug. Sancti Sixti Papæ & Martyris.
Benedictio uvæ, antequam dicatur Hæc omnia, Domine, semper. Benedic, Domine, hos fructus &c.
Kal. Septemb. Sanctorum Reguli & Prisci.
VI. Kal. Octob. Sanctæ Justinæ Virginis & Martyris.
XVII. Kal. Novemb. Sancti Galli Abbatis.
III. Kal. Novemb. Sancti Germani Capuani.
Kal. Novemb. Festivitas omnium Sanctorum.
Eodem die Sancti Cæsarii Martyris.
Id. Nov. Sancti Britii Episcopi & Confessoris.
VIIII. Kal. Dec. Sancti Clementis Papæ & Martyris.
Eodem die Sancti Columbani Abbatis.
VIII. Kal. Decemb. Sancti Prosperi Episcopi & Confessoris.
Ad Feriam IV. Caput Jejunii, habetur *Exorcismus Cineris*: Exorcizo te, cinis &c. *Benedictio Cineris.*
„ Omnipotens sempiterne Deus,
„ parce metuentibus &c.

Alia.

„ Deus, qui non mortem, sed pœ-
„ pitentiam &c.

Alia.

„ Omnipotens sempiterne Deus,
„ qui Ninivitis &c.

Benedictio Cilicii:

„ Omnipotens & misericors Deus,
„ qui peccatoribus &c.

Ad Processionem.

„ Exaudi nos, Domine &c.

Hæ Orationes dicendæ sunt super Pœnitentem.

„ Deus, qui humiliatione &c.

Alia

Alia.

„ Exaudi, Domine, preces noſtras,
„ & confitentium &c. *Sequuntur aliæ*
„ *Orationes, quas omitto.*

Sabbato Sancto, peracta Benedictione Fontis, post verba illa:

„ Conjunctio Chriſmatis ſanctifica-
„ tionis, & Olei unctionis, & A-
„ quæ Baptiſmatis, in nomine Pa-
„ tris &c. *ſequitur:*

Tunc accipe infantem, quem vis baptizare, & interroga cum Patrino tenente ipſum infantem in manibus, dicens ita:

„ Johannes, vel Maria: Credis in
„ Deum Patrem omnipontem &c.?

Interroga.

„ Johannes: Vis baptizari?

Reſp.

„ Volo.

Et accepto infante, baptizat eum ſub trina merſione, ita dicendo:

„ Et ego te baptizo in nomine
„ Patris.

Mergat ſemel.

„ Et Filii.

Et mergat iterum.

„ Et Spiritus Sancti.

Et mergat tertio.

Ut autem ſurrexerit a Fonte, faciat Crucem Sacerdos de Chriſmate in verticem ejus cum invocatione Sanctæ Trinitatis, dicens ita:

„ Deus omnipotens &c.

Deinde pones linteum in capite ejus, dicens:

„ Accipe veſtem candidam &c.

Deinde pones candelam accenſam in manibus ejus, dicens:

„ Accipe lampadam &c.

Cum communicat infantem, dicat:

„ Corpus & Sanguis Domini no-
„ ſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in
„ vitam æternam. Amen.

Atque hæc pauca ex eo Miſſali excerpta ſint ſatis: nam qui Ritus quoslibet Eccleſiarum ſive legitimos, ſive illegitimos, barbaricis temporibus uſitatos in ſacris, ſine delectu exhibere Lectoribus vellet, aut parum utilem, aut minus jucundam operam luderet. Neque putes, heic tantum ſtetiſſe olim variationes atque additamenta in celebratione Miſſarum. Quum enim nullo tunc freno pii homines comprimerentur, & augere ſe poſſe Fidelium devotionem novis inventis arbitrarentur, non dubitabant in ipſam Miſſam inferre novas Sequentias (ita enim appellabantur) ex quibus complures ſane elegantes & piæ, ſed nonnullæ etiam ineptiis conſtabant, utpote ſimplicitatis fœtus. Neque ſolum hiſce Sequentiis, poſt lectionem Epiſtolarum decantatis, Miſſaticum penu creſcebat, ſed etiam ad *Kyrie eleiſon* pias apponebant lacinias. Cujus moris teſtem habeo vetuſtiſſimum Antiphonarium membranaceum Mutinenſis Eccleſiæ: Codex injuria temporum male habitus, corruptis videlicet atque obliteratis non uno in loco characteribus, ſeculo decimo ſcriptus reputari poteſt, tum ex literatum forma, tum ex Feſtorum numero, inter quæ recentius *Feſtum omnium Sanctorum*. Exhibet & Antiphonas in Miſſis adhibitas cum notis Muſicalibus perquam minutis ſuperpoſitis, quarum ductu Cantores tunc regebantur in Choro. Concors in pleriſque procedit cum Antiphonario edito a Cardinali Thomaſio. Contra nonnulla heic habentur, quæ in eo deſiderantur. Specimen exhibeo.

„ IN RESURRECTIONE DOMI-
„ NI Ant. Vidi aquam egredientem
„ de Templo a latere dextro: Al-
„ leluja. Et omnes, ad quos per-
„ venit aqua iſta, ſalvi facti ſunt,
„ & dicent: Alleluja, alleluja. In
„ die Reſurrectionis meæ, dicit
„ Dominus: Alleluja. Congregabo
„ gentes, & colligam regna, &
„ effundam ſuper eos aquam mun-
„ dam: Alleluja.
„ Cum Rex gloriæ portas Infero-

„ rum debellaturus intraret, San-
„ ctorum chorus, qui tenebatur
„ in morte captivus, voce lacry-
„ mabili clamabat: Advenisti desi-
„ derabilis, quem exspectabamus in
„ tenebris, ut educeres nos vin-
„ culatos de claustris. Te nostra
„ vocabant vota, suspiria te larga
„ requirebant.
„ Sedit Angelus ad sepulcrum Do-
„ mini &c.
„ *Vers.* Crucifixum Dominum lau-
„ date, & sepultum propter nos
„ glorificate, resurgentemque de
„ morte adorate.
„ *Resp.* Nolite metuere, dico vo-
„ bis, quia ille, quem quæritis
„ mortuum, jam vivit, & vita
„ hominum cum eo surrexit.
„ *Vers.* Recordamini, quomodo
„ prædixit, quia oportet Filium
„ hominis crucifigi, & tertia die
„ a morte suscitari.
„ Kyrie eleison. O Theos ....
„ athatos ymas.
„ Kyrie eleison. O Pater alme se-
„ dens super alas Cherubim & Se-
„ raphim, esto pius atque clemens
„ famulis pro debitis.
„ Kyrie eleison. Te decet solum
„ hymnus, melos, carmen, sym-
„ phonia, & omnigenarum vox
„ linguarum. Kyrie eleison.
„ Christe eleison. Patris unice,
„ tuam in nobis naturam refove.
„ Christe eleison &c.
„ Omnes pariter altis vocibus te
„ laudamus, trine & une.
„ Cujus unitas concors, parque in
„ Trinitate, vivit & regnat nunc &
„ in infinita secula seculorum. A-
men.
„ Exsurrexi, & adhuc tecum sum:
„ Alleluja.

Interdum quoque ad hujusmodi additamenta subjungebatur Hymnus, pro ingenio eorum temporum compositus. En alterum exemplum, complectens appendices ad *Kyrie eleison*, simulque Hymnum, metrice concinnatum.

„ DE KYRIE ELEISON.

„ Kyrie eleison. Omnipotens Ge-
„ nitor, lumenque & lucis origo;
„ Kyrie eleison. De nihilo jussu
„ Verbi qui cuncta creasti,
„ Kyrie eleison. Humano generi,
„ peccati pondere presso,
„ Christe eleison. Ad cænum ter-
„ ræ missus Genitoris ab arce,
„ Christe eleison. Indueras car-
„ nem, casta de Virgine natus,
„ Christe eleison. Tu Mundi cul-
„ pam mundasti sanguine fuso.
„ Kyrie eleison. Æqualis Patri seu
„ Nato Spiritus almus:
„ Kyrie eleison. Trinus personis
„ Deus, in Deitate sed unus.
„ Kyrie eleison &c.
„ Canamus cuncti
„ Laudes Hymniferas
„ Soli Deo placide.
„ Qui pius salvet
„ Semper, & protegat
„ Se sequentes in ævum &c.

Id genus additamenta ad *Kyrie eleison* decantata, Johannes quoque de Johanne Canonicus supra laudatus apud Panormitanos & Messanenses usurpata fuisse tradit in *Festis duplicibus Sanctorum*; immo & eadem in Missalibus aliorum locorum, impressis etiam, reperiri animadvertit. Cæterum in calce antiquissimi Antiphonarii Mutinensis exhibentur complures Hymni, in quibus neque metrum, neque rythmum interdum invenias. Similes, sed majori cura elaboratos, seculo nono & decimo procuderunt Monachi Sangallenses Notkerus, Hartmanus, Rapertus, & alii, quos apud Canisium habemus (*a*). Et isti quidem Hymni in solemnioribus Festis Mutinæ canebantur ad Missam. En primos versus illius, qui

(a) Canisius in Lection. antiqu.

qui *in Nocte ſancti Natalis Domini* cantari conſuevit:

„ Eja recolamus laudibus piis digna
„ Hujus Dei carmina,
„ In qua nobis oritur gratiſſima &c.

Alter decantabatur *in primo mane*:

„ Grates nunc omnes
„ Reddamus Domino Deo;
„ Qui ſua Nativitate &c.

Tertius adhibebatur *in Die ad Miſſam*:

„ Natus ante ſecula
„ Dei Filius inviſibilis,
„ Per quem fit machina &c.

Leguntur & Elegiaci verſus *in Reſurrectione Domini*.

„ Salve feſta Dies, toto venerabilis orbe,
„ Qua Deus Infernum vicit, & aſtra tenet &c.

Laudanda eſt Romanorum Pontificum ſapientia, quæ ſublatis hiſce peregrinis mercibus, quibus onerata potius quam ornata fuerat ſacra Liturgia, in antiquam puritatem ac moderationem penſum Romanæ Miſſæ reſtituit. Sed ſeveritate etiam non mediocri in poſterum opus eſt. Nimis enim hominum genus ad novitatem proclive ſe prodit, & niſi obices inveniret, quotidie novaret. Si meliora adferri in medium poſſunt ad amplificandum pietatis regnum, eadem ſane amplecti nefas non erit, immo interdum præſtabit. At ſi qua nova proponuntur, ad veram pietatem aut alendam, aut augendam omnino inepta, & ſecreto forſitan privatæ alicujus ambitionis, ſive præeminentiæ, vel utilitatis ſtudio excogitata: iſtis obſiſtere æquum eſt, neque ſinere, ut in uſum veniant. Sed ultra mihi pergendum non eſt.

SACRAMENTARIUM
GREGORIANUM,
SIVE
SACRAMENTORUM ORDO

A Sancto Gregorio I. Papa compositus, ex codice Vaticanæ Bibliothecæ ante nongentos annos exarato.

(*a*) IN nomine Domini. Incipit Liber Sacramentorum de Circulo Anni, expositum a Sancto Gregorio Papa Romano, editum ex authentico Libro Bibliothecæ Cubiculi, scriptum: Qualiter Missa Romana celebratur.

Notæ. (1) Hoc est in primis (1) Introitus qualis fuerit statutis temporibus, seu diebus festis, sive quotidianis. Deinde *Kyrie eleison*. Item dicitur *Gloria in excelsis Deo*, si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis. A Presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in Pascha. Quando vero Letania agitur, neque *Gloria in excelsis Deo*, neque *Alleluja* canitur. Postmodum dicitur Oratio. Deinde sequitur (*b*) Apostolus. Item Gradalis seu *Alleluja*. Postmodum legitur Evangelium. Deinde Offertorium, & dicitur Oratio super (*c*) oblatam. Inde dicit Sacerdos excelsa voce:

Per omnia secula seculorum:
Amen.
Dominus vobiscum:
Et cum spiritu tuo.
Sursum corda:
Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro:
Dignum & justum est.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, Cœli cœlorumque Virtutes ac beata Seraphim socia exsultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. (*d*)

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas (*e*) hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia inlibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare & regere digneris toto orbe Terra

Variantia in Codice Othoboniano.

a In nomine Domini incipit Liber Sacramentorum de circulo Anni a Sancto Gregorio Papa Romano editus. Qualiter Missa Romana &c.

b sequitur Apostolum.

c super oblata. Qua completa dicit Sacerdos

d Sabaoth. Pleni sunt Cæli & Terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

e hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sacrificia.

rarum, una cum (*a*) beatissimo famulo tuo Papa nostro (*illo*) (*b*).

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum (*c*) & omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio (*d*), qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero.

Communicantes, & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, Genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi, sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Johannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum; quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

(*e*) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem tu, Deus, in (2)
omnibus, quæsumus, (2) benedictam (*f*), adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis Corpus (*g*) & Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini Dei (*h*) nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, elevatis oculis in Cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens, benedixit (*i*), fregit, dedit Discipulis suis, dicens: *Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc est Corpus meum.* Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit (*k*), dedit Discipulis suis, dicens: *Accipite & bibite ex eo omnes. Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium Fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Unde & memores (*l*) sumus, Domine, nos tui servi, sed & plebs tua sancta, Christi Filii tui Domini Dei nostri tam beatæ Passionis, nec non & ab inferis Resurrectionis,

a una cum famulo tuo Papa nostro (*illo*)

b & Antistite nostro (*illo*), & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ Fidei cultoribus.

c In margine Codicis ejusdem Othoboniani adnotata alio vetusto charactere leguntur nomina Fidelium vivorum aut mortuorum, de quibus in Præfatione egi.

d devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.

e Secundis curis additur a recentiori manu in Codice Othoboniano: Hanc igitur oblationem, quam tibi ac si indignus pro emendatione viciorum, ac remissionem peccatorum meorum offero, & pro gloria Martyrum & Confessorum, & pro salute vivorum, vel requiem defunctorum, propi ..... aspicias, sanctifican .... sanctifices ✠, benedicen ... ✠ benedicas ✠. Per quem suppliciter depre ..... Per Christum Dominum nostrum.

f benedictam ✠, adscriptam ✠, ratam ✠, rationabilem

g Corpus ✠ & Sanguis ✠ fiat

h Domini nostri Jesu Christi.

i benedixit ✠, fregit

k benedixit ✠, dedit

l Unde & memores, Domine,

nis, sed & in Cœlos gloriosæ Ascensionis; offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam puram (*a*), Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipo tens Deus, jube hæc perferri per manus Angeli tui in sublime Alta-
(3) re (3) tuum in conspectu (*b*) divinæ Majestatis tuæ, ut quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus (*c*) & Sanguinem sumserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur. Per Christum Dominum nostrum.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum (*illorum & illarum* (*d*) qui nos præcesserunt cum signo Fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per Christum (*e*) Filium tuum Dominum nostrum (*f*).

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis & Mar-
tyribus, (4) cum Johanne, Ste- (4)
phano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & cum omnibus Sanctis tuis. Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas (*g*), vivificas, benedicis, & præstas nobis. Per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

Oremus:

Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in Cœlis, sanctificetur Nomen tuum, adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in Cœlo, & in Terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo (*h*):

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris, intercedente beata & gloriosa semper Virgine, Dei genitrice Maria, & beatis Apostolis tuis

a hostiam puram ✠, hostiam sanctam ✠, hostiam ✠ immaculatam, Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ salutis perpetuæ.

b in conspectum

c Corpus ✠ & Sanguinem

d In margine leguntur hæc nomina: Elisard Episcopus. Hodolricus Decanus. Fulchcerius Decanus. Hestierius. VVarino. Atroltus, Eidoila. Duda. Frotmundus Decanus &c.

e Per Christum Dominum nostrum.

f Recentior manus addidit in margine Codicis Othoboniani: Memento mei, quæso, Domine, miserere, & hæc sacrificia indignis manibus meis tibi offeruntur, qui nec invocare dignus sum nomen sanctum tuum, quæso jam, quia in honore gloriosi Filii tui Domini Dei nostri tibi offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ Majestatis tuæ ... odore suavitatis... accendantur, meque emundatum a delictis omnibus tibi Deo soli immaculatum concede famulari. Per Christum Dominum nostrum.

g sanctificas ✠, vivificas ✠, benedicis ✠, & præstas nobis.

h a malo. Amen.

tuis Petro, & Paulo, (*a*) atque
(5) Andrea, (5) da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.

Reſpondetur:

Et cum ſpiritu tuo.

(*b*) (6) Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miſerere nobis. (6)

a atque Andrea. *Heic aliquod nomen exſtabat, alicujus manu abraſum. Protinus ſequuntur hæc alia*: nec non & beato Dionyſio Martyre tuo atque Pontifice, cum ſociis ſuis Ruſtico & Eleutherio, & beato Chlodoaldo Confeſſore tuo, & omnibus Sanctis, da propitius pacem &c.

b Hæc deſunt in Codice Othoboniano.

IX. KALENDAS JANUARII, idest die XXIV. Mensis Decemb.

(7) (7) ORATIO IN VIGILIA DOMINI.

(*a*) DEus, qui nos redemtionis nostræ annua exspectatione lætificas, præsta, ut Unigenitum tuum, quem Redemtorem læti suscepimus, venientem quoque Judicem securi videamus Dominum nostrum (*b*) qui tecum vivit &c.

Super oblata.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut adoranda Filii tui Natalitia prævenimus, sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Qui tecum vivit &c.

Ad complendum.

Da nobis, Domine, quæsumus, Unigeniti Filii tui recensita Nativitate respirare, cujus cœlesti Mysterio pascimur & potamur. Per eumdem &c.

VIII. KALENDAS JANUARII, idest die XXV. Mensis Decemb.

(8) (8) NATIVITAS DOMINI.

AD SANCTAM MARIAM MAJOREM.

(*c*) DEus, qui hanc sacratissimam Noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da, quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in Cœlo perfruamur, qui tecum &c.

Super oblata.

Accepta tibi sit, Domine, quæsumus, hodiernæ festivitatis oblatio, ut tua gratia largiente, per hæc sacrosancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia, qui tecum vivit &c.

Præfatio. (9) (9)

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis insulsit; ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur. Et ideo cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni Militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Communicantes & noctem sacratissimam celebrantes, qua beatæ Mariæ intemerata Virginitas huic Mundo edidit Salvatorem. Sed & memoriam venerantes ejusdem gloriosæ semper Virginis Mariæ, Genitricis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, sed & beatorum Apostolorum &c.

Ad complendum.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut qui Nativitatem Domini nostri Jesu Christi nos frequentare gaudemus, dignis conversationibus ad ejus mereamur pertinere consortium, qui tecum vivit & regnat &c.

(*d*) De

a Sequentes Antiphonæ, Responsoria, Offertoria, & Orationes, quæ initiantur, addita sunt in Codice Othoboniano ad oram pagellarum, a recentiori manu.
Antiphona: Hodie scietis.
Responsorium: Hodie scietis.
Offertorium: Tollite portas.
Communio: Revelabitur.

b Idem Codex habet: Dominum nostrum Jesum Christ.

c Antiphona: Dominus dixit ad me.
Responsorium: Tecum principium.
Alleluja: Dominus dixit ad me.
Offertorium: Lætentur Cœli.
Communio: In splendoribus.

(10) (*a*) *De Nocte ad Sanctam Anastasiam.* (10)

(*b*) Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Anastasiæ Martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per &c.

Alia.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nova Incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per Fidem fulget in mente. Per eumdem. (*c*)

Super oblata.

Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, & beatæ Anastasiæ suffragantibus meritis ad nostræ salutis auxilium pervenire concede. Per Dominum &c.

(*d*) *Item super oblata.*

Munera nostra, quæsumus, Domine, Nativitatis hodiernæ mysteriis apta perveniant, ut sicut Homo genitus idem refulsit Deus, sic nobis hæc terrena substantia conferat, quod divinum est. Per eumdem &c.

Præfatio.

Vere dignum, (*e*) æquum, & salutare, nos tibi semper, & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ut de hoste generis humani major victoria duceretur, non solum per Viros virtute Martyrii, sed de eo etiam per Fœminas triumphasti. Et ideo cum Angelis &c.

(*f*) *Præfatio.*

(*g*) Vere æquum, dignum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, quia nostri Salvatoris hodie lux vera processit, quæ clara nobis omnia & intellectu manifestavit & visu. Et ideo cum Angelis &c.

Ad complendum.

Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris. Ejus, quæsumus, semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum &c.

Alia ad Complendum.

Hujus (*h*) nos, Domine, sacramenti semper novitas Natalis instauret, cujus Nativitas singularis humanam repulit vetustatem. Per eumdem &c.

In Natale Domini ad S. Petrum.

(*i*) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem &c.

Super oblata.

Oblata, Domine, munera, nova Unigeniti tui Nativitate sanctifica, nosque a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per eumdem &c.

Præfatio.

Vere (*k*) dignum, æquum, & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine, sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, quia per Incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur. Et ideo &c.

Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes, quo beatæ Mariæ intemerata Virginitas huic Mundo edidit Salvatorem (*l*); sed & memoriam venerantes ejusdem glorio-

Q 2

a Mane prima Natalem Domini, ad Sanctam Anastasiam.

b *Antiphona*: Lux fulgebit hodie.
Responsorium: Benedictus, qui venit.
Alleluja: Dominus regnavit, decorem.
Offertorium: Deus enim firmavit.

c Per eumdem Unigenitum Filium &c.

d Alia super oblata.

e Vere dignum, æterne Deus, qui ut de hoste.

f Alia Præfatio.

g Vere dignum, æterne Deus, quia nostri.

h Hujus, Domine, sacramenti.

i *Antiphona*: Puer natus est nobis.
Responsorium: Viderunt omnes.
Alleluja: Dies sanctificatus.
Offertorium: Tui sunt Cœli.
Communio: Viderunt omnes.

k Vere dignum, æterne Deus, quia per Incarnati.

l Salvatorem Jesum Christum Dominum nostrum; sed & memoriam.

riosæ semper Virginis Mariæ Genitricis Dei &c.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut natus hodie Salvator Mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor, ita & immortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum vivit &c.

Aliæ Orationes de Natali Domini. (11)

(11) Respice nos, misericors Deus, & mentibus clementer humanis nascente Christo, summæ veritatis lumen ostende. Per eumdem &c.

Alia.

Largire, quæsumus, Domine, famulis tuis Fidei, Spei, & Caritatis augmentum, ut qui de Nativitate Filii tui Domini nostri gloriantur, & adversa Mundi te gubernante, non sentiant, & quæ temporaliter celebrare desiderant, sine fine percipiant. Per eumdem &c.

Alia.

Deus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum sine humana concupiscentia procreatum, in Filii tui membra (*a*) venientes, paternis fecisti præjudiciis non teneri: præsta, quæsumus, ut hujus Creaturæ novitate suscepta, vetustatis antiquæ contagiis exuamur. Per eumdem &c.

Alia.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut salutare tuum, nova cœlorum luce mirabile, quod ad salutem Mundi hodierna festivitate processit, nostris semper innovandis cordibus oriatur. Per eumdem &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem per Incarnationem Verbi tui, & Partum beatæ Mariæ Virginis consecrasti: da Populis tuis in hac celebritate consortium, ut qui tua gratia sunt redemti, tua sint adoptione securi. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem & mirabiliter condidisti & mirabilius reformasti: da nobis, quæsumus, ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps. Qui tecum vivit & regnat &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in Filii tui Domini nostri Nativitate tribuisti, totius Religionis initium perfectionemque constare: da nobis, quæsumus, in ejus (*b*) portione censeri, in quo totius salutis humanæ summa consistit. Qui tecum &c.

Alia.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo inviolabilem fidei firmitatem, ut qui Unigenitum tuum, in tua tecum gloria sempiternum, in veritate nostri corporis natum de Matre Virgine confitentur, & a præsentibus liberentur adversis, & mansuris gaudiis inserantur. Per eumdem &c.

VII. KALENDAS JANUARII, idest XXVI. Die Mensis Dec.

NATALE SANCTI STEPHANI.

(*c*) DA nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus & inimicos diligere, quia ejus Natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare (*d*). Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, munera pro tuorum commemoratione Sanctorum, ut quod illos passio gloriosos, nos de-

a *Emendandum in utroque Codice sic*: Venientem, vel ....

b in ejus protectione

c *Antiphona*: Etenim sederunt.
Responsorium: Sederunt Principes.
Alleluja. Video cœlos apertos.
Offertorium: In virtute tua, Domine.
Communio: Video cœlos apertos.

d exorare Dominum nostrum.

devotio reddat innocuos. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Auxilientur nobis, Domine, ſumta myſteria, & intercedente beato Stephano Martyre tuo, ſempiterna protectione confirment. Per &c.

Alia Oratio. (*a*)

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primitias Martyrum in beati Levitæ Stephani ſanguine dedicaſti: tribue, quæſumus, ut pro nobis interceſſor exſiſtat, qui pro ſuis etiam perſecutoribus exoravit (*b*). Per &c.

Alia.

Deus, qui nos Unigeniti tui (*c*) clementer Incarnatione redemiſti: da nobis patrocinia tuorum continuata Sanctorum, quibus capere valeamus ſalutaris myſterii portionem. Per eumdem Dominum &c.

VI. KALENDAS JANUARII, ideſt XXVII. Die Menſis Dec.

NATALE S. JOHANNIS EVANGELISTÆ.

(*d*) ECcleſiam tuam, Domine, benignus illuſtra, ut beati Johannis Evangeliſtæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat ſempiterna. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suſcipe munera, Domine, quæ in ejus tibi ſolemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Refecti cibo potuque cœleſti, Deus noſter, te ſupplices deprecamur, ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum &c.

Ad Veſperos (*e*), *ubi ſupra.*

Beati Johannis Evangeliſtæ, quæſumus, Domine, ſupplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia ſempiterna concede. Per Dominum &c.

Ad Fontes.

Beati Evangeliſtæ Johannis, Domine, precibus adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Per Dominum &c.

Ad Sanctum Andream.

Sit, Domine, quæſumus, beatus Johannes Evangeliſta noſtræ fragilitatis adjutor, ut pro nobis tibi ſupplicans copioſius audiatur. Per &c.

Alia.

Deus, qui per os beati Apoſtoli tui Johannis (*f*) Verbi tui nobis arcana reſeraſti: præſta, quæſumus, ut quod ille noſtris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per Dominum &c.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hujus diei venerandam ſanctamque lætitiam beati Apoſtoli tui Johannis Evangeliſtæ feſtivitate tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ, quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per &c.

V. KA-

a Aliæ Orationes.
b exoravit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.
c Unigeniti tui Domini noſtri Incarnatione
d *Antiphona*: In medio Eccleſiæ.
Reſponſorium: Exiit ſermo.
Alleluja: Hic eſt Diſcipulus ille.
Offertorium: Juſtus, ut palma.
Communio: Exiit ſermo inter fratres.
e Ad Veſperas, ubi ſupra.
f Johannis & Evangeliſtæ, Verbi.

V. KALENDAS JANUARII, idest XXVIII. Die Mensis Decemb.

NATALE INNOCENTUM.

AD SANCTUM PAULUM.

(*a*) DEus, cujus hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut Fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sanctorum tuorum nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per &c.

Ad Complendum.

Votiva, Domine, dona percepimus, quæ Sanctorum nobis precibus & præsentis, quæsumus, vitæ pariter & æternæ tribue conferre subsidium. Per &c.

Alia.

Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis: da nobis, quæsumus, in eorum celebritate gaudere, qui Filio tuo Domino nostro testimonium præbuerunt, etiam non loquentes. Per eumdem &c.

(*b*) II. KALENDAS JANUARII, idest XXXI. Die Mensis Dec.

NATALE S. SILVESTRI PAPÆ.

(*c*) DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Silvestri Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas & devotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sancti tui nos, quæsumus, Domine, ubique lætificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Per &c.

MENSE JANUARII, in Octavas Domini.

AD S. MARIAM AD MARTYR.

(*d*) DEus, qui salutis æternæ beatæ Mariæ Virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere (*e*) Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum vivit &c.

Super oblata.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum &c.

Ad

a *Antiphona*: Ex ore infantium Deus. *Responsorium*: Anima nostra. *Alleluja*: Herodes iratus occidit multos pueros in Bethleem Judæ, Civitate David. *Offertorium*: Anima nostra, sicut passer. *Communio*: Vox in Rama.

b Pridie Kalendas Januarii,

c *Antiphona*: Sacerdotes tui, Domine. *Responsorium*: Ecce Sacerdos magnus. *Offertorium*: Inveni David. *Alleluja*: Inveni David. *Communio*: Beatus Servus.

d *Antiphona*: Vultum tuum. *Responsorium*: Diffusa est gratia. *Alleluja*: Specie tua. *Offertorium*: Offerentur Regi. *Communio*: Diffusa est gratia.

e suscipere Jesum Christum Filium tuum, Domin. nostr.

Ad complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes. Per Dominum &c.

(12) (*a*) *Oratio in alia Dominica* (12)

Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Per eumdem &c.

Item in alia Dominica.

Vota, quæſumus, Domine, ſupplicantis populi cœleſti pietate proſequere, ut (*b*) & quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda, quæ viderint, convaleſcant. Per Dominum &c.

(13) (13) VIII. IDUS JANUARII, ideſt VI. Die Menſis Januarii.

EPIPHANIA.

AD SANCTUM PETRUM.

(*c*) DEus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus ſtella duce revelaſti: concede propitius, ut qui jam te ex Fide cognovimus, uſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur. Per eumdem &c.

Super oblata.

Eccleſiæ tuæ, quæſumus, Domine, dona propitius intuere, quibus non jam aurum, thus, & myrrha profertur, ſed quod de eiſdem muneribus declaratur, immolatur & ſumitur. Per Dominum &c.

Præfatio.

Vere (*d*) dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æternæ Deus, quia quum Unigenitus tuus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, (*e*) in nova nos immortalitatis ſuæ luce reparavit. Et ideo cum Angelis & Archangelis &c.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus, in veritate carnis noſtræ viſibiliter corporalis apparuit. Sed & memoriam venerantes &c.

Ad complendum.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut quæ ſolemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia conſequamur. Per Dominum &c.

(14) *Aliæ Orationes.* (14)

Deus, illuminator omnium gentium, da populis tuis, perpetua pace gaudere, & illud lumen ſplendidum infunde cordibus noſtris, quod trium Magorum mentibus (*f*) inſpiraſti. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, cujus Unigenitus in ſubſtantia noſtræ carnis apparuit: præſta, quæſumus, ut per eum, quem ſimilem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur. (*g*) Per eumdem &c.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, fidelium ſplendor animarum, qui hanc ſolemnitatem electionis Gentium primitiis conſecraſti: imple mundum gloria tua, & ſubditis (*h*) tibi populis per luminis tui appare claritatem. Per Dom. &c.

Alia.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut

a Oratio in Dominica.
b ut ea, quæ agenda.
c *Antiphona:* Ecce advenit.
Reſponſorium: Omnes de Saba venient.
Alleluja: Vidimus Stellam ejus.
Offertorium: Reges Tharſis & Inſulæ.
Communio: Vidimus Stellam ejus.

d Vere dignum, æterne Deus, quia quum Unigenitus.
e in novam nos immortalitatis ſuæ lucem.
f mentibus aſpiraſti.
g mereamur, qui tecum vivit.
h & ſubditis Populis.

ut Salutare tuum, nova cœlorum luce mirabile, quod ad ſalutem mundi hodierna feſtivitate proceſſit, noſtris ſemper innovandis cordibus oriatur. Per Dominum &c.

Alia.

Da nobis, quæſumus, Domine, digne celebrare myſterium, (*a*) quod in noſtri Salvatoris infantia miraculis coruſcantibus declaratur, & corporalibus incrementis manifeſta deſignatur Humanitas. Per &c.

Alia.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut Salvatoris mundi ſtella duce manifeſtata nativitas, mentibus noſtris reveletur ſemper & creſcat. Per eumdem &c.

Alia.

Illumina, quæſumus, Domine, populum tuum, & ſplendore gloriæ tuæ cor ejus ſemper accende, ut Salvatorem ſuum & inceſſanter agnoſcat, & veraciter apprehendat Dominum noſtrum (*b*), qui tecum vivit &c.

XIX. KALENDAS FEBRUARII, ideſt XIV. Die Menſis Januarii.

NATALE SANCTI FELICIS.

(15) IN PINEIS. (15)

(*c*) CONcede, quæſumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent, quatenus quorum ſolemnia agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum noſtrum &c.

Super oblata.

Hoſtias tibi, Domine, beati Felicis Confeſſoris tui dicatas meritis, benignus aſſume, & ad perpetuum nos tribue (*) provenire ſubſidium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæſumus, Domine, ſalutaribus repleti myſteriis, ut cujus ſolemnia celebramus, ejus orationibus adjuvemur. Per Dominum &c.

XVII. KALENDAS FEBRUARII, ideſt XVI. Dies Menſis Jan.

NATALE S. MARCELLI PAPÆ.

(*d*) PReces populi tui, quæſumus, Domine, clementer exaudi, ut beati Marcelli Martyris tui atque Pontificis meritis adjuvemur, cujus paſſione lætamur. Per &c.

Super oblata.

Suſcipe, quæſumus, Domine, munera dignanter oblata, & beati Marcelli ſuffragantibus meritis, ad noſtræ ſalutis auxilium pervenire concede. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Satiaſti, Domine, familiam tuam muneribus ſacris. Ejus, quæſumus, ſemper interventione nos refove, cujus ſolemnia celebramus. Per Dominum &c.

XV. KALENDAS FEBRUARII, ideſt XVIII. Die Menſis Jan.

NATALE S. PRISCÆ.

(*e*) DA, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Priſcæ Martyris tuæ natalitia colimus, & annua ſolemnitate lætemur,

a In utriuſque Codicis textu ſcribendum: quo.
b Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.
c Antiphona: Os juſti meditabitur.
Reſponſorium: Juravit Dominus.
Offertorium: Gloria & honore.
Communio: Poſuiſti, Domine.
* tribue pervenire ſubſidium.
d Antiphona: Statuit ei Dominus.
Reſponſorium: Inveni David.
Alleluja: Inveni David.
Offertorium: Veritas mea.
Communio: Domine, quinque talenta.
e Antiphona: Loquebar de teſtimoniis.
Reſponſorium: Specie tua.
Offertorium: Filiæ Regum.
Communio: Feci judicium.

mur, & tantæ fidei proficiamus exemplo. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostia, Domine, quæsumus, quam in Sanctorum tuorum natalitiis recensentes offerimus, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut cujus solemnia celebramus, ejus orationibus adjuvemur. Per &c.

XIII. KALENDAS FEBRUARII, idest XX. Die Mensis Januar.

NATALE S. FABIANI.

(*a*) INfirmitatem nostram respice, omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Fabiani Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, beati Fabiani Martyris tui dicatas meritis, benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus, ut cujus exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per &c.

ITEM EODEM DIE

NATALE S. SEBASTIANI.

DEus, qui beatum Sebastianum Martyrem tuum virtute constantiæ in Passione roborasti, ex ejus nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare. Per Dominum nostrum &c.

Super oblata.

Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, & ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sacro munere satiati supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, intercedente beato Sebastiano Martyre tuo, salvationis tuæ sentiamus (*b*) augmentum. Per &c.

XII. KALENDAS FEBRUARII, idest XXI. Die Mensis Januar.

(16) NATALE S. AGNÆ (*c*). (16)

(*d*) OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius, ut qui beatæ Agnæ martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe, & intercedente beata Agna martyre tua, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Refecti cibo potuque cœlesti, Deus noster te supplices exoramus, ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum &c.

XI.

a *Antiphona*: Intret in conspectu tuo. *Responsorium*: Gloriosus Deus. *Alleluja*: Sancti tui, Domine. *Offertorium*: Lætamini in Domino, *Communio*: Multitudo languentium.

b sentiamus augmento. Per &c.

c *Idest*: Agnetis.

d *Antiphona*: Me exspectaverunt. *Responsorium*: Diffusa est gratia. *Alleluja*. Specie tua. *Offertorium*: Offerentur Regi. *Communio*; Quinque prudentes.

XI. KALENDAS FEBRUARII, idest XXII. Die Mensis Jan.

NATALE S. VINCENTII.

(*a*) Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Vincentii Martyris tui intercessione liberemur. Per &c.

Super oblata.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum &c.

Ad Complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Vincentio Martyre tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per &c.

V. KALENDAS FEBRUARII, idest XXVIII. Die Mensis Januarii.

(17) NATALE SANCTÆ AGNÆ secundo. (17)

(*b*) Deus, qui nos annua beatæ Agnæ Martyris tuæ solemnitate lætificas, da, quæsumus, ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per &c.

Super oblata.

Super has, quæsumus, Domine, hostias benedictio copiosa descendat, quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de Martyrum nos solemnitate lætificet. Per &c.

Ad Complendum.

Sumsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta. Præsta, quæsumus, ut & temporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ. Per &c.

IV. NONAS FEBRUARII, idest II. Die Mensis Februarii,

(sic) YPPAPANTI (18) AD S. MARIAM. (18)

Oratio ad Collectam (19) *ad S. Adrianum* (*c*). (19)

(*d*) Erudi, quæsumus, Domine, plebem tuam, & quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per &c.

Missa ad Sanctam Mariam Majorem.

(*e*) Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut Unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in Templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eumdem &c.

Super oblata.

Exaudi, Domine, preces nostras, & ut digna sint munera, quæ oculis tuæ majestatis offerimus, subsidium nobis tuæ pietatis impende. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro

a *Antiphona*: Lætabitur justus.
Responsorium: Posuisti, Domine.
Alleluja; Beatus vir, qui timet.
Offertorium: Gloria & honore.
Communio: Qui vult venire.

b *Antiphona*: Vultum tuum.
Responsorium: Specie tua.
Alleluja; Diffusa est.
Offertorium: Diffusa est.
Communio: Simile est regnum.

c *In textu Codicis Othoboniani additur recentiori manu scripta hæc Oratio*: Satiasti nos, Domine, salutari mysterio. Quæsumus, ut pro nobis ejus non desinat oratio, cujus donasti patrocinio gubernari.

d *In margine*: Antiphona: Ave, gratia plena.
Antiphona: Adorna thalamum.

e *Antiphona*: Suscepimus, Deus.
Responsorium: Suscepimus, Deus.
Alleluja; Adorabo.
Offertorium: Diffusa est gratia.
Communio: Responsum accepit.

pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente beata semper Virgine Maria, & præsens nobis remedium esse facias, & futurum. Per Dominum &c.

(20) (20) *Super Populum.*

Perfice in nobis, quæsumus, Domine, gratiam tuam, qui justi Symeonis exspectationem implesti, ut sicut ille mortem non vidit, priusquam Christum Dominum nostrum videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam. Per eumdem &c.

NONIS FEBRUARII, idest V. Die Mensis Februarii.

NATALE SANCTÆ AGATHÆ.

(*a*) DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam Martyrii contulisti: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, per ejus (*b*) ad te exempla gradiamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe munera, Domine, quæ in beatæ Agathæ Martyris tuæ solemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum &c.

Ad Complendum.

Auxilientur nobis, Domine, sumta mysteria, & intercedente beata Agatha Martyre tua, sempiterna protectione confirment. Per Dominum &c.

Alia.

Indulgentiam nobis, Domine, beata Agatha Martyr imploret, quæ tibi grata semper exstitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui nos annua beatæ Agathæ Martyris tuæ solemnitate lætificas: da, ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per &c.

Alia.

Beatæ Agathæ Martyris tuæ, Domine, precibus confidentes, quæsumus clementiam tuam, ut per ea, quæ sumsimus, æterna remedia capiamus. Per Dominum &c.

XVI. KALENDAS MARTII, idest XIV. Die Mensis Februarii.

NATALE SANCTI VALENTINI.

(*c*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per &c.

Super oblata.

Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus, & intercedente beato Valentino Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per &c.

Ad Complendum.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis & corporis cœleste mysterium, ut cujus exsequimur actionem, sentiamus effectum. Per &c.

IV. IDUS MARTII, idest XII. Die Mensis Martii.

NATALE S. GREGORII PAPÆ.

(*d*) DEus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitu- (21)

a *Antiphona*: Gaudeamus omnes.
Responsorium: Adjuvabit eam.
Tractus: Qui seminant.
Offertorium: Offerentur.
Communio: Qui me dignatus est.

b per ejus apud te.

c *Antiphona*: In virtute tua, Domine.
Responsorium: Beatus vir, qui timet.
Tractus: Desiderium.
Offertorium: In virtute tua, Domine.
Communio: Magna est gloria.

d *Antiphona*: Sacerdotes Dei benedicite.
Responsorium: Juravit Dominus.
Alleluja: Beatus vir.
Offertorium: Veritas mea.
Communio: Fidelis servus.

titudinis præmia contuliſti, concede propitius, ut qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, ejus apud te precibus ſublevemur. Per &c.

Super oblata.

(22) (22) Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Gregorii proſit oblatio, quam immolando totius Mundi tribuiſti relaxari delicta. Per Dominum &c.

Ad Complendum.

Deus, qui beatum Gregorium Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquaſti: concede propitius, ut qui commemorationis ejus feſta (*a*) percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per &c.

VIII. KALENDAS APRILIS, ideſt XXV. Die Menſis Martii.

ANNUNCIATIO S. MARIÆ.

(23) (23) DEus, qui beatæ Virginis utero Verbum tuum Angelo nuntiante carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eumdem &c.

Ad Miſſam.

(*b*) Deus, qui hodierna die Verbum tuum beatæ Virginis alvo coadunare voluiſti, fac nos ita peragere, ut tibi placere valeamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

In mentibus noſtris, Domine, veræ Fidei ſacramenta confirma, ut qui conceptum de Virgine Deum verum & Hominem confitemur, per ejus ſalutiferæ Reſurrectionis potentiam ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per eumdem &c.

Ad complendum.

Gratiam tuam, Domine, mentibus noſtris infunde, ut qui Angelo nuntiante, Chriſti Filii tui Incarnationem cognovimus, per Paſſionem ejus & Crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem &c.

ORATIO IN SEPTUAGESIMA.

AD SANCTUM LAURENTIUM foris murum.

(*c*) (24) PReces Populi tui, quæſumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per Dominum &c. (24)

Super oblata.

Muneribus noſtris, quæſumus, Domine, precibuſque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi. Per &c.

Ad complendum.

Fideles tui, Deus, per tua dona firmentur, ut eadem percipiendo requirant, & quærendo ſine fine percipiant. Per &c.

IN SEXAGESIMA.

AD SANCTUM PAULUM.

(*d*) DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus, concede propitius, ut contra adverſa omnia Doctoris gentium protectione muniamur. Per &c.

Su-

a feſta colimus.
b *Antiphona*: Vultum tuum.
Reſponſorium: Diffuſa eſt gratia.
Offertorium: Ave, Maria.
Communio: Dilexiſti juſtitiam.
c *Antiphona*: Circumdederunt me.
Reſponſorium: Adjutor in opportunitate.
Tractus: De profundis.
Offertorium: Bonum eſt confiteri.
Communio: Illumina faciem tuam.
d *Antiphona*: Exſurge. Quare obdormis?
Reſponſorium: Sciant gentes.
Tractus: Commoviſti, Domine.
Offertorium: Perfice greſſus meos.
Communio: Introibo ad Altare.

Super oblata.

Oblatum tibi, Domine, sacrificium vivificet nos semper & muniat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas. Per &c.

IN QUINQUAGESIMA.

AD SANCTUM PETRUM.

(*a*) PReces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, atque a peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos adversitate custodi. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta & ad sacrificium celebrandum, subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum &c.

FERIA QUARTA.

COLLECTA AD SANCTAM ANASTASIAM.

(*b*) COncede nobis, Domine, (*c*), præsidia militiæ Christianæ sanctis incoare jejuniis, ut contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per &c.

(*d*) AD SANCTAM SAVINAM.

(*e*) Præsta, Domine, fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda solemnia, & congrua pietate suscipiant, & secura devotione percurrant. Per Dominum &c.

Super oblata.

Fac nos, quæsumus, Domine, his muneribus offerendis convenienter aptari, quibus ipsius venerabilis Sacramenti celebramus exordium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Percepta nobis, Domine, præbeant Sacramenta subsidium, ut & tibi grata sint nostra jejunia, & nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum &c.

Super Populum.

Inclinantes se, Domine, majestati tuæ propitiatus intende, ut qui divino munere sunt refecti, cœlestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum &c.

FERIA QUINTA. (25) (25)

AD SANCTUM GEORGIUM.

(*f*) DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, ut & devotioni nostræ proficiant & saluti. Per Dominum &c.

Ad

a *Antiphona*: Esto mihi in Deum.
Responsorium: Tu es Deus, qui facis.
Tractus: Jubilate Domino.
Offertorium: Benedictus es, Domine.
Communio: Manducaverunt.

b *Antiphona*: Exaudi nos, Domine.
Antiphona: Juxta vestibulum.
Antiphona: Immutemur.

c Domine, quæsumus, præsidia.

d Missa ad Sanctam Sabinam.

e *Antiphona*: Misereris omnium.
Responsorium: Miserere mei, Deus.
Offertorium: Exaltabo te, Domine.
Communio: Qui meditabitur.

f *Antiphona*: Dum clamarem.
Responsorium: Jacta cogitatum.
Offertorium: Ad te, Domine, levavi,
Communio: Acceptabis sacrificium.

Ad complendum.

Cœleſtis doni benedictione percepta, ſupplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis & Sacramenti cauſa ſit & ſalutis. Per Dominum &c.

Super Populum.

Parce, Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret. Per Dominum &c.

FERIA SEXTA.

AD S. JOHANNEM ET PAULUM.

(*a*) INcoata jejunia, quæſumus, Domine, benigno favore proſequere, ut obſervantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam ſinceris exercere valeamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificium, Domine, obſervantiæ Paſchalis offerimus. Præſta, quæſumus, ut tibi mentes noſtras reddat acceptas, & continentiæ promtioris nobis tribuat facultatem. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Spiritum nobis, Domine, tuæ Caritatis infunde, ut quos uno cœleſti pane ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per &c.

Super Populum.

Tuere, Domine, populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda, quia ei nulla nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Per &c.

IN QUADRAGESIMA.

AD S. JOHANNEM IN LATER.

(*b*) DEus, qui Eccleſiam tuam annua Quadrageſimæ obſervatione purificas, præſta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis operibus exſequatur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificium Quadrageſimalis initii ſolemniter immolamus; te, Domine, deprecantes, ut cum epularum reſtrictione carnalium, a noxiis quoque voluptatibus temperemus. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Tui nos, Domine, Sacramenti libatio ſancta reſtauret, & a vetuſtate purgatos, in myſterii ſalutaris faciat tranſire conſortium. Per &c. (*c*) (26) (26)

Ad Veſperos. (*d*)

Da nobis, quæſumus, omnipotens Deus, æternæ promiſſionis gaudia quærere, & quæſita citius invenire. Per &c.

Ad Fontes.

Adeſto, quæſumus, Domine, ſupplicationibus noſtris, & in tua miſericordia confidentes, ab omni nos adverſitate cuſtodi. Per Dom. &c.

FERIA SECUNDA.

AD S. PETRUM AD VINCULA.

(*e*) COnverte nos, Deus ſalutaris noſter, & ut nobis jejunium Quadrageſimale proficiat,

a *Antiphona*: Audivit Dominus.
Reſponſorium: Unam petii a Domino.
Offertorium: Domine, vivifica me.
Communio: Servite Domino.

b *Antiphona*: Invocavit me.
Reſponſorium: Angelis ſuis.
Tractus: Qui habitat.
Offertorium: Scapulis ſuis.
Communio: Scapulis ſuis.

c *Hæc Oratio heic additur ſecundis curis*:

Super Populum.

Super Populum tuum, quæſumus, Dom. benedict. copioſa deſcendat, indulgentia veniat, conſolatio tribuatur, Fides ſancta ſuccreſcat, redemtio ſempiterna firmetur. Per.

d Ad Veſperas.

e *Antiphona*: Sicut oculi ſervorum.
Reſponſorium: Protector noſter.
Offertorium: Levabo oculos meos.
Communio: Voce mea.

ciat, mentes noſtras cœleſtibus inſtrue diſciplinis. Per Dominum &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata ſanctifica, noſque a peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per &c.

Ad complendum.

Salutaris tui, Domine, munere ſatiati, ſupplices exoramus, ut cujus lætamur guſtu, renovemur effectu. Per &c.

Super Populum.

Abſolve, quæſumus, Domine, noſtrorum vincula peccatorum, & quidquid pro eis meremur, propitiatus averte. Per Dominum &c.

FERIA TERTIA.

AD S. ANASTASIAM.

(*a*) RESpice, Domine, familiam tuam, & præſta, ut apud te mens noſtra tuo deſiderio fulgeat, quæ ſe carnis maceratione caſtigat. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblatis, quæſumus, Domine, placare muneribus, & a cunctis nos defende periculis. Per &c.

Ad complendum.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut illius ſalutaris capiamus effectum, cujus per hæc myſteria pignus accepimus. Per &c.

Super Populum.

Aſcendant ad te, Domine, preces noſtræ, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam. Per Dominum &c.

FERIA QUARTA. (27) (27)

AD S. MARIAM MAJOREM.

(*b*) PReces noſtras, quæſumus, Domine, clementer exaudi, & contra cuncta nobis adverſantia dexteram tuæ majeſtatis extende. Per &c.

Alia.

Devotionem populi tui, Domine, quæſumus, benignus intende, ut qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per &c.

Super oblata.

Hoſtias tibi, Domine, placationis offerimus, ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per &c.

Ad complendum.

Tui, Domine, perceptione Sacramenti & a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis. Per &c.

Super Populum.

Mentes noſtras, quæſumus, Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra, ut videre poſſimus, quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt, agere valeamus. Per Dominum noſtrum &c.

FERIA QUINTA.

AD S. LAURENTIUM. foris Murum. (28) (28)

(*c*) DEvotionem populi tui, quæſumus, Domine, benignus intende, ut qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per &c.

Super

a Antiphona: Domine, refugium meum.
Reſponſorium: Dirigatur.
Offertorium: In te ſperavi.
Communio: Quum invocarem.
b Antiphona: Reminiſcere.
Reſponſorium: Tribulationes cordis mei.
Item Reſponſorium: De neceſſitatibus meis.
Offertorium: Meditabor in mandatis.
Communio: Intellige.
c Antiphona: Confeſſio & pulchritudo.
Reſponſorium: Cuſtodi me, Domine.
Offertorium: Immittit Angelum.
Communio: Panis, quem ego.

Super oblata.

Sacrificia, Domine, quæſumus, propitius iſta nos ſalvent, quæ medicinalibus ſunt inſtituta jejuniis. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Tuorum nos, Domine, largitate donorum & temporalibus attolle præſidiis & renova ſempiternis. Per Dominum &c.

Super Populum.

Da, quæſumus, Domine, Populis Chriſtianis & quæ profitentur, agnoſcere, & cœleſte munus diligere, quod frequentant. Per &c.

FERIA SEXTA.

AD APOSTOLOS.

(*a*) ESto, Domine, propitius plebi tuæ, & quam tibi facis eſſe devotam, benigno refove miſeratus auxilio. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suſcipe, quæſumus, Domine, noſtris oblata ſervitiis, & tua propitius dona ſanctifica. Per &c.

Ad complendum.

Per hujus, Domine, operationem myſterii & vitia noſtra purgentur, & juſta deſideria impleantur. Per &c.

Super Populum.

Exaudi nos, miſericors Deus, & mentibus noſtris gratiæ tuæ lumen oſtende. Per &c.

SABBATO.

(29) (29) *IN DUODECIM LECTIONES.*

AD SANCTUM PETRUM.

(*b*) POpulum tuum, Domine, quæſumus, propitius reſpice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere, da nobis ſalutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum &c.

Alia.

Protector noſter aſpice, Deus, ut qui malorum noſtrorum pondere premimur, percepta miſericordia, libera tibi mente famulemur. Per &c.

Alia.

Adeſto, quæſumus, Domine, ſupplicationibus noſtris, ut eſſe te largiente mereamur & inter proſpera humiles, & inter adverſa ſecuri. Per Dominum &c.

Alia.

Preces Populi tui, Domine, quæſumus, clementer exaudi, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per Dominum &c.

Alia.

Quæſumus, omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram, dexteram tuæ majeſtatis extende. Per &c.

Alia.

Actiones noſtras, quæſumus, Domine, & aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, ut cuncta noſtra operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum &c.

(*c*) *Ad Miſſam.*

Deus, qui tribus Pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per &c.

Super

a *Antiphona*: De neceſſitatibus meis. *Reſponſorium*: Salvum fac ſervum tuum. *Offertorium*: Benedic anima mea. *Communio*: Erubeſcant & conturbentur.

b *Antiphona*: Intret oratio mea. Reſponſoria quatuor, qualia voluerís. (*Vid. Thomaſ. tom. V. p. 46. nota A.*) *Tractus*: Laudate Dominum. *Offertorium*: Domine Deus ſalutis meæ. *Communio*: Domine Deus meus, in te ſperavi.

c Ad Miſſas.

Super oblata.

Præsentibus Sacrificiis, Domine, jejunia nostra sanctifica, ut quod observantia nostra profitetur extrinsecus, interius operetur. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum &c.

(30) DIE DOMINICO VACAT. (30)

DEus, qui conspicis, omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi, ut & ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per &c.

Super oblata.

Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, ut & devotioni nostræ proficiant & saluti. Per &c.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus deservire (*a*) concedas. Per Dominum &c. (*)

FERIA SECUNDA.

AD SANCTUM CLEMENTEM.

(*b*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua, quæ se affligendo carne ab alimentis abstinet, sectando justitiam, a culpa jejunet. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc hostia, Domine, placationis & laudis tua nos propitiatione dignos efficiat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cœlestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum &c.

Super Populum.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum &c.

FERIA TERTIA.

AD SANCTAM BALBINAM.

(*c*) PErfice, quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sanctificationem tuam nobis, Domine, his mysteriis placatus operare, quæ nos & a terrenis purget vitiis, & ad cœlestia dona perducat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Ut sacris, Domine, reddamur digni muneribus, fac nos tuis, quæsumus, obedire mandatis, Per &c.

Super Populum.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & animarum nostrarum medere languoribus, ut remissione percepta in tua semper benedictione lætemur. Per Dominum &c.

a dignanter deservire concedas.

* *Superest in Codice Othoboniano hæc Oratio:*

Super Populum.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, propitiatus illustra, ut bene placitis inhærendo, cuncta, quæ bona sunt, mereatur accipere. Per &c. (31)

(31)

b *Antiphona*: Redime me, Domine. *Responsorium*: Adjutor meus. *Offertorium*: Benedicam Dominum. *Communio*: Domine Deus noster.

c *Antiphona*: Tibi dixit cor meum. *Responsorium*: Jacta cogitatum tuum. *Offertorium*: Miserere mihi, Domine. *Communio*: Narrabo omnia mirabilia.

FERIA QUARTA.

AD S. CÆCILIAM.

(*a*) POpulum tuum, Domine, propitius respice, & quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius respice, & per hæc sancta commercia vincula peccatorum nostrorum absolve. Per.

Ad complendum.

Sumtis, Domine, Sacramentis, ad redemtionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per Dominum &c.

Super Populum.

Deus, innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut Spiritus tui fervore concepto, & in Fide inveniantur stabiles, & in opere efficaces. Per &c.

FERIA QUINTA.

AD S. MARIAM trans Tiberim.

(*b*) PRæsta nobis, Domine, quæsumus, auxilium gratiæ tuæ, ut jejuniis & orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis & corporis. Per Dominum &c.

Super oblata.

Præsenti Sacrificio nomini tuo nos, Domine, jejunia dicata sanctificent, ut quod observantia nostra profitetur exterius, interius operetur effectum. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Gratia tua nos, quæsumus, Domine, non derelinquat, (*c*) quæ nobis opem semper acquirat. Per &c.

Super Populum.

Adesto, Domine, famulis tuis, & perpetuam benignitatem largire poscentibus, ut his, qui te auctore & gubernatore gloriantur, & congregata restaures, & restaurata conserves. Per Dominum &c.

FERIA SEXTA.

AD S. VITALEM.

(*d*) DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacro nos purificante jejunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias pervenire. Per Dominum.

Super oblata.

Hæc in nobis sacrificia, Deus, & actione permaneant, & operatione firmentur. Per &c.

Ad complendum.

Fac nos, Domine, quæsumus, accepto pignore salutis æternæ sic tendere congruenter, ut ad eam pervenire possimus. Per &c.

Super Populum.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis & corporis, ut bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereamur protectione defendi. Per Dominum &c.

SAB-

a *Antiphona*: Ne derelinquas me, Domine.
Responsorium: Salvum fac Populum tuum.
Offertorium: Ad te, Domine, levavi.
Communio: Justus Dominus.

b *Antiphona*: Deus, in adjutorium meum.
Responsorium: Propitius esto, Domine.
Offertorium: Precatus est Moyses.
Communio: Qui manducat.

c quæ & sacræ nos debitos faciat servituti, & tuam nobis opem.

d *Antiphona*: Ego autem cum justitia.
Responsorium: Ad Dominum, dum tribularer.
Offertorium: Domine, in auxilium meum.
Communio, Tu, Domine, servabis nos.

SABBATO.

AD SANCTOS MARCELINUM ET PETRUM.

(*a*) DA, quæſumus, Domine, noſtris effectum jejuniis ſalutarem, ut caſtigatio carnis aſſumta ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum. Per Dominum noſtrum &c.

Super obltata.

His ſacrificiis, Domine, concede placatus, ut qui propriis oramus abſolvi delictis, non gravemur externis. Per Dominum &c.

Ad Compl[e]ndum.

Sacramenti tui, Domine, divina libatio penetralia noſtri cordis infundat, & ſui participes potenter efficiat. Per &c.

Super Populum.

Familiam tuam, quæſumus, Domine, continua pietate cuſtodi, ut quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur, (*b*) cœleſti etiam protectione muniatur. Per &c.

DIE DOMINICA.

AD S. LAURENTIUM foris Murum.

(*c*) QUæſumus, omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram, dexteram tuæ Majeſtatis extende. Per &c.

Super oblata.

Hæc hoſtia, Domine, quæſumus, mundet noſtra delicta (*d*), & Sacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet. Per &c.

Ad complendum.

Cunctis nos, Domine, reatibus & periculis propitiatus abſolve, (*e*) quos tanti myſterii tribuis eſſe participes. Per Dominum &c. (*f*)

FERIA SECUNDA.

AD SANCTM MARCUM.

(*g*) COrdibus noſtris, quæſumus, Domine, benignus infunde, ut ſicut ab eſcis corporalibus abſtinemus, ita ſenſus quoque noſtros a noxiis retrahamus exceſſibus. Per &c.

Super oblata.

Munus, quod tibi, Domine, noſtræ ſervitutis offerimus, tu ſalutare nobis perfice ſacramentum. Per &c.

Ad complendum.

Præſta, quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum &c.

Super Populum.

Subveniat nobis, Domine, miſericordia tua, ut ab imminentibus pec-

a *Antiphona*: Lex Domini inreprehenſibilis.
Reſponſorium: Bonum eſt confiteri.
Offertorium: Illumina.
Communio: Oportet te, fili, gaudere.

b innititur, tua ſemper protectione muniatur. Per &c.

c *Antiphona*: Oculi mei ſemper ad Dominum.
Reſponſorium: Exſurge, Domine. Non prævaleant.
Tractus: Ad te levavi oculos.
Offertorium: Juſtitiæ Domini.
Communio: Paſſer invenit ſibi domum.

d & ad ſacrificium.

e quos tantis myſteriis tribuis.

(32) *f* *In Codice Othoboniano ſequitur hæc Oratio:* (32)

Super Populum.

Subjectum tibi Populum, quæſumus, Domine, propitiatio cœleſtis amplificet, & tuis ſemper faciat ſervire mandatis. Per &c.

g *Antiphona*: In Deo laudabo verbum.
Reſponſorium: Deus, vita mea nuntiabit tibi.
Offertorium: Exaudi, Deus, orationem meam.
Communio: Quis dabit ex Sion?

peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente salvari. Per Dominum &c.

FERIA TERTIA.

(*a*) AD S. PUDENTIANAM.

(*b*) EXaudi nos, omnipotens & misericors Deus, & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per Dom. &c.

Super oblata.

Per hæc veniat, quæsumus, Domine, sacramenta nostræ redemtionis effectus, qui nos & ab humanis retrahat semper excessibus, & ad salutaria cuncta perducat. Per &c.

Ad complendum.

Sacris, Domine, mysteriis expiati & veniam consequamur & gratiam. Per Dominum &c.

Super Populum.

Tua nos, Domine, protectione defende, & ab omni semper iniquitate custodi. Per &c.

FERIA QUARTA.

AD S. SIXTUM.

(*c*) PRæsta nobis, quæsumus, Domine, ut salutaribus jejuniis eruditi, a noxiis quoque vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per Dom. &c.

Super oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum, & tua mysteria celebrantes, ab omnibus nos defende periculis. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sanctificet nos, Domine, qua pasti sumus, mensa cœlestis, & a cunctis erroribus expiatos, supernis promissionibus reddat acceptos. Per Dominum &c.

Super Populum.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus secura tibi mente serviamus. Per Dominum &c.

FERIA QUINTA.

AD S. COSMAM ET DAMIAN.

(*d*) MAgnificet te, Domine, Sanctorum tuorum Cosmæ & Damiani beata solemnitas; quia & illis gloriam sempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contulisti. Per Dominum &c.

Super oblata.

In tuorum, Domine, pretiosa morte justorum sacrificium illud offerimus, de quo Martyrium sumsit omne principium. Per &c.

Ad complendum.

Sit nobis, Domine, Sacramenti tui certa salvatio, quæ cum beatorum tuorum Cosmæ & Damiani meritis imploratur. Per Dominum &c.

Super Populum.

Subjectum tibi populum, quæsumus, Domine, propitiatio cœlestis amplificet, & tuis semper faciat servire mandatis. Per Dominum &c.

FE-

a Ad Sanctam Potentianam.
b *Antiphona*: Ego clamavi, quoniam exaudisti.
Responsorium: Ab occultis meis.
Offertorium: Dextera Domini.
Communio: Domine, quis habitabit?
c *Antiphona*: Ego autem in Domino speravi.
Responsorium: Misere mihi, Domine.
Offertorium: Domine, fac mecum misericordiam.
Communio: Notas mihi fecisti.
d *Antiphona*: Salus Populi ego sum.
Responsorium: Oculi omnium.
Offertorium: Si ambulavero.
Communio: Tu mandasti.

FERIA SEXTA.

(33) AD S. LAUR. IN LUCINÆ. (53)

(*a*) JEjunia noſtra, quæſumus, Domine, benigno ſavore proſequere, ut ſicut ab alimentis in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per Dominum &c.

Super oblata.

Reſpice, Domine, propitius ad munera, quæ ſacramus, ut & tibi grata ſint, & nobis ſalutaria ſemper exſiſtant. Per &c.

Ad complendum.

Hujus nos, Domine, perceptio Sacramenti mundet a crimine, & ad cœleſtia regna perducat. Per Dominum &c.

Super Populum.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adverſantia, te adjuvante, vincamus. Per &c.

SABBATO.

AD S. SUSANNAM.

(*b*) PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui ſe affligendo carne ab alimentis abſtinent, ſectando juſtitiam a culpa jejunent. Per &c.

Super oblata.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut hujus ſacrificii munus oblatum fragilitatem noſtram ab omni malo purget ſemper & muniat. Per &c.

Ad complendum.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut inter ejus membra numeremur, cujus corpori communicamus & ſanguini. Per eumdem &c.

Super Populum.

Prætende, Domine, fidelibus tuis dexteram cœleſtis auxilii, ut & te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, conſequi mereantur. Per Dominum noſtrum Jeſum &c.

DIE DOMINICO

AD HIERUSALEM.

(*c*) COncede, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus. Per &c.

Super oblata.

Sacrificiis præſentibus, Domine, quæſumus, intende placatus, ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Da nobis, miſericors Deus, ut ſancta tua, quibus inceſſanter explemur, ſinceris tractemus obſequiis, & ſemper fideli mente ſumamus. Per &c.

Alia Oratio ad Miſſam.

Deus, qui in deſerti regione multitudinem populi tua virtute ſatiaſti, in hujus quoque ſeculi tranſeuntis excurſu victum nobis ſpiritalem, ne deficiamus, impende. Per Dominum &c.

FE-

a *Antiphona*; Fac mecum, Domine, ſignum.
Reſponſorium: In Deo ſperavit.
Offertorium: Intende voci orationis.
Communio: Qui biberit aquam.

b *Antiphona*. Verba mea.
Reſponſorium: Si ambulem in medio.
Offertorium: Greſſus meos.
Communio: Nemo te condemnavit.

c *Antiphona*: Lætare, Hieruſalem.
Reſponſorium: Lætatus ſum.
Tractus: Qui confidunt.
Offertorium: Laudate Dominum.
Communio: Hieruſalem, quæ ædificatur.

FERIA SECUNDA.

AD S. IV. CORONATOS.

(*a*) PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut obſervationes ſacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblatum tibi, Domine, ſacrificium vivificet nos ſemper & muniat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sumtis, Domine, ſalutaribus Sacramentis, ad redemtionis æternæ, quæſumus, proficiamus augmentum. Per Dominum &c.

Super Populum.

Deprecationem noſtram, quæſumus, Domine, benignus exaudi, & quibus ſupplicandi præſtas effectum, tribue defenſionis auxilium. Per Dominum &c.

FERIA TERTIA.

AD S. LAURENTIUM in Damaſum.

(*b*) SAcræ nobis, quæſumus, Domine, obſervationis jejunia & piæ converſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtent auxilium. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta, (*c*) & Sacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet. Per &c.

Ad complendum.

Hujus nos, Domine, perceptio Sacramenti mundet a crimine, & ad cœleſtia regna perducat. Per Dominum &c.

Super Populum.

Miſerere, Domine, populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem, propitius reſpirare concede. Per &c.

FERIA QUARTA.

AD S. PAULUM.

(*d*) DEus, qui & juſtis præmia meritorum, & peccatoribus per jejunium veniam præbes, miſerere ſupplicibus tuis, ut reatus noſtri confeſſio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per &c.

Alia.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva caſtigant, ipſa quoque devotio ſancta lætificet, ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœleſtia capiamus. Per &c.

Super oblata.

Supplices, Domine, te rogamus, ut his Sacrificiis peccata noſtra mundentur, quia tunc veram nobis tribuis & mentis & corporis ſanitatem. Per &c.

Ad complendum.

Sacramenta, quæ ſumſimus, Domine Deus noſter, & ſpiritualibus nos repleant alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per &c.

Super Populum.

Pateant aures miſericordiæ tuæ, Domine, precibus ſupplicantum, & ut petentibus deſiderata concedas, fac opem.

a *Antiphona*: Deus, in nomine tuo.
Reſponſorium: Eſto mihi in Deum protectorem.
Offertorium: Jubilate Deo, omnis terra.
Communio: Ab oculis meis.

b *Antiphona*: Exaudi, Deus, orationem meam.
Reſponſorium: Exſurge, Domine, fer opem.
Offertorium: Exſpectans exſpectavi.
Communio: Lætabitur.

c & ad ſacrificium

d *Antiphona*: Dum ſanctificatus fuero.
Reſponſorium: Venite, filii, audite.
Item Reſponſorium: Beata gens.
Offertorium: Benedicite, gentes.
Communio: Lutum fecit.

fac eos, quæ tibi sunt placita, postulare. Per &c.

FERIA QUINTA.

AD S. SILVESTRUM.

(*a*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quos votiva jejunia castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet, ut terrenis affectibus mitigatis; facilius cœlestia capiamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Purifica nos, misericors Deus, ut Ecclesiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, pia munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Cœlestia dona capientibus, quæsumus, Domine, non ad judicium pervenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providisti. Per &c.

Super Populum.

Populi tui, Deus, institutor & rector, peccata, quibus impugnatur, expelle, ut semper tibi placitus, & tuo munimine sit securus. Per Dominum nostrum &c.

FERIA SEXTA.

AD S. EUSEBIUM.

(*b*) DEus, qui ineffabilibus Mundum renovas sacramentis, præsta, quæsumus, ut Ecclesia tua æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxiliis. Per &c.

Super oblata.

Munera nos, Domine, quæsumus, oblata purificent, & te nobis jugiter faciant esse placatum. Per Dominum.

Ad complendum.

Hæc nos, quæsumus, Domine, participatio Sacramenti & propriis reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur adversis. Per &c.

Super Populum.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per &c.

SABBATO.

AD S. LAURENTIUM foris Murum.

(*c*) FIat, Domine, quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus, quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblationibus, quæsumus, Domine, placare susceptis, & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Tua nos, quæsumus, Domine, sancta purificent, & operationi suæ perficiant esse placitos. Per &c.

Super Populum.

Deus, qui sperantibus in te misereri potius eligis, quam irasci, da nobis digne flere mala, quæ fecimus, ut tuæ consolationis gratiam invenire valeamus. Per Dominum &c.

DIE

a *Antiphona*: Lætetur cor quærentium.
Responsorium: Respice, Domine, in testamentum.
Offertorium: Domine, ad adjuvandum.
Communio: Domine, memor bor.

b *Antiphona*: Mediatio cordis mei.
Responsorium: Bonum est, confidere in Domino.
Item Responsorium: Ad Dominum, dum tribularer.
Offertorium: Populum humilem.
Communio: Videns Dominus flentes.

c *Antiphona*: Sitientes, venite.
Responsorium: Tibi, Domine derelictus est.
Offertorium: Factus est Dominus.
Communio: Dominus regit me.

DIE DOMINICA DE PASSIONE.

AD S. PETRUM.

(*a*) QUæſumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius reſpice, ut te largiente regatur in corpore, & te ſervante cuſtodiatur in mente. Per Dominum.

Super oblata.

Hæc munera, Domine, quæſumus, & vincula noſtræ pravitatis abſolvant, & tuæ nobis miſericordiæ dona concilient. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Adeſto nobis, Domine Deus noſter, & quos tuis myſteriis recreaſti, perpetuis defende præſidiis. Per
(34) &c. (*b*) (34)

FERIA SECUNDA.

AD S. CHRISOGONUM.

(*c*) SAnctifica, quæſumus, Domine, noſtra jejunia, & cunctarum nobis propitius indulgentiam largire culparum. Per Dominum &c.

Super oblata.

Concede nobis, Domine Deus noſter, ut hæc hoſtia ſalutaris & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio majeſtatis. Per &c.

Ad complendum.

Sacramenti tui, quæſumus, Domine, participatio ſalutaris & purificationem nobis præbeat & medelam. Per Dominum &c.

Super Populum.

Da, quæſumus, Domine, Populo tuo ſalutem mentis & corporis, út bonis operibus inhærendo, tua ſemper mereatur protectione defendi. Per Dominum &c.

FERIA TERTIA.

AD S. CYRIACUM.

(*d*) NOſtra tibi, quæſumus, Domine, ſint accepta jejunia, quæ nos & expiando gratia tua dignos efficiant, & ad remedia perducant æterna. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hoſtias tibi, Domine, deférimus immolandas, (*e*) quæ temporalem conſolationem ſignificent, ut promiſſa certius non deſperemus æterna. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Da, quæſum, omnipotens Deus, ut quæ divina ſunt, jugiter exſequentes, donis mereamur cœleſtibus propinquare. Per Dominum &c.

Super Populum.

Da nobis, Domine, quæſumus, perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus noſtris & merito & numero populus tibi ſerviens augeatur. Per Dominum &c.

FE-

a *Antiphona*: Judica me, Deus.
Reſponſorium: Eripe me, Domine, de manu.
Tractus: Sæpe expugnaverunt.
Offertorium: Confitebor tibi, Domine.
Communio: Hoc corpus.

b *In textu Codicis Othoboniani habetur Oratio hæc*:

Super Populum.

Da nobis, quæſumus, Domine, perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus noſtris & merito & numero Populus tibi ſerviens augeatur. Per &c.

c *Antiphona*: Miſerere mihi, Domine, quoniam conculcaverunt.
Reſponſorium: Deus, exaudi orationem.
Offertorium: Domine, convertere.
Communio: Dominus virtutum.

d *Antiphona*: Exſpecta Dominum.
Reſponſorium: Diſcerne cauſam meam.
Offertorium: Sperent in te omnes.
Communio: Redime me, Deus Iſrael.

e quæ temporali, quæſums, conſolatione nos lætificent, ut promiſſa certius ſperemus æterna. Per &c.

FERIA QUARTA.

AD S. MARCELLINUM.

(*a*) SAnctificato hoc jejunio, Deus, tuorum corda fidelium miserator illustra, & quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum.

Super oblata.

Annue, misericors Deus, ut hostias placationis & laudis sincero tibi deferamus obsequio. Per &c.

Ad complendum.

Cœlestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis & sacramenti causa sit & salutis. Per Dominum &c.

Super Populum.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum &c.

FERIA QUINTA.

AD S. APOLINAREM.

(*b*) PRræsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniæ studio reformetur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Domine Deus noster, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis nostræ subsidium condidisti, (*c*) tuoque Nomini munera jussisti dicanda constitui: tribue, quæsumus, ut & vitæ nobis præsentis auxilium, & æternitatis efficiant sacramentum. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quod ore sumsimus, Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per &c.

Super Populum.

Esto, quæsumus, Domine, propitius plebi tuæ, ut quæ tibi non placent (*d*) respuentes, tuorum potius repleatur delectationibus mandatorum. Per Dominum &c.

FERIA SEXTA.

AD S. STEPHANUM.

(*e*) COrdibus nostris, Domine, benignus infunde, ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam suppliciis deputemur æternis. Per &c.

Super oblata.

Præsta nobis, misericors Deus, ut digne tuis servire semper Altaribus mereamur, & eorum perpetua participatione salvari. Per &c.

Ad complendum.

Sumti Sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia semper a nobis cuncta depellat. Per Dominum &c.

Super Populum.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gra-

a *Antiphona*: Liberator meus.
Responsorium: Exaltabo te, Domine.
Offertorium: Eripe me de inimicis.
Communio: Lavabo inter innocentes.

b *Antiphona*: Omnia, quæ fecisti nobis.
Responsorium: Tollite hostias.
Offertorium: Super flumina.
Communio: Memento verbi.

c tuo quoque Nomini

d *fortè scribendum*: respuens

e *Antiph.* Miserere mihi, Domine, quoniam tribulor.
Responsorium: Pacifice loquebantur mihi.
Offertorium: Benedictus es, Domine. Doce me justificationes.
Communio: Ne tradideris me, Domine.

gratitam quærimus, liberati a malis omnibus secura tibi mente serviamus. Per &c.

SABBATUM.

AD S. PETRUM.

(35) *Quando eleemosyna datur.* (35)

PRoficiat, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut sacris actionibus erudita, quanto majestati tuæ sit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per &c.

Super oblata.

Cunctis nos, Domine, quæsumus, reatibus & periculis propitiatus absolve, quos tanti mysterii tribuis esse consortes. Per &c.

Ad complendum.

Divini satiati muneris largitate, quæsumus, Domine Deus noster, ut hujus semper participatione vivamus. Per Dominum &c.

Super Populum.

Tueatur, quæsumus, Domine, dextera tua populum tuum deprecantem, & purificatum dignanter erudiat, ut consolatione præsenti ad futura bona proficiat. Per Dominum &c.

(a) DIE DOMINICA IN PALMAS.

AD S. JO: IN LATERANIS.

(b) OMnipotens, sempiterne Deus, qni humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere & Crucem subire fecisti: concede propitius, ut & patientiæ ipsius habere documenta, & Resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem &c.

Super oblata.

Concede, quæsumus, Domine, ut oculis tuæ majestatis munus oblatum & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis, acquirat. Per Dom. &c.

Ad complendum.

Per hujus, Domine, operationem mysterii, & vitia nostra purgentur, & justa desideria impleantur. Per &c. (c)

FERIA SECUNDA.

AD S. PRAXIDEM.

(d) DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in

(36) *a Codex Othobonianus habet:* (36.)

DIE DOMINICO IN PALMIS

AD SANCTUM JOHANNEM IN LATERANIS.

Benedictio in Palmis.

Deus, cujus Filius pro salute humani generis de Cælo descendit ad Terras, & appropinquante hora Passionis suæ, Hierosolymam in asino venire, & a turbis Rex appellari ac laudari voluit: benedicere dignare hos Palmarum, cæterarumve frondium ramos; ut omnes, qui eos laturi sunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatenus & in hoc seculo hostis antiqui tentamenta superare, & in futuro cum palma victoriæ & fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eumdem &c.

Oratio ad Missam.

Omnipotens &c. *ut supra.*

b In margine: Antiphona: Domine, ne elongaveris.
Responsorium: Tenuisti.
Tractus: Deus, Deus meus, respice.
Offertorium: Improperium exspectavi.
Communio: Pater, si non potest hic Calix.

c In eodem Codice additur hæc Oratio:

Super Populum.

Purifica, quæsumus, Domine, familiam tuam, & ab omnibus contagiis pravitatis emunda, ut redemta vasa sui Domini Passione non spiritus immundus rursus inficiat, sed salvatio sempiterna possideat. Per &c.

d Antiphona: Judica, Domine, nocentes.
Responsorium: Exsurge, Domine.
Offertorium: Eripe me de inimicis.
Communio: Erubescant & revereantur simul.

in tot adverſis ex noſtra infirmitate defecimus, intercedente Unigeniti Filii tui Paſſione reſpiremus. Per eumdem &c.

Super oblata.

Hæc ſacrificia nos, omnipotens Deus, potenti virtute mundatos ad ſuum faciant puriores venire principium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Præbeant nobis, Domine, divinum tuam ſancta fervorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu. Per Dominum &c.

Super Populum.

Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter, & ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per &c.

FERIA TERTIA.

AD SANCTAM PRISCAM.

(*a*) OMnipotens ſempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ Paſſionis ſacramenta peragere, ut indulgentiam percipere mereamur. Per &c.

Super oblata.

Sacrificia nos, quæſumus, Domine, propenſius iſta reſtaurent, quæ medicinalibus ſunt inſtituta jejuniis. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis ſempiterna proveniant. Per Dominum &c.

Super Populum.

Tua nos miſericordia, Deus, & ab omni ſubreptione vetuſtatis expurget, & capaces ſanctæ novitatis efficiat. Per Dominum &c.

FERIA QUARTA.

AD S. MARIAM MAJOREM.

(*b*) PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur, per Unigeniti tui Paſſionem liberemur. Qui tecum &c.

Alia.

Deus, qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum ſubire voluiſti, ut inimici a nobis expelleres poteſtatem, concede nobis famulis tuis, ut reſurrectionis gratiam conſequamur. Per eumdem &c.

Super oblata.

Purifica nos, miſericors Deus, ut Eccleſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Largire ſenſibus noſtris, omnipotens Deus, ut per temporalem Filii tui mortem, quam myſteria veneranda teſtantur, vitam nobis dediſſe perpetuam confidamus. Per &c.

Super Populum.

Reſpice, Domine, quæſumus, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum. Qui tecum vivit &c.

ORATIO IN COENA DOMINI AD MISSAM.

(*c*) DEus, a quo & Judas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ Latro præmium ſumſit:

T 2 con-

a *Antiphona*: Nobis autem gloriari.
Reſponſorium: Ego autem dum mihi.
Offertorium: Cuſtodi me, Domine.
Communio: Adverſum me.

b *Antiphona*: In nomine Domini.
Reſponſorium: Ne avertas faciem tuam.
Tractus: Domine, exaudi orationem.
Offertorium: Domine, exaudi orationem.
Communio: Potum meum fletu.

c *Antiphona*: Nobis autem gloriari.
Reſponſorium: Chriſtus factus eſt pro nobis.
Offertorium: Dextera Domini.
Communio: Dominus Jeſus poſtquam.

concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut ficut in Paffione fua Jesus Chriftus Dominus nofter diverfa utrifque intulit ftipendia meritorum, ita nobis ablato vetuftatis errore, Refurrectionis fuæ gratiam largiatur. Qui tecum vivit &c.

Super oblata.

Ipfe tibi, quæfumus, Domine fancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Sacrificium noftrum reddat acceptum, qui Difcipulis fuis in fui commemoratione hoc fieri hodierna traditione mónftravit Jefus Chriftus Dominus nofter. Qui tecum vivit &c.

(37) *Præfatio.* (37)

Communicantes, & diem facratiffimum celebrantes, quo Dominus nofter Jefus Chriftus pro nobis (*a*) traditur. Sed & memoriam venerantes &c.

Hanc igitur oblationem fervitutis noftræ, fed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, ob diem, in qua Dominus nofter Jefus Chriftus tradidit difcipulis fuis corporis & fanguinis fui myfteria celebranda, quæfumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Qui pridie quam pro noftra omniumque falute pateretur, hoc eft hodie, accepit panem in fanctas ac venerabiles &c.

(38) (38) *In ipfo Die ita conficitur Chrifma in ultimo ad Miffam, antequam dicatur:*

Per quem hæc omnia, Domine, femper bona creas &c.

(39) (39) *Levantur de ampullis, quas offerunt Populi; & benedicit tam domnus Papa, quam omnes Prefbyteri.* (*b*).

Emitte, Domine, Spiritum fanctum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis; ut tua fancta benedictione fit (*c*) omni unguenti tangenti tutamentum mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnefque infirmitates, omnem ægritudinem corporis, unde unxifti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres, Chrifma tuum perfectum, Domine, a te benedictum, in nomine Domini noftri Jefu Chrifti. Per quem hæc omnia, Domine, femper bona creas.

(40) *Incipit Benedictio Chrifmatis principalis.* (40)

(*d*) Surfum corda.

Gratias agamus Domino Deo noftro.

Vere dignum & juftum eft, æquum & falutare, nos tibi femper & ubique gratias agere, Domine fancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui in principio inter cætera bonitatis & pietatis tuæ munera terram producere fructifera ligna juffifti, inter quæ hujus pinguiffimi liquoris miniftræ oleæ nafcerentur, quarum fructus facro Chrifmati defferviret. Nam & David prophetico fpiritu gratiæ tuæ facramenta prænofcens, vultus noftros in oleo exhilarandos effe cantavit. Et quum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effufo, fimilitudinem futuri muneris columba demonftrans, per Olivæ ramum pacem terris traditam nuntiavit. Quod in noviffimis temporibus manifeftis eft effectibus declaratum, quum Baptifmatis aquis omnium criminum commiffa delentibus, hæc Olei unctio vultus noftros jucundos efficit ac ferenos. Inde etiam Moyfi famulo tuo mandatum dedifti, ut Aaron fratrem fuum, prius aqua lotum, per infufionem hujus Unguenti conftitueret Sacerdotem. Acceffit ad hoc amplior honor, quum Filius tuus Jefus Chriftus Dominus no-

a *Cod. Othobon.* eft traditus.
b Benedictio Olei ad Infirmum.
c omni unguenti tutamentum.
d Dominus vobifcum.

noster lavari a Johanne undis Jordanicis exegisset, ut Spiritu Sancto in Columbæ similitudinem desuper misso, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisset, testimonio subsequentis vocis ostenderes. Et hoc illud esse manifestissime comprobares, quod eum Oleo lætitiæ præ consortibus suis unguendum, David Propheta cecinisset.

Te igitur deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, & Sancti Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante potentia Christi tui, a cujus sancto Nomine Chrisma nomen accepit; unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres: ut sit his, qui renati fuerint ex aqua & Spiritu Sancto Chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, & cœlestis gloriæ facias esse consortes. Per eumdem &c. (*a*)

(41) *Exorcismus Olei*. (41)

Deus, qui virtute Sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas, per unctionem istius creaturæ, purgationem mentis & corporis; ut si quæ illis adversantium Spirituum inhæsere reliquiæ, ad tactum sanctificati Olei hujus abscedant. Nullus spiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Sed venientibus ad Fidem servis tuis, & Sancti Spiritus operatione mundandis, sit Unctionis hujus præparatio (*b*) utilis ad salutem, quam etiam cælestis regenerationis nativitate in Sacramento sunt Baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum Jesum Christum (*c*), qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem.

Ad Complendum.

Refecti vitalibus alimentis, quæ sumus, Domine Deus noster, ut quod tempore nostræ mortalitatis exsequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per &c.

(42) ORATIONES, (42)

quæ dicendæ sunt Sexta Feria Majore.

IN HIERUSALEM.

OREmus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus & Dominus noster pacificare & custodire dignetur toto terrarum Orbe, subjiciens ei Principatus & Potestates, detque nobis quietam & tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem.

Oremus. (*d*)

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia toto Orbe diffusa, stabili Fide in confessione tui Nominis perseveret. Per eumdem &c.

Oremus & pro beatissimo Papa nostro (*Illo*) ut Deus & Dominus noster, qui elegit eum in Ordinem Episcopatus, salvum atque incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum Populum sanctum Dei.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cu-

a Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.
b præparatio vitalis ad salutem
c Christum Filium tuum,
d *Et dicit Diaconus*:
Flectamus genua.
Postquam oraverint, dicit:
Levate.
Postea dicit Sacerdos orationem:
Omnipotens &c.

cujus judicio universa fundantur; respice propitius ad preces nostras, & electum nobis Antistitem tua pietate conserva, ut Christiana plebs (*a*), quæ te gubernatur auctore, sub tanto Pontifice, credulitatis suæ meritis augeatur. Per Dominum &c.

(43) Oremus & pro omnibus (43) Episcopis Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, Confessoribus, Virginibus, Viduis, & pro omni Populo sancto Dei.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi Gradibus serviatur. Per &c.

Oremus & pro Christianissimo Imperatore nostro, ut Deus & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnia jura Regnorum, respice (*b*) ad Romanum benignus Imperium, ut gentes, quæ in sua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per Dominum &c.

Oremus & pro Catechumenis nostris, ut Deus & Dominus noster adaperiat aures præcordiorum ipsorum, januamque misericordiæ, ut per Lavacrum regenerationis accepta remissione omnium peccatorum & ipsi inveniantur in Christo Jesu Domino nostro.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam nova semper prole fœcundas, auge fidem & intellectum Catechumenis nostris, ut renati fonte Baptismatis, adoptionis tuæ filiis adgregentur. Per Dominum &c.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis Mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per Dominum &c.

Oremus & pro Hæreticis & Schismaticis, ut Deus ac Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, & ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam revocare dignetur.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas, diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate deposita errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Dominum &c.

Oremus & pro perfidis Judæis, ut Deus & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipsi agnoscant Christum Jesum Dominum nostrum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam Judaicam perfidiam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas pro illius Populi obcœcatione deferimus, ut agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur. Per eumdem &c.

Oremus & pro Paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, & relictis Idolis suis convertantur ad Deum vivum & verum, & unicum Filium ejus Je-

a quæ tali gubernatur auctore.

b ad Christianum benignus Imperium.

Jesum Christum (*a*) Deum & Dominum nostrum, cum quo vivit & regnat cum Spiritu Sancto Deus per omnia sæcula sæculorum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram, & libera eos ab Idolorum cultura, & aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem & gloria nominis tui. Per Dominum.

(44) *Benedictio Salis.* (44)

Benedic, omnipotens Deus, hanc creaturum Salis tua benedictione cœlesti in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Sancti Spiritus tui, ad effugandum inimicum. Quam sanctificando sanctifices, & benedicendo benedicas; fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus sumentium in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Oratio ad Catechumenum faciendum. (45)

(45) Omnipotens sempiterne Deus, respicere dignare super hunc famulum tuum, quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es. Cœcitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei januam misericordiæ tuæ: & signo sapientiæ tuæ (*b*) indutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, atque ad suavem odorem præceptorum tuorum, lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem signatus promissæ gratiæ tuæ.

ORATIO SUPER INFANTES

IN QUADRAGESIMA

(46) *ad quatuor Evangelia.* (46)

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus luminis & veritatis, super hos famulos & famulas tuas, ut digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eos & sanctifica: da eis scientiam veram, ut digni efficiantur accedere ad gratiam Baptismi tui. Teneant firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Apti sint ad percipiendam gratiam Baptismi tui. Per Dominum &c.

ORATIO IN SABBATO PASCHÆ.

(47) *Ad reddentes dicit Domnus Papa post pisteugis. Item ad catechizandos Infantes.* (47)

NEc te latet, Satanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, diem judicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque angelis tuis præparatus sempiternus erit interitus. Et ideo pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem Deo vivo, (*c*) da honorem Jesu Christo Filio ejus, da honorem Spiritui Sancto Paraclito. Et recede ab his famulis & famulabus Dei. Quos hodie Deus & Dominus noster ad suam gratiam & benedictionem vocare dignatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem.

Post hoc tangit singulis nares, & aures, & dicit eis:

Epheta.

Postea tangit de Oleo sancto scapulas & pectus, & dicit:

Abrenuntias Satanæ?

Respondet:

Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus?

Re-

a Christum Dominum nostrum, qui cum eo vivit & regnat cum Sancto Spiritu Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

b sapientiæ tuæ imbutus,

c Deo vivo & vero,

Respondet:

Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus?

Respondet:

Abrenuntio.

(48) ## (48) ORATIONES,

quæ dicuntur ad Lectiones in Ecclesia.

LECTIO LIBRI GENESIS.

In principio fecit Deus Cœlum & Terram &c.

Deus, qui mirabiliter creasti hominem & mirabilius redemisti, da nobis, quæsumus, contra oblectamenta peccati, mentis ratione persistere, ut mereamur ad gaudia æterna pervenire. Per &c.

LECTIO LIBRI EXODI.

Factum est autem in vigilia matutina &c.

Deus, cujus antiqua miracula in præsenti quoque seculo coruscare sentimus, præsta, quæsumus, ut sicut priorem populum ab Ægyptiis liberasti, hoc ad salutem gentium per aquas Baptismatis opereris. Per Dominum &c.

LECTIO ISAIÆ PROPHTEÆ.

Apprehendent (a) septem mulieres virum unum &c.

Deus, qui nos ad celebrandum Paschale Sacramentum utriusque Testamenti paginis instruis, da nobis intelligere (*b*) misericordiam tuam, ut ex perceptione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum. Per &c.

LECTIO ISAIÆ PROPHETÆ.

(c) Est hereditas credentibus in Domino &c.

Deus, qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas, concede propitius, ut quos aqua Baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per Dominum &c. (49) (49)

DE PSALMO QUADRAGESIMO PRIMO.

Sicut Cervus desiderat ad fontes &c. (50) (50)

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa Paschalia agimus, cœlestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus. Per Dominum nostrum &c.

ALIA ORATIO

IN EODEM PSALMO QUADRAGESIMO PRIMO.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem Populi renascentis, qui sicut cervus, aquarum tuarum expetit fontem; & concede propitius, ut Fidei ipsius sitis Baptismatis mysterio animam corpusque sanctificet. Per Dominum nostrum &c. (*d*)

Benedictio Fontis.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto Sacramentis, & ad creandos novos Populos, quos tibi fons Baptismatis parturiit, spiritum adoptionis emitte, ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu.

a Apprehenderunt septem
b misericordias tuas,
c Hæc hereditas servorum.
d *Hæc sequuntur in Codice Othoboniano*: *Antiphona*: Lava me, Domine, ab iniquitate mea. Et a peccato meo munda me.
Benedictio Fontis.
Dominus vobiscum.
Respondetur:
Et cum spiritu tuo.
Omnipotens &c.

fectu. Per Dominum &c. (*a*)

Deus, qui invisibili potentia Sacramentorum tuorum operaris effectum, & licet nos tantis mysteriis exsequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclina (*b*). Deus, cujus Spiritus super aquas inter ipsa Mundi primordia ferebatur, ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet. Deus, qui nocentis Mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa Diluvii effusione signasti, ut unius ejusdemque elementi mysterio & finis esset vitii, (*c*) & origo virtutis. Respice, Domine, in faciem Ecclesiæ tuæ, & multiplica in ea generationes tuas; qui gratiæ tuæ (*d*) effluentis impetu lætificas Civitatem tuam, fontemque Baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis, ut tuæ majestatis imperio sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto. (*e*) Qui hanc Aquam, regenerandis hominibus præparatam, arcana sui luminis admixtione fœcundet, ut sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies cœlestis emergat; & quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam pariat (*f*) gratia mater infantiam.

Procul ergo hinc jubente te, Domine, omnis Spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil heic loci habeat contariæ virtutis admixtio. Non insidiando circumvolet, non latendo subripiat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc (*g*) sancta & innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu, & totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons (*h*) vivus, Aqua regenerans, unda purificans; ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur. (*i*) Unde benedico ✠ te, creatura Aquæ, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ Sanctum, (*k*) qui te in principio separavit ab arida; cujus Spiritus super te ferebatur; qui te de Paradiso manare, & in quatuor fluminibus totam Terram rigare præcepit; qui te in deserto amaram suavitate indita fecit esse potabilem, & sitienti Populo de petra produxit. Benedico ✠ te per Jesum Christum Filium ejus, unicum Dominum nostrum; qui te in Cana Galilææ admirabili sua potentia convertit in vinum; qui pedibus super te ambulavit, & a Johanne in Jordane in te baptizatus est; qui te una cum Sanguine de latere suo produxit, & Discipulis suis jussit, ut credentes baptizarentur in te, dicens: *Ite: docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Heic muta vocem, quasi Lectionem legens.

Hæc nobis præcepta servantibus tu, Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira, tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis menti-

a *Idem Codex addit hæc alia:*
Sursum corda.
Respondetur:
Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro.
Dignum & justum est.
Vere dignum & justum est: *usque*: æterne.

b inclinas.

c esset vitiis, & origo

d tuæ affluentis

e *In margine:* Heic dividas Aquam in modum Crucis.

f pariat gratiam atque infantiam.

g Sit hæc ✠ sancta

h Sit fons ✠ vivus

i *In margine*: Heic signas.

k Sanctum, per Deum, qui te.

tibus efficaces. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus.

(a) *Heic suffla tribus vicibus in Aqua.* (51)

(51) Descendat in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus tui, (b) totamque hujus Aquæ substantiam regenerandi fœcundet effectu. Heic omnium peccatorum maculæ deleantur: heic Natura, ad imaginem tuam condita, & ad honorem sui reformata principii, cunctis vetustatis squalloribus emundetur. Ut omnis homo hoc Sacramentum regenerationis ingressus, in veræ innocentiæ novam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

(52) (52) *Baptizat, & linit eum Presbyter de Chrismate in cerebro; & dicit:*

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex Aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linit Chrismate salutis in vitam æternam. Amen.

(53) (53) *Oratio ad Infantes consignandos.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos & famulas tuas ex Aqua & Spiritu Sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de Cœlis: Spiritum Sapientiæ, & Intellectus: Spiritum Consilii, & Fortitudinis: Spiritum Scientiæ, & Pietatis: adimple eos Spiritu Timoris tui, & consigna eos signo Crucis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus.

ORATIO IN SABBATO SANCTO IN NOCTE

Ad Missam.

(c) DEus, qui hanc sacratissimam noctem gloria Dominicæ Resurrectionis illustras, conserva (d) in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, quem dedisti, ut corpore & mente renovati puram tibi exhibeant servitutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces Populi tui cum oblationibus hostiarum, ut Paschalibus initiata mysteriis, ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Præfatio.

Vere dignum (e) & justum est, æquum & salutare, te quidem omni tempore, sed in hac potissimum nocte gloriosius prædicare, quum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata Mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Et ideo cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militita cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Sed & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virgi-

a *Pro* heic suffla, *Codex Otholonianus habet*: Heic ponunt cereos.

b *Heic interserit idem Codex rubricam hanc*: Heic suffla tribus vicibus in Aqua.

c *In margine*: *Antiphona*: Letania.

Alleluja: Confitemini Domino.

Tractus: Laudate Dominum.

Offertorium: Angelus Domini.

d in novam familiæ tuæ progeniem.

e Vere dignum, æquum, & salutare.

ginis Mariæ, genitricis ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi, sed & beatorum Apostolorum &c.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Ad complendum.

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, ut quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per &c.

ORATIONES

IN DOMINICA SANCTA.

(54) AD MISSAM. (54.)

(*a*) DEus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti: vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem Dominum nostrum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces Populi tui cum oblationibus hostiarum, ut Paschalibus initiata mysteriis ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per Dominum &c.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, te quidem omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius prædicare, quum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata Mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Et ideo (*b*) cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes &c.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes Resurrectionis Domini Dei nostri Jesu Christi secundum carnem. Sed & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi, sed & beatorum Apostolorum &c.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Ad complendum.

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit &c.

AD SANCTUM JOHANNEM. (55) (55)

(*c*) *Ad Vesperos.*

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, innovatione tui Spiritus a morte animæ resurgamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Ad Fontes.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, ereptionis nostræ suscipere lætitiam mere-

V 2 rea-

a Antiphona: Resurrexi.
Responsorium: Hæc dies.
Alleluja: Pascha nostrum.
Offertorium: Terra tremuit.
Communio: Pascha nostrum.
b Pauca hac reticentur brevitatis causa in Codice Othoboniano.
c Ad Vesperum.

reamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

AD S. ANDREAM.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gratiam Dominicæ Resurrectionis agnovimus, ipsi per amorem Spiritus a morte animæ resurgamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

FERIA SECUNDA IN ALBAS.

AD S. PETRUM.

(a) DEus, qui solemnitate Paschali, Mundo remedia contulisti, Populum tuum, quæsumus, cœlesti dono prosequere, ut & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum &c.

Super oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, preces Populi tui cum oblationibus hostiarum, ut Paschalibus initiata mysteriis ad æternitatis nobis medelam, te operante proficiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

(b) *Præfatio.*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, te quidem omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius prædicare; quum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata Mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Et ideo &c.

(c) Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes Resurrectionis Domini Dei nostri Jesu Christi secundum carnem. Sed & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, genitricis ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi; sed & beatorum Apostolorum &c.

(d) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

(e) *Ad complendum.*

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, ut quos Sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per &c.

(f) *Ad Vesperos, ut supra.*

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, a cunctis malis imminentibus per hæc Paschalia festa liberemur. Per Dominum &c.

Ad Fontes.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut festa Paschalia, quæ venerando colimus, etiam vivendo teneamus. Per &c.

AD S. ANDREAM.

Deus, qui Populum tuum de hostis callidi servitute liberasti, preces ejus misericorditer respice, & adversantes ei tua virtute prosterne. Per Dominum &c.

FE-

a *Antiphona*: Introduxit vos Dominus.
Responsorium: Hæc dies.
Alleluja. Dominus regnavit; decorem.
Offertorium: Angelus Domini.
Communio: Surrexit Dominus.
b Præfatio, ut supra.

c Communicantes, ut supra.
d Hanc igitur oblationem, ut supra.
e Ad complendum, ut supra.
Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde &c.
f Ad Vesperas

FERIA TERTIA.

AD S. PAULUM.

(*a*) DEus, qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, ut sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, fidelium preces cum oblationibus hostiarum, ut per hæc piæ devotionis officia ad cœlestem gloriam transeamus. Per.

(*b*) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Ad Complendum.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Paschalis perceptio Sacramenti continua in nostris mentibus perseveret. Per &c.

(*c*) *Ad Vesperos.*

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Paschalis festivitatis solemnia colimus, in tua semper sanctificatione vivamus. Per &c.

Ad Fontes.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc Paschalia festa, quæ colimus, devoti in tua semper laude vivamus. Per &c.

AD S. ANDREAM.

Deus, qui conspicis, familiam tuam omni humana virtute destitui, Paschali interveniente festivitate, tui eam brachii protectione custodi. Per &c.

FERIA QUARTA.

AD S. LAURENTIUM foris Murum.

(*d*) DEus, qui nos Resurrectionis Dominicæ annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut per temporalia festa, quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificia, Domine, Paschalibus gaudiis immolamus, quibus Ecclesia mirabiliter & pascitur & nutritur. Per Dominum &c.

(*e*) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Ad complendum.

Ab omni nos, quæsumus, Domine, vetustate purgatos Sacramenmenti tui veneranda perceptio in novam transferat creaturam. Per Dominum &c.

(*f*) *Ad Vesperos.*

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus Paschalis festivitatis mirabile Sacramentum & temporalem nobis tranquillitatem tribuat, & vitam conferat sempiternam. Per Dominum &c.

Ad Fontes.

Deus, qui nos per Paschalia (*g*) læ-

a *Antiphona*: Aqua sapientiæ.
Responsorium: Hæc Dies.
Alleluja: Redemtionem.
Offertorium: Intonuit.
Communio: Si consurrexistis.
b Hanc igitur oblationem, ut supra.
c Ad Vesperas.
d *Antiphona*: Venite, benedicti.
Responsorium: Hæc dies.
Alleluja: Dominus regnavit; exsultet.
Offertorium: Portas Cœli.
Communio: Christus resurgens.
e Hanc igitur oblationem, *ut supra*.
f Ad Vesperas.
g Paschalia festa lætificas:

lætificas, concede propitius, ut ea, quæ devote agimus, te adjuvante fideliter teneamus. Per Dominum.

AD SANCTUM ANDREAM.

Tribue, quæsumus, omnipotens Deus, ut illuc tendat Christianæ devotionis affectus, quo tecum sit nostra substantia. Per Dominum nostrum &c.

FERIA QUINTA.

AD APOSTOLOS.

(*a*) DEus, qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti, da, ut renatis fonte Baptismatis una sit fides mentium, & pietas actionum. Per &c.

Super oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, munera Populorum tuorum propitius, ut confessione tui nominis & Baptismate renovati sempiternam beatitudinem consequantur. Per &c.

(*b*) *Præfatio.*

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, te quidem omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius prædicare, quum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata Mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Et ideo cum Angelis &c.

(*c*) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Ad complendum.

Exaudi, Domine, preces nostras, ut redemtionis nostræ sacrosancta commercia & vitæ nobis conferant præsentis auxilium, & gaudia sempiterna concilient. Per &c.

(*d*) *Ad Vesperos.*

Deus, qui nobis ad celebrandum Paschale sacramentum liberiores animos præstitisti, doce nos & metuere, quod irasceris, & amare quod præcipis. Per &c.

Ad Fontes.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua suorum firmitate membrorum & nova semper fœcunditate lætetur. Per Dominum.

AD S. ANDREAM.

Multiplica, quæsumus, Domine, Fidem Populi tui, ut cujus per te sumsit initium, per te consequatur augmentum. Per Dominum &c.

FERIA SEXTA.

AD SANCTAM MARIAM AD MARTYRES.

(*e*) OMnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contulisti: da mentibus nostris, ut quod professione celebramus, imitemur (*f*) affectu. Per.

Super oblata.

Hostias, quæsumus, Domine, placatus assume, quas & pro renatorum expiatione peccati deferimus, &c.

a Antiphona: Victricem manum.
Responsorium: Hæc Dies.
Alleluja: Lauda Hierusalem.
Offertorium: In die solemni.
Communio: Populus acquisitionis.
b Præfatio, *ut supra.*
c Hanc igitur oblationem, *ut supra.*
d Ad Vesperas.

e Antiphona: Eduxit eos Dominus in spe.
Responsorium: Hæc Dies.
Alleluja; Quoniam Deus magnus Dominus.
Offertorium: Erit vobis hic Dies.
Communio: Data est mihi omnis.
f imitemur effectu. Per &c.

& pro acceleratione cœlestis auxilii. Per Dominum &c.

(*a*) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Ad complendum.

Respice, quæsumus, Domine, Populum tuum, & quem æternis dignatus es renovare mysteriis, a temporalibus culpis dignanter absolve. Per &c.

(*b*) *Ad Vesperos.*

AD HIERUSALEM.

Deus, per quem nobis & redemtio venit, & præstatur adoptio, respice in opera misericordiæ tuæ, ut in Christo renatis æterna tribuatur hereditas, & vera libertas. Per eumdem &c.

Ad Fontes.

Adesto, quæsumus, Domine, familiæ tuæ, & dignanter impende, ut quibus Fidei gratiam contulisti, & coronam largiaris æternam. Per Dominum &c.

SABBATO.

AD S. JOHANNEM.

(*c*) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa Paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per &c.

Super oblata.

Concede, quæsumus, Domine, semper nos per hæc mysteria Paschalia gratulari, ut continua nostræ reparationis operatio perpetuæ nobis fiat causa lætitiæ. Per &c.

(*d*) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine ut placatus accipias &c.

Ad complendum.

Redemtionis nostræ munere vegetati, quæsumus, Domine, ut hoc perpetuæ salutis auxilium Fides semper vera perficiat. Per Dominum.

(*e*) *Ad Vesperos.*

AD SANCTAM MARIAM.

Deus, totius conditor creaturæ, famulos tuos, quos fonte renovasti Baptismatis, quosque gratiæ tuæ plenitudine solidasti, in adoptionis sorte facias dignanter adscribi. Per &c.

Ad Fontes.

Deus, qui multiplicas Ecclesiam tuam in sobole renascentium, fac eam gaudere propitius de suorum profectibus filiorum. Per &c.

(56) DIE DOMINICO POST ALBAS. (56)

(*f*) Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Paschalia festa peregimus, hæc, te largiente, moribus & vita teneamus. Per &c.

Su-

a Hanc igitur oblationem.
b Ad Vesperas. *Reticetur*: Ad Hierusalem.
c *Antiphona*: Eduxit Dominus Populum.
Responsorium: Hæc Dies.
Alleluja; Laudate, pueri.
Offertorium: Benedictus, qui venit.
Communio: Omnes, qui in Christo.
d Hanc igitur oblationem.
e Ad Sanctam Mariam. Ad Vesperas.
f *Antiphona*: Quasi modo.
Alleluja duo, quales volueris.
Offertorium: Angelus Domini.
Communio: Mitte manum tuam.

Super oblata.

Suscipe munera, quæsumus, Domine, exsultantis Ecclesiæ, & cui causam tanti gaudii præstitisti, perpetuum fructum concede lætitiæ. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per Dominum &c.

(*a*) *Ad Vesperos.*

AD SANCTOS COSMAM ET DAMIANUM.

Largire, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deserviant. Per &c.

Alia Oratio.

Deus, qui nos exsultantibus animis Pascha tuum celebrare tribuisti, fac nos, quæsumus, & temporalibus gaudere subsidiis, & æternitatis effectibus gratulari. Per Dominum &c.

(57) *Aliæ Orationes Paschales.* (57)

Deus, qui omnes in Christo renatos genus regium & Sacerdotale fecisti, da nobis & velle & posse quæ præcipis, ut Populo ad æternitatem vocato, una sit fides cordium & pietas actionum. Per eumdem &c.

Alia.

Deus, qui credentes in te, fonte Baptismatis innovasti, hanc renatis in Christo concede custodiam, ut nullo erroris incursu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per eumdem.

Alia.

Deus, qui pro salute Mundi sacrificium Paschale fecisti, propitiare supplicationibus nostris, ut interpellans pro nobis Pontifex summus, nos per id, quod nostri est similis reconciliet, per id quod tibi est æqualis, absolvat, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit &c.

Alia.

Deus, qui ad æternam vitam in Christi Resurrectione nos reparas, erige nos ad consedentem in dextera tua nostræ salutis Auctorem, ut qui propter nos judicandus advenit, pro nobis judicaturus adveniat, Jesus Christus Filius tuus, Dominus noster, qui tecum &c.

Alia.

Deus, & reparator innocentiæ & amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut de infidelitatis tenebris liberati, numquam a tuæ virtutis luce discedant. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui credentes in te Populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, ut qui Sacramento Baptismatis sunt renati, Regni cœlestis mereantur introitum. Per Dominum.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanam naturam supra primæ originis reparas dignitatem, respice pietatis tuæ ineffabile Sacramentum; & quos regenerationis mysterio innovare dignatus es, in his dona tua perpetua gratiæ protectione conserva. Per Dominum &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, deduc nos ad societatem cœlestium gaudiorum, ut Spiritu Sancto renatos Regnum tuum facias introire; atque eo perveniat humilitas gregis, quo præcessit celsitudo Pastoris. Qui tecum &c.

Alia.

Præsta nobis, omnipotens & misericors Deus, ut in Resurrectione

a Ad Vesperas.

ne Domini nostri Jesu Christi percipiamus veraciter portionem. Per eumdem &c.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut veterem cum suis rationibus hominem deponentes, illius conversatione vivamus, ad cujus nos substantiam Paschalibus remediis transtulisti. Per eumdem &c.

Alia.

Depelle (*a*), quæsumus, Domine, conscriptum peccati lege chirographum, quod in nobis Paschali mysterio per Resurrectionem Filii tui vacuasti. Qui tecum &c.

Alia.

Deus, qui ad æternam vitam in Christi Resurrectione nos reparas, imple pietatis tuæ ineffabile Sacramentum; ut quum in majestate sua salvator noster advenerit, quos fecisti Baptismo regenerari, facias beata immortalitate vestiri. Per eumdem &c.

Alia.

Deus, humani generis conditor & redemtor, da, quæsumus, ut reparationis nostræ collata subsidia, te jugiter inspirante, sectemur. Per Dominum &c.

Alia.

Gaudeat, Domine, plebs fidelis, & quum propriæ recolit salvationis exordia, ejus promoveatur augmentis. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui renatis Aqua & Spiritu Sancto cœlestis Regni pandis introitum, auge super famulos tuos gratiam, quam dedisti; ut qui ab omnibus sunt purgati peccatis, a nullis priventur promissis. Per Dominum &c.

Alia.

Fac, omnipotens Deus, ut qui Paschalibus remediis innovati, similitudinem terreni parentis evasimus, ad formam cœlestis transferamur Auctoris. Qui tecum &c.

Alia.

Deus, qui nos fecisti hodierna die Paschalia festa celebrare, fac nos, quæsumus, in cœlesti Regno gaudere. Per Dominum &c.

Alia.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, ut Paschali interveniente solemnitate, ab omni pravitate defensa, donis cœlestibus prosequatur. Per Dominum &c.

Ad complendum diebus festis.

Præsta, quæsum, Domine Deus noster, ut quæ solemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per Dominum &c.

(*b*) *Alia.*

Cœlesti lumine, quæsumus, Domine, semper & ubique nos præveni, ut mysterium, cujus nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus affectu. Per &c.

XVIII. KALENDAS MAJI, idest XIV. Die Mensis Aprilis.

NATALE SANCTORUM TIBURTII ET VALERIANI.

(*c*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum Tiburtii, Valeriani, & Maximi solemnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostia hæc, quæsumus, Domine, quam in Sanctorum tuorum natalitiis recensentes offerimus, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ

a Depelle, Domine, conscriptum
b Super oblata.
c *Antiphona*: Sancti tui, Domine.

Offertorium: Lætamini in Domino.
Communio: Gaudete, justi.

tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per &c.

Ad complendum.

Sacro munere satiati supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per &c.

IX. KALENDAS MAJI, idest XXIII. Die Mensis Aprilis.

NATALE S. GEORGII. (*a*)

(*b*) DEus, qui nos beati Georgii martyris tui meritis & intercessione lætificas, concede propitius, ut qui ejus beneficia poscimus, dona tuæ gratiæ consequamur. Per &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente beato Georgio martyre tuo, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, intercedente beato Georgio martyre tuo, tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deservire. Per &c.

VII. KALENDAS MAJI, idest XXV. Die Mensis Aprilis.

(58) LETANIA (58) MAJORE AD S. LAURENTIUM IN LUCINÆ.

MEntem familiæ tuæ, quæsumus, Domine, intercedente beato Laurentio Martyre tuo, & munere compunctionis operi, & largitate pietatis exaudi. Per &c.

AD S. VALENTINUM.

Deus, qui culpas delinquentium districte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recusas; ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per &c.

AD PONTEM (*sic*) MOLBI. (59) (59)

Parce, Domine, quæsumus, parce populo tuo, & nullis jam patiaris adversitatibus fatigari, quos pretioso Filii tui sanguine redemisti. Qui tecum &c.

AD CRUCEM.

Deus, qui culpas nostras piis verberibus percutis, ut a nostris iniquitatibus emundes: da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius consolatione gaudere. Per &c.

IN ATRIO.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & sperantes in tua misericordia, intercedente beato Petro Apostolo tuo, cœlesti protege benignus auxilio. Per Dominum &c.

ALIA ORATIO IN ATRIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro Apostolo tuo, tuæ pietatis indulgentiam consequamur. Per Dom. &c.

AD MISSAM.

(*c*) Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, con-

a Georgii, & Sancti Reguli Episcopi.
b *Antiphona*: Protexisti me, Deus.
Offertorium: Confitebuntur.
Communio: Lætabitur justus.

c *Antiphona*: Exaudivit.
Alleluja: Confitemini Domino.
Offertorium: Confitebor Domino.
Communio: Petite & accipietis.

contra adversa omnia tua semper protectione muniamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc munera, quæsumus, Domine, & vincula nostræ pravitatis absolvant, & tuæ nobis misericordiæ dona concilient. Per &c.

Ad complendum.

Vota nostra, quæsumus, Domine, pio favore prosequere, ut dum tua dona in tribulatione percepimus, de consolatione nostra in tuo amore crescamus. Per Dominum.

(a) *Ad complendum.*

Prætende nobis, Domine, misericordiam tuam, ut quæ votis expetimus, conversatione tibi placita consequamur. Per Dominum &c.

(60) (60) (b) IV. KALENDAS MAJI, idest XXVII. Die Mensis Aprilis.

NATALE S. VITALIS.

(c) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente beato Vitale martyre tuo, & a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum &c.

Super oblata.

Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, & ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per &c.

Ad complendum.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster, ut cujus exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per &c.

MENSE MAJI.
Kalendis Maji.

NATALE APOSTOLORUM PHILIPI ET JACOBI.

(d) DEus, qui nos annua Apostolorum tuorum Philippi & Jacobi solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per &c.

Super oblata.

Munera, Domine, quæ pro Apostolorum tuorum Philippi & Jacobi solemnitate deferimus, propitius suscipe, & mala omnia, quæ meremur, averte. Per &c.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per Dominum &c.

V. NONAS MAJI, idest III. Die Mensis Maji.

NATALE SANCTORUM ALEXANDRI, EVENTII, ET THEODOLI.

(e) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, & Theodoli natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Super has, quæsumus, hostias, Domine, benedictio copiosa descendat,

a Alia ad complendum.

b *Rectius in Othoboniano:* Tertio Kalendas Maji, idest Vigesima octava Die Mensis Aprilis. Natale Sancti Vitalis Martyris.

c *In margine*: *Antiphona*: Protexisti me, Deus.
Offertorium: Repleti sumus.
Communio: Ego sum vitis.

d *Antiphona*: Exclamaverunt.
Offertorium: Confitebuntur.
Communio: Tanto tempore.

e *Antiphona*: Clamaverunt justi.
Responsorium: Gloriosus Deus.
Offertorium: Repleti sumus.
Communio: Justorum animæ.

dat, quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de martyrum nos solemnitate lætificet. Per.

Ad complendum.

Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster, ut quorum exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per Dominum &c.

PRIDIE NONAS MAJI, idest VI. Die Mensis Maji.

NATALE SANCTI JOHANNIS ante Portam Latinam.

(*a*) DEus, qui conspicis, quia nos undique mala nostra perturbant, præsta, quæsumus, ut beati Johannis Apostoli tui intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum &c.

Super oblata.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per &c.

Ad complendum.

Refecti, Domine, pane cœlesti, ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam. Per Dominum &c.

VI. IDUS MAJI, idest X. Die Mensis Maji.

NATALE S. GORDIANI ET EPIMACHI.

(*b*) DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatorum martyrum Gordiani atque Epimachi solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, beatorum martyrum Gordiani atque Epimachi dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue (*c*) provenire subsidium. Per Dominum.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedentibus Sanctis tuis Gordiano atque Epimacho, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per.

IV. IDUS MAJI, idest XII. Die Mensis Maji.

NATALE S. PANCRATII.

(*d*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Pancratii martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessione liberemur. Per Dominum &c

Super oblata.

Munera, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica, & intercedente beato Pancratio martyre tuo, per eadem nobis placatus intende. Per.

Ad complendum.

Beati Pancratii martyris tui, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per Dominum.

(61) *a* (61) *Heic desunt in margine Codicis Othoboniani, Antiphona, Responsorium* &c.
b *Antiphona*: Sancti tui, Domine.
Responsorium: Justorum animæ.
Alleluja: Exsultabunt Sancti,
Offertorium: Mirabilis Deus.
Communio: Justorum animæ.

c tribue pervenire subsidium.
d *Antiphona*: Ecce oculi Domini.
Responsorium: Clamaverunt justi.
Alleluja: Sancti tui, Domine.
Offertorium: Confitebuntur.
Communio: Gaudete justi.

III. IDUS MAJI,
idest XIII. Die Mensis Maij.

(62) (62) NATALE S. MARIÆ AD MARTYRES. (*a*)

(*b*) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ad eorum nos gaudia æterna pertingere, de quorum nos virtute tribuis annua solemnitate gaudere. Per &c.

Super oblata.

Super has, quæsumus, hostias, Domine, benedictio copiosa descendat, quæ & sanctificationem nobis clementer operetur, & de Martyrum nos solemnitate lætificet. Per &c.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas. Per &c.

(63) (63) (*c*) IN ASCENSA DOMINI

(*d*) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemtorem nostrum ad Cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eumdem &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, munera, quæ pro Filii tui gloriosa Ascensione deferimus, & concede propitius, ut a præsentibus periculis liberemur, & ad vitam perveniamus æternam. Per &c.

Præfatio.

(*e*) Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus per Christum Dominum nostrum; qui post Resurrectionem suam omnibus Discipulis suis manifestus apparuit, & ipsis cernentibus est elevatus in Cœlum, ut nos Divinitatis suæ tribueret esse participes. Et ideo (*f*) cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes &c.

In fractione. (64) (64)

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Unigenitus Filius tuus unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ tuæ dextera collocavit. Sed & memoriam venerantes &c.

Ad complendum.

Præsta nobis, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu. Per &c.

Aliæ Orationes.

Adesto supplicationibus nostris, ut sicut humani generis Salvatorem consedere tecum in tua majestate confidimus, ita usque ad consummationem seculi manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus. Qui tecum vivit &c.

Alia

a *Ad Martyres* additum recentiori manu legitur: *Et Sancti Servasii.*

b *In margine*: *Antiphona*: Terribilis est Locus iste.
Responsorium: Locus iste a Deo.
Alleluja: Adorabo.
Offertorium: Domine Deus, in simplicitate.
Communio: Domus mea.

c *Vocibus* In Ascensa Domini *præmissum recentiori charactere visitur* In Vigilia.

d *In margine*: *Antiphona*: Viri Galilæi.
Alleluja: Ascendit Deus.
Item Alleluja: Dominus in Sina.
Offertorium: Ascendit Deus.
Communio: Psallite Domino.

e *Codex Othobonianus*: Vere dignum, æquum & salutare: *usque* per Christum Dominum nostrum.

f *Reliqua omittuntur brevitatis gratia in eodem Codice.*

Alia.

Deus, cujus Filius in alta Cœlorum potenter aſcendens, captivitatem noſtram ſua duxit virtute captivam, tribue, quæſumus, ut dona, quæ ſuis participibus contulit, largiatur & nobis Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui tecum vivit &c.

VIII. KALENDAS JUNII, ideſt XXV. Die Menſis Maji.

NATALE S. URBANI PAPÆ.

(*a*) DA, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui beati Urbani Martyris tui atque Pontificis ſolemnia colimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta, & ad ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet. Per &c.

Ad complendum.

Refecti participatione muneris ſacri, quæſumus, Domine Deus noſter, ut cujus exſequimur cultum, ſentiamus effectum. Per &c.

INCIPIUNT ORATIONES DE PENTECOSTE.

DIE SABBATI.

Ante deſcenſum Fontis.

LECTIO LIBRI GENESIS.
Tentavit Deus Abraham &c.

DEus, qui in Abrahæ famuli tui opere, humano generi obedientiæ exempla præbuiſti: concede nobis, & noſtræ voluntatis pravitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per Dominum &c.

LECTIO LIBRI DEUTERONOM.
(*b*) *Et ſcripſit Moyſes Canticum hoc* &c.

Deus, qui nobis per Prophetarum ora præcepiſti temporalia relinquere, atque ad æterna feſtinare: da famulis tuis, ut quæ a te juſſa cognovimus, implere cœleſti inſpiratione valeamus. Per Dominum &c.

LECTIO ISAJÆ PROPHETÆ.
(*c*) *Apprehendent ſeptem Mulieres virum unum* &c.

Deus, qui ad celebrandam feſtivitatem utriuſque Teſtamenti paginis inſtruis, da nobis intelligere miſericordiam tuam, ut ex perceptione præſentium munerum firma ſit exſpectatio futurorum. Per Dominum.

LECTIO HIEREMIÆ PROPHETÆ.

Audi, Iſrael, mandata vitæ &c.

Deus, incommutabilis virtus, & lumen æternum, reſpice propitius ad totius Eccleſiæ mirabile Sacramentum, & da famulis tuis, ut hoc, quod devote agimus, etiam rectitudine vitæ teneamus. Per &c.

ORATIO DE PSALMO QUADRAGESIMO PRIMO.
Sicut cervus deſiderat ad fontem aquarum &c.

Concede, quæſumus, omnipotens

a In margine: Antiph. Sacerdotes tui, Domine.
Reſponſorium: Inveni David.
Alleluja: Memento, Domine, David.
Offertorium: Veritas mea.
Communio: Fidelis ſervus.
b In textu: Lectio Deuteronomii.
Scripſit Moyſes Canticum, & docuit filios Iſrael.
Canticum.
Attende, Cœlum.
c Lectio Iſaiæ Prophetæ.
Apprehendent ſeptem.
Canticum.
Vinea.

tens Deus, ut qui solemnitatem dono (a) Spiritus Sancti colimus, cœlestibus desideriis accensi fontem vitæ sitiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus Sancti per omnia &c. (b)

Aliæ Orationes.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri, præsta, ut gentium facta dispersio divisione Linguarum ad unam confessionem tui nominis cœlesti munere congregetur. Per Dominum.

Alia.

Deus, qui sacramento festivitatis hodiernæ universam Ecclesiam tuam in omni gente & natione sanctificas, in totam Mundi latitudinem Spiritus tui dona diffunde. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus Sancti. Per omnia sæcula &c.

Alia.

Annue, misericors Deus, ut qui divina præcepta violando a Paradisi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus accessum per tuorum custodiam mandatorum. Per Dominum &c.

Alia.

Da nobis, quæsumus, Domine, per gratiam Spiritus Sancti novam tui Paracliti spiritalis observantiæ disciplinam, ut mentes nostras (c) sacro purificante jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per Dominum &c. in unitate ejusdem &c.

ORATIONES AD MISSAM

IN SABBATO PENTECOSTEN (d)

post ascensum Fontis.

(e) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut claritatis tuæ super nos splendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati sunt, Sancti Spiritus illustratione confirmet. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c. in unitate ejusdem &c.

Super oblata.

Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, & corda nostra Sancti Spiritus illustratione emunda. Per Dominum nostrum &c. in unitate ejusdem &c.

Præfatio.

(f) Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes Cœlos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis, totus in Orbe terrarum Mundus exsultat; sed & supernæ Virtutes, atque Angelicæ potestates hymnum gloriæ tuæ concinunt, sine fine dicentes: *Sanctus* &c.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes (g), quo Spiritus Sanctus innumeris Linguis apparuit. Sed & memoriam &c.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam

a doni Spiritus Sancti

b *In margine*: Inde agatur sicut in Vigilia sanctum Paschæ.

c mentes nostræ sacro

d Pentecostes.

e *Antiphona*: Letania:
Alleluja: Confitemini Domino.
Tractus: Laudate Dominum.

Offertorium: Emitte Spiritum.
Communio: Ultimo festivitatis.

f Vere dignum, æquum, & salutare.

g prævenientes, quo Spiritus Sanctus Apostolos, plebemque credentium præsentia suæ majestatis implevit. Sed & memoriam &c.

quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine, ut placatus accipias &c.

Ad complendum.

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fœcundet. Per Dominum &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti, per omnia &c.

DIE DOMINICO.

AD SANCTUM PETRUM.

(*a*) DEus, qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum.

Super oblata.

Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, & corda nostra Sancti Spiritus illustratione emunda. Per Dominum &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti per omnia secula seculorum.

Præfatio.

(*b*) Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes Cœlos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis, totus in orbe Terrarum Mundus exsultat; sed & supernæ Virtutes atque Angelicæ potestates hymnum gloriæ tuæ concinunt, sine fine dicentes &c.

Communicantes, & diem sacratissimum Pentecosten celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apostolis innumeris Linguis apparuit. Sed & memoriam &c.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque quos regenerare dignatus es ex Aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum: quæsumus, Domine &c.

Ad complendum.

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, & sui roris intima aspersione fœcundet. Per Dominum &c. in unitate ejusdem &c.

FERIA SECUNDA.

AD VINCULA.

(*c*) DEus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, ut quibus dedisti Fidem, largiaris & pacem. Per Dominum nostrum &c. in unitate ejusdem &c.

Super oblata.

Propitius, Domine, quæsumus, hæc dona sanctifica, & hostiæ spiritalis oblatione suscepta, nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per. &c.

Ad

a *Antiphona*: Spiritus Domini replevit.
Alleluja: Emitte Spiritum tuum.
Item Alleluja: Spiritus Domini replevit.
Offertorium: Confirma hoc, Deus.
Communio: Factus est repente.

b Vere dignum, æquum, & salutare,
c *Antiphona*: Cibavit eos.
Alleluja duo, quales volueris.
Offertorium: Intonuit.
Communio: Spiritus Sanctus docebit vos.

Ad complendum.

Adesto, Domine, quæsumus, Populo tuo, & quem mysteriis cœlestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per Dominum &c.

FERIA TERTIA.

AD S. ANASTASIAM.

(*a*) ADsit nobis, Domine, quæsumus, virtus Spiritus Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum &c. in unitate ejusdem &c.

Super oblata.

Purificet nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio (*b*), & dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum &c.

Ad Complendum.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Spiritus Sanctus divinis reparet Sacramentis, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Per Dominum &c. in unitate &c.

FERIA QUARTA.

AD S. MARIAM MAJOREM.

(*c*) MEntes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit &c. ejusdem Spiritus Sancti &c. per &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut Spiritus Sanctus adveniens, templum nos gloriæ suæ dignanter habitando perficiat. Per Dominum &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti. Per &c.

Super oblata.

Accipe, quæsumus, Domine, munus oblatum, & dignanter operare; ut quod mysteriis agimus, piis affectibus celebremus. Per Dominum.

Ad complendum.

Sumentes, Domine, cœlestia Sacramenta, quæsumus clementiam tuam, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum &c. (*d*)

FERIA SEXTA.

AD APOSTOLOS.

(*e*) DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum &c. in unitate ejusdem.

Super oblata.

Sacrificia, Domine, tuis oblata conspectibus, ignis ille Divinus assumat, qui Discipulorum Christi tui per Spiritum Sanctum corda succendit. Per eumdem &c. in unitate ejusdem &c.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, sacri dona mysterii, humiliter deprecantes, ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Per Dominum.

SAB-

a Antiphona: Accipite jucunditatem. *Alleluja:* duo, quales volueris: *Offertorium:* Portas Cœli. *Communio:* Spiritus, qui a Patre.

b ut nos dignos

c Antiphona: Deus dum egrederetur. *Alleluja* duo. *Offertorium:* Meditabor. *Communio:* Pacem meam.

(65) *d* Orationes Liturgicæ Feriæ Quintæ in utroque Codice desiderantur. (65)

e Antiphona: Repleatur os meum. *Alleluja* duo. *Offertorium:* Lauda, anima. *Communio:* Spiritus, ubi vult.

SABBATO.

IN DUODECIM LECTIONES MENSE QUARTO.

(*a*) MEntibus nostris, (*b*) quæsumus, Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde, cujus & sapientia conditi sumus, & providentia gubernamur. Per Dominum &c. in unitate ejusdem &c.

Alia.

Illo nos igne, quæsumus, Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in Terram, & voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit &c.

Alia.

Deus, qui ad animarum medelam jejunii devotione castigari corpora præcepisti, concede nobis propitius, & mente & corpore semper tibi esse devotos. Per Dominum &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut salutaribus jejuniis eruditi, ab omnibus etiam vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per Dominum &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos ab epulis carnalibus abstinere, ut a vitiis ingruentibus pariter jejunemus. Per &c.

Alia.

Deus, qui tribus Pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per &c.

Super oblata.

Ut accepta tibi sint, Domine, nostra jejunia, præsta nobis, quæsumus, hujus munere Sacramenti purificatum tibi pectus offerre. Per.

Ad complendum.

Præbeant nobis, Domine, divinum tua sancta fervorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu. Per Dominum &c.

DIE DOMINICO VACAT.

DEprecationem nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi, & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, ut tui nobis Unigeniti Corpus & Sanguis fiant. Per eumdem. &c.

Ad complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cœlestis remedii facias esse consortes. Per Dominum &c.

MENSE JUNII.

Kalendis Junii.

(*c*) DEDICATIO NATALIS S. NICOMEDIS.

DEus, qui nos beati Nicomedis martyris tui meritis & intercessione lætificas, concede propitius, ut qui ejus beneficia poscimus, dona tuæ gratiæ consequamur. Per &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente beato Nicomede martyre tuo, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, intercedente beato Nico-

a *Antiphona*: Caritas Dei. *Responsoria* Quatuor, & Tractus unus. *Offertorium*: Domine, Deus salutis. *Communio*: Non vos relinquam.

b Mentibus nostris, Domine, Spiritum.

c *Codex Othobonianus*: Dedicatio Basilicæ S. Nicomedis.

comede martyre tuo, tibi etiam placitis moribus dignanter tribue deservire. Per &c.

IV. NONAS JUNII, idest Die II. Mensis Junii.

NATALE S. MARCELLINI ET PETRI.

(a) DEus, qui nos annua beatorum Marcellini & Petri martyrum tuorum solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, provocemur exemplis &c.

Super oblata.

Hostia hæc, quæsumus, Domine, quam in Sanctorum tuorum (b) natalitiis recensentes offerimus, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sacro munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum &c.

XIV. KALENDAS JULII, idest XVIII. Die Mensis Junii.

NATALE SANCTORUM MARCI ET MARCELLIANI.

(c) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Sanctorum Marci & Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, eorum intercessione liberemur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Munera, Domine, tibi dicata sanctifica, & intercedentibus beato Marco & Marcelliano, per eadem nos placatus intende. Per &c.

Ad complendum.

Salutaris tui, Domine, munere satiati, supplices exoramus, ut quorum lætamur gustu, renovemur effectu. Per Dominum &c.

XIII. KALENDAS JULII, idest XIX. Die Mensis Junii.

NATALE SANCTORUM (d) PROTASI ET GERVASII.

(e) DEus, qui nos annua Sanctorum tuorum (f) Protasi & Gervasii solemnitate lætificas, concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus, & intercedentibus Sanctis tuis, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & intercedentibus Sanctis tuis, cœlestis remedii facias esse consortes. Per Dominum &c.

IX. KALENDAS JULII, idest XXIII. Die Mensis Junii.

VIGILIA S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

(g) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua

 per

a *Antiphona*: Clamaverunt.
Responsorium: Clamaverunt.
Alleluja: Sancti tui, Domine.
Offertorium: Lætamini in Domino.
Communio: Justorum animæ.

b *Primis curis legebatur*: natalitia. *Secundis vero habetur*; natalitio.

c *Antiphona*: Salus autem justorum.
Responsorium: Justorum animæ.
Offertorium: Anima nostra.
Communio: Amen, dico vobis: quod uni ex minimis.

d Gervasii & Protasii.

e *Antiphona*: Loquetur Dominus.
Responsorium: Gloriosus Deus.
Offertorium: Lætamini.
Communio: Posuerunt mortalia.

f tuorum Gervasii & Protasii.

g *Antiphona*: Ne timeas, Zacharia.
Responsorium: Fuit homo.
Offertorium: Gloria & honore.
Communio: Magna est gloria.

per viam salutis incedat, & beati Johannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente beato Johanne Baptista, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per &c.

Ad Complendum.

Beati Johannis Baptistæ nos, Domine, præclara comitetur oratio, & quem venturum esse prædixit, poscat nobis favere placatum, Dominum nostrum Jesum Christum (*a*) qui tecum &c.

VIII. KALENDAS JULII, idest XXIV. Die Mensis Junii.

NATALE S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

(66) *In prima Missa.* (66)

(*b*) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Johannis Baptistæ solemnia colimus, ejus apud te intercessione muniamur. Per &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente beato Johanne Baptista, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Johanne Baptista, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum &c.

(*c*) ITEM ALIA. (67) (67)

(*d*) Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Johannis Nativitate fecisti: da Populis tuis spiritalium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per &c.

Super oblata.

Tua, Domine, muneribus Altaria cumulamus, illius Nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem Mundi & cecinit adfuturum, & adesse monstravit, Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum &c.

Ad Complendum.

Sumat Ecclesia tua, Deus, beati Johannis Baptistæ generatione lætitiam, per quem suæ regenerationis cognovit auctorem, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum &c.

(*e*) *Ad Vesperos.*

Deus, qui nos beati Johannis Baptistæ concedis natalitio perfrui: ejus nos tribue meritis adjuvari. Per Dominum &c.

Ad Fontes.

Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum, quam beati Johannis Baptistæ in deserto vox clamantis edocuit. Per &c.

Aliæ Orationes.

Deus, qui conspicis, quia nos undique mala nostra contristant, per Præcursorem gaudii corda nostra lætifica. Per Dominum nostrum &c.

Alia.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, in-

a Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit &c.

b *Antiphona*: Justus, ut palma.
Responsorium: Justus, ut palma.
Offertorium: In virtute tua, Domine.
Communio: Posuisti, Domine.

c Item alia Missa.

d *Antiphona*: De ventre matris.
Responsorium: Priusquam te formarem.
Alleuja: Beatus vir.
Offertorium: Justus, ut palma.
Communio: Tu Puer Propheta.

e Ad Vesperas.

intra sancta (*a*) Ecclesiæ uterum constitutos, eo nos Spiritu ab iniquitate nostra justificari, quo beatum Johannem intra viscera materna docuisti. Per &c.

Alia.

Deus, qui nos annua beati Johannis Baptistæ solemnia frequentare concedis, præsta, quæsumus, ut & (*b*) devotionis eadem mentibus celebremus, & ejus patrocinio promerente, plenæ capiamus securitatis augmentum. Per &c.

(68) *Alia.* (68)

Omnipotens & misericors Deus, qui beatum Johannem Baptistam tua providentia destinasti, ut perfectam plebem Christo Domino præpararet: da, quæsumus, ut familia tua, hujus intercessione præconis, & a peccatis omnibus exuatur, & ad eum, quem prophetavit, pervenire mereatur, Jesum Christum Filium tuum &c.

VI. KALENDAS JULII, idest XXVII. Die Mensis Junii.

NATALE SS. JO: ET PAULI.

(*c*) QUæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Johannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem Fides & Passio vere fecit esse germanos. Per &c.

Super oblata.

Hostias tibi (*d*) Sanctorum Martyrum tuorum Johannis & Pauli dicatas meritis, benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per &c.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, Sanctorum tuorum solemnia celebrantes, cœlestia Sacramenta. Præsta, quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per &c.

IV. KALENDAS JULII, idest XXVIII. Die Mensis Junii.

NATALE S. LEONIS PAPÆ.

DEus, qui beatum Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti: concede propitius, ut qui commemorationis ejus festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum &c.

Super oblata.

Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius Mundi tribuisti (*e*) relaxari delicta. Per &c.

Ad complendum.

Deus, qui animæ famuli tui Leonis æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per Dominum &c.

(*f*) IV. KALENDAS JULII, idest XXVIII. Die Mensis Junii.

VIGILIA S. PETRI. (*g*)

Oratio ad Missam.

(*h*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos

a sanctæ Ecclesiæ
b ut & devotis eadem mentibus.
c *Antiphona*: Multæ tribulationes. *Responsorium*: Ecce quam bonum. *Alleluja*: Gaudete, justi. *Offertorium*: Gloriabuntur. *Communio*: Et si coram hominibus.
d tibi, Domine, Sanctorum
e *primis curis*: tribuisti relaxare
f Item eadem Die Vigilia
g Petri Apostoli.
h *Antiphona*: Dicit Dominus Petro. *Responsorium*: In omnem Terram. *Offertorium*: Mihi autem nimis. *Communio*: Tu es Petrus.

quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidaſti. Per &c.

Super oblata.

Munus Populi tui, Domine, quæſumus, Apoſtolica interceſſione ſanctifica, noſque a peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per &c.

Præfatio.

(*a*) Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, te, Domine, ſuppliciter exorare, ut gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios contuliſti præeſſe Paſtores. Et ideo (*b*) cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœleſtis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, ſine fine dicentes &c.

Ad complendum.

Quos cœleſti, Domine, alimento ſatiaſti, Apoſtolicis interceſſionibus ab omni adverſitate cuſtodi. Per &c.

(69) *Ad Vigilias in nocte.* (69)

Deus, qui Eccleſiam tuam Apoſtoli tui Petri Fide & Nomine conſecraſti, quique beatum illi Paulum ad prædicandam gentibus gloriam tuam ſociare dignatus es: concede, ut omnes, qui ad Apoſtolorum tuorum ſolemnia convenerunt, ſpiritali remuneratione ditentur. Per &c.

III. KALENDAS JULII, ideſt XXIX. Die Menſis Junii.

NATALE S. PETRI.

(*c*) DEus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti: da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos Religionis ſumſit exordium. Per &c.

Super oblata.

Hoſtias, Domine, quas nomini tuo ſacrandas offerimus, Apoſtolica proſequatur oratio, per quam nos expiari tribuis & defendi. Per Dominum &c.

Præfatio.

(*d*) Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, te, Domine, ſuppliciter exorare, ut gregem tuum Paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut eiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præeſſe Paſtores. Et ideo (*e*) cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœleſtis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, ſine fine dicentes &c.

Ad complendum.

Quos cœleſti, Domine, alimento ſatiaſti, Apoſtolicis interceſſionibus ab omni adverſitate cuſtodi. Per &c.

(*f*) *Ad Veſperos.*

Deus, qui Apoſtolo Petro collatis clavibus Regni cœleſtis ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti: concede, ut interceſſionis ejus auxilio, a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Per &c.

(*g*) *Alia Oratio.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam in Apoſtolica ſoliditate fundatam ab Infernorum eruis terrore portarum: præſta, ut in tua veritate perſiſtens, nulla recipiat conſortia perfidorum. Per.

Alia

a Vere dignum, æquum & ſalutare.
b *Reliqua pro more reticet Codex idem Othobonianus.*
c *In margine*: *Antiphona*: Nunc ſcio vere.
Reſponſorium: Conſtitues eos.
Alleluja: Nimis honorati ſunt.
Offertorium: Conſtitues eos.
Communio: Simon Johannis.
d Vere dignum, æquum, & ſalutare, te.
e *Cetera non repetit Codex Othobon.*
f Ad Veſperas.
g Aliæ Orationes.

Alia.

Familiam tuam, Domine, propitius intuere, & Apostolicis defende præsidiis, ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur, te constituente, Principibus. Per &c.

Alia.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, & Apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, (a) quorum donasti fideles esse doctrinis. Per &c.

Alia.

Protege, Domine, Populum tuum, & Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva. Per &c.

Alia.

Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator & custos, ut Apostolicis munita præsidiis, conversatione tibi placeat, & secura deserviat. Per Dominum &c.

PRIDIE KALENDAS JULII, idest XXX. DIE Mensis Junii.

NATALE S. PAULI.

(b) DEus, qui multitudinem gentium beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus, ut cujus Natalitia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per &c.

Super oblata.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces & hostias Apostolica commendet Oratio, ut quod pro illorum gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per &c.

Ad complendum.

Perceptis, Domine, Sacramentis, beatis Apostolis intervenientibus, deprecamur, ut quæ pro illorum celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per &c.

IN OCTAVAS APOSTOLOR. (c)

(d) DEus, cujus dextera beatorum Petrum, ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & Coapostolum ejus Paulum, tertio naufragantem, de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Per &c.

Super oblata.

Offerimus tibi, Domine, preces & munera, quæ ut tuo sint digna conspectu, Apostolorum tuorum poscimus precibus adjuvari. Per &c.

Ad complendum.

Protege, Domine, Populum tuum, & Apostolorum tuorum patrocinio confidentem perpetua defensione conserva. Per &c.

MENSE JULII.

VI. NONAS JULII, idest II. Die Mensis Julii.

NATALE S. PROCESSI ET MARTINIANI.

(e) DEus, qui nos Sanctorum tuorum Processi & Martiniani confessionibus gloriosis circumdas & protegis: da nobis & eorum imitatione proficere & intercessione gaudere. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, preces, & mu-

a & eorum, quorum

b *Antiphona*: Scio, cui credidi.
Responsorium: Qui operatus est Petro.
Alleluja: Gaudete, justi.
Offertorium: Mihi autem nimis.
Communio: Amen dico vobis, quod vos.

c Apostolorum. Ad Sanctum Petrum.

d *Antiphona*: Sapientiam Sanctorum,
Responsorium: Justorum animæ.
Alleluja: Sancti tui, Domine.
Offertorium: Exsultabunt Sancti.
Communio: Justorum animæ.

e *Antiphona*: Judicant Sancti gentes.
Responsorium: Exsultabunt Sancti.
Offertorium: Gloriabuntur.
Communio: Anima nostra.

munera, quæ ut tuo ſint digna conſpectui (*a*) Sanctorum tuorum precibus adjuvemur. Per &c.

Ad complendum.

Corporis ſacri & pretioſi Sanguinis repleti libamine, quæſumus, Domine Deus noſter, ut quod pia devotione gerimus, certa redemtione capiamus. Per Dominum &c.

VI. IDUS JULII, ideſt X. Die Menſis Julii.

NATALE SEPTEM FRATRUM.

(*b*) PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui
(55) glorioſos Martyres in ſua confeſſione cognovimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificiis præſentibus, Domine, quæſumus, intende placatus, & intercedentibus Sanctis tuis, devotioni noſtræ proficiant & ſaluti. Per &c.

Ad complendum.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut illius ſalutaris capiamus effectum, cujus per hæc myſteria pignus accepimus. Per Dominum &c.

IV. KALENDAS AUGUSTI, ideſt XXVIII. Die Menſis Julii.

NATALE SS. FELICIS, SIMPLICII, FAUSTINI, ET BEATR.

(*c*) INfirmitatem noſtram reſpice, omnipotens Deus; & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Felicis Martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per &c.

Super oblata.

Accepta ſit in conſpectu tuo, Domine, noſtra devotio, & ejus nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cujus ſolemnitate defertur. Per &c.

(*d*) *Ad Complendum.*

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde, ut quos uno cœleſti pane ſatiaſti, intercedente beato Felice Martyre tuo, tua facias pietate concordes. Per &c.

III. KALENDAS AUGUSTI, ideſt XXX. Die Menſis Julii.

NATALE SANCTORUM ABDON ET SENNEN.

(*e*) DEus, qui Sanctis tuis Abdon & Sennen ad hanc gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti: da famulis tuis ſuorum veniam peccatorum, ut Sanctorum tuorum intercedentibus meritis ab omnibus mereamur adverſitatibus liberari. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc hoſtia, quæſumus, Domine, (*f*) quam in Sanctorum tuorum Natalitis recenſentes offerimus, & vincula noſtræ pravitatis abſolvat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet. Per &c.

Ad complendum.

Per hujus, Domine, operationem myſterii & vitia noſtra purgentur, & intercedentibus Sanctis tuis,

a digna conſpectu.
b *Antiphona*: Laudate, pueri, Dominum.
Reſponſorium: Vindica, Domine.
Offertorium: Anima noſtra.
Communio: Quicumque fecerit.
c *Antiphona*: Sacerdotes ejus.
Reſponſorium: Sacerdotes ejus.
Alleluja: Inveni David.
Offertorium: Lætamini in Domino
Communio: Juſtorum animæ.
d *Poſtcommunio*.
e *Antiphona*: Intret in conſpectu.
Reſponſorium: Glorioſus Deus.
Alleluja: Exſultabunt Sancti.
Offertorium: Mirabilis Deus.
Communio: Poſuerunt mortalia.
f quam, Sanctorum tuorum natalitia recenſentes, offerimus,

tuis, justa desideria compleantur. Per Dominum &c.

MENSE AUGUSTI.
Kalendis Augusti.

(70) (70) AD S. PETRUM IN VINCULA.

DEus, qui beatum Petrum Apostolum, a vinculis absolutum, illæsum abire fecisti: nostrorum, quæsumus, absolve vincula peccatorum, & omnia mala a nobis propitiatus exclude. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblatum tibi, Domine, sacrificium vivificet nos semper & muniat. Per &c.

Ad Complendum.

Corporis sacri & pretiosi Sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod pia devotione gerimus, certa redemtione capiamus. Per &c.

IV. NONAS AUGUSTI, idest II. Die Mensis Augusti.

NATALE S. STEPHANI EPISC.

(*a*) DEus, qui nos beati Stephani Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica, & intercedente beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & intercedente beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice, cœlestis remedii faciat esse consortes. Per &c. (*b*)

(*c*) VIII. NONIS AUGUSTI, idest V. Die Mensis Augusti.

NATALE S. XYSTI EPISCOPI.

(*d*) DEus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concede propitius, ut intercessione beati Xysti Martyris tui atque Pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificiis præsentibus, Domine, quæ-

a Antiphona: Justus ut palma.
Responsorium: Justus non conturbabitur.
Offertorium: Inveni David.
Communio: Domine, quinque talenta.

b Sub die Sancti Stephani Episcopi, nempe Quarto Nonas Augusti, hæc Missa Sanctorum Gamalielis & Sociorum addita fuit in margine Codicis Othoboniani a recentiori manu.

MISSA SANCTORUM STEPHANI, GAMALIELIS, NICODEMI, atque BIBONI.

Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hodierna die beatorum Martyrum tuorum Stephani, Gamalielis, Nicodemi, atque Abibon inventionem gloriosam revelasti: da nobis in æterna lætitia de eorum societate gaudere. Per &c.

Super oblata.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante reddantur. Per &c.

Postcommunio.

Sumsimus, Domine, Sanctorum tuorum Stephani, Gamalielis, Nicodemi, atque Abibon solemnia celebrantes, Sacramenta cœlestia: quæsumus, ut quæ temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per &c.

c Minus recte Codex Othobonianus habet: III. Nonas Augusti. Fortasse fuerit ibi *VIII.* non *III. Non.*

d Antiphona: Sacerdotes tui, Domine.
Responsorium: Sacerdotes ejus.
Offertorium: Inveni David.
Communio: Fidelis servus.

quæſumus , intende placatus , ut devotioni noſtræ proficiant & ſaluti. Per Dominum &c.

(71) (71) (*a*) *Præfatio*.

Intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte, per Chriſtum &c.

BENEDICTIO UVÆ.

Benedic, Domine, & hos fructus novos Uvæ, quos tu, Domine, rore cœli, & inundantia pluviarum, & temporum ſerenitate atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es; & dediſti ea ad uſus noſtros cum gratiarum actione percipere, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem hæc omnia Domine ſemper bonas creas.

Ad complendum.

Præſta, quæſumus, Domine Deus noſter, ut cujus nobis feſtivitate votiva ſunt Sacramenta, ejus ſalutaria nobis interceſſione reddantur. Per &c.

(*b*) ITEM IN EODEM DIE Menſis Auguſti.

NATALE SS. FELICISSIMI ET AGAPITI.

(*c*) DEus, qui nos concedis, Sanctorum Martyrum tuorum Feliciſſimi & Agapiti Natalitia colere: da nobis, in æterna lætitia de eorum ſocietate gaudere. Per &c.

Super oblata.

Munera tibi, Domine, noſtræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata ſint honore Juſtorum, & nobis ſalutaria, te miſerante reddantur. Per &c.

Ad complendum.

Præſta nobis, Domine, quæſumus, intercedentibus Sanctis tuis Feliciſſimo & Agapito, ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per Dominum &c.

VI. IDUS AUGUSTI, ideſt VIII. Die Menſis Auguſti.

NATALE S. CYRIACI. (*d*)

(*e*) DEus, qui nos annua beati Cyriaci Martyris ſolemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus Natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Accepta ſit in conſpectu tuo, Domine, noſtra devotio, & ejus nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cujus ſolemnitate defertur. Per &c.

Ad complendum.

Refecti participatione muneris ſacri, quæſumus, Domine Deus noſter, ut cujus exſequimur cultum, ſentiamus effectum. Per Dominum.

V. IDUS AUGUSTI, ideſt IX. Die Menſis Auguſti.

VIGILIA S. LAURENTII. (*f*)

(*g*) ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & interceſſione beati Laurentii Martyris tui perpetuam nobis miſericor-

a Præfatio Uvæ.
b Eodem die Natale Sanctorum &c.
c *Antiphona*: Salus autem Juſtorum.
Reſponſorium: Juſtorum animæ.
Offertorium: Gloriabuntur.
Communio: Ego vos elegi.
d Cyriaci Martyris.
e *Antiphona*: Timete Dominum, omnes Sancti ejus.
Reſponſorium: Timete Dominum.
Offertorium: Lætamini in Domino.
Communio: Signa eos, qui in me.
f Laurentii Martyris.
g *Antiphona*: Diſperſit, dedit pauperibus.
Reſponſorium: Diſperſit, dedit.
Offertorium: Oratio mea munda.
Communio: Qui vult venire poſt me.

cordiam benignus impende. Per Dominum &c.

Spuer oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe, & intercedente beato Laurentio Martyre tuo, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per &c.

Ad complendum.

Da, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut beati Laurentii Martyris tui commemoratione, temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per Dominum. &c.

IV. IDUS AUGUSTI, idest X. Die Mensis Augusti.

NATALE S. LAURENTII.

(72) (72) *In prima Missa.*

EXcita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Laurentius Levita servivit, ut eodem nos replente, studeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit. Per &c.

Super oblata.

Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, beati Laurentii precatio sancta conciliet, ut cujus honore solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per Dominum.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos donis cœlestibus satiasti, intercedente beato Laurentio Martyre tuo, perpetua protectione custodias. Per Dominum &c.

(*a*) ITEM AD MISSAM.

(*b*) DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per &c.

Super oblata.

Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, & beati Laurentii suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sacro munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, intercedente beato Laurentio, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per &c.

(*c*) *Alia.*

Deus, cujus caritatis ardore beatus Laurentius edaces incendii flammas contemto persecutore devicit: concede, ut nos, qui martyrii ejus merita veneramur, protectionis tuæ auxilio muniamur. Per &c.

III. IDUS AUGUSTI, idest XI. Die Mensis Augusti.

NATALE S. TIBURTII. (*d*)

(*e*) BEati Tiburtii nos, Domine, foveant continuata præsidia, quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per Dominum &c.

Super oblata.

Adesto, Domine, precibus Populi tui, adesto muneribus, ut quæ sacris sunt oblata mysteriis, tuorum tibi placeant intercessione Sanctorum. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, pignus re-

Z 2 dem-

a Item alia Missa,

b *Antiphona*: Confessio & pulcritudo. *Responsorium*: Probasti, Domine, cor meum.
Alleluja: Beatus vir.
Offertorium: Confessio & pulcritudo.
Communio: Qui mihi ministrat.

c Alia Oratio.

d Tiburtii Martyris.

e *Antiphona*: Justus, ut palma.
Responsorium: Os justi meditabitur.
Offertorium: In virtute tua, Domine.
Communio: Posuisti, Domine.

demtionis æternæ. Sit nobis, Domine, quæsumus, interveniente beato Tiburtio Martyre tuo, vitæ præsentis auxilium, pariter & futuræ. Per Dominum &c.

IDIBUS AUGUSTI, idest XIII. Die Mensis Augusti.

NATALE S. HIPPOLTYHI.

(*a*) DA nobis, omnipotens Deus, ut beati Hippolythi Martyris tui veneranda solemnitas & devotionem nobis augeat & salutem. Per &c.

Super oblata.

Respice, Domine, munera Populi tui, Sanctorum festivitate votiva, & tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sacramentorum tuorum, Domine, communio sumta nos salvet, & in tuæ veritatis luce confirmet. Per &c.

XIX. KALENDAS SEPTEMBRIS, idest XIV. Die Mensis Augusti.

NATALE S. EUSEBII PRESBYTERI. (*b*)

(*c*) DEus, qui nos beati Eusebii Confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Natalitia colimus, per ejus (*d*) exempla gradiamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Laudis tuæ, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum, quibus nos & præsentibus exui malis confidimus & futuris. Per &c.

Ad complendum.

Refecti cibo potuque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus, ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum &c.

(*e*) XIX. KALENDAS OCTOBRIS, idest XIV. Die Mensis Augusti.

IN VIGILIA ASSUMTIONIS S. MARIÆ.

DEus, qui Virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da, quæsumus, ut sua nos defensione munitos, jucundos faciat suæ interesse festivitati. Qui tecum vivit &c.

Super oblata.

Magna est, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis oratio, quam idcirco de præsenti Seculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Per eumdem &c.

Ad Complendum.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei Genitricis requiem celebramus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per &c.

XVIII. KALENDAS SEPTEMBRIS, idest XV. Die Mensis Augusti.

ASSUMTIO S. MARIÆ.

VEneranda nobis, Domine, hujus (*f*) est Diei festivitas (*g*) opem conferat sempiternam. In qua san-

a *Antiphona*: Justi epulentur.
Responsorium: Justorum animæ.
Offertorium: Anima nostra.
Communio: Dico autem vobis amicis.
b *In Othoboniano non legitur*: Presbyteri.
c *Antiphona*: Os justi meditabitur.
Responsorium: Os Justi.
Offertorium: Desiderium.
Communio: Beatus servus.
d per ejus ad te exempla
e Eodem Die Vigilia Assumtionis Sanctæ Mariæ.
f Domine, hujus Diei festivitas
g *In Othoboniano additum legitur recentiori charactere*: opem nobis conferat sempiternam. *In reliquis currit heic Oratio*.

ſancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen nexibus mortis deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum noſtrum genuit Incarnatum. Qui tecum &c. (*a*)

Alia ad Miſſam.

(*b*) Famulorum tuorum, Domine, delictis ignoſce; & qui placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filii tui Domini noſtri interceſſione ſalvemur. Per Domium.

Super oblata.

Subveniat, Domine, plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam etſi pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus, in cœleſti gloria apud te pro nobis orare ſentiamus. Per eumdem &c.

Ad complendum.

Menſæ cœleſtis participes effecti imploramus clementiam tuam, Domine Deus noſter, ut qui feſta Dei Genitricis colimus, a malis imminentibus, ejus interceſſionibus liberemur. Per eumdem &c.

XV. KALENDAS SEPTEMBRIS, ideſt XVIII. Die Menſis Auguſti.

NATALE S. AGAPITI.

(*c*) LÆtetur Eccleſia tua, Deus, beati Agapiti martyris tui confiſa ſuffragiis, atque ejus precibusglorioſis & devota permaneat, & ſecura conſiſtat. Per &c.

Super oblata.

Suſcipe, Domine (*d*), quæ in ejus tibi ſolemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Satiaſti, Domine, familiam tuam muneribus ſacris. Ejus, quæſumus, ſemper interventione nos refove, cujus ſolemnia celebramus. Per &c.

XI. KALENDAS SEPTEMBRIS, ideſt XXII. Die Menſis Auguſti.

NATALE S. TIMOTHEI.

(*e*) AUxilium tuum nobis, Domine, quæſumus, placatus impende, & intercedente beato Timotheo Martyre tuo, dexteram ſuper nos tuæ propitiationis extende. Per &c.

Super oblata.

Accepta tibi ſit, Domine, ſacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Divini muneris largitate ſatiati, quæſumus, Domine Deus noſter, intercedente beato Timotheo martyre tuo, ejus ſemper participatione vivamus. Per Dominum &c.

V. KALENDAS SEPTEMBRIS, ideſt XXVIII. Die (*f*) Menſis Auguſti.

NATALE S. HERMETIS.

(*g*) DEus, qui beatum Hermen martyrem tuum virtute

a In margine Codicis ejuſdem ſcripſit ſub Die XV. Auguſti, recentior manus Miſſam Sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris, *quam prætermitto, utpote deſcriptam infra ſuo loco.*

b Antiphona: Vultum tuum.
Reſponſorium: Propter veritatem.
Alleluja: Specie tua.
Offertorium: Afferentur.
Communio: Dilexiſti juſtitiam.

c Antiphona: Lætabitur Juſtus.
Reſponſorium: Juſtus non conturbabitur.
Offertorium: In virtute tua, Domine.
Communio: Beatus Servus.

d Domine, munera, quæ

e Antiphona: Salus autem Juſtorum.
Reſponſorium: Pretioſa in conſpectu.
Offertorium: Mirabilis Deus.
Communio: Ego vos elegi.

f Emendandus Codex Othobonianus, qui pro XXVIII. habet: Vigeſima Septima Die.

g Antiphona: Juſtus non conturbabitur.
Reſponſorium: Juſtus, ut palma florebit.
Offertorium: In virtute tua, Domine.
Communio: Poſuiſti, Domine.

te constantiæ in passione roborasti: ex ejus nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera Mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare. Per &c.

Super oblata.

Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus in tuorum commemoratione Sanctorum: da, quæsumus, ut quod illis contulit gloriam, nobis prosit ad salutem. Per Dominum.

Ad complendum.

Repleti, Domine, benedictione cœlesti, quæsumus clementiam tuam, ut intercedente beato Herme (*a*) Martyre tuo, quæ humiliter gerimus, salubriter sentiamus. Per Dominum &c.

IV. KALENDAS SEPTEMBRIS, idest XXIX. Die Mensis Augusti.

NATALE S. SABINÆ. (*b*)

(*c*) DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti; concede propitius, ut cujus natalia colimus, per ejus exempla ad te gradiamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, beatæ Sabinæ martyris tuæ dicatas meritis, benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Divini muneris largitate satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut intercedente beata Sabina Martyre tua in (*d*) ejus semper participatione vivamus. Per Dominum.

III. KALENDAS SEPTEMBRIS, idest XXX. Die Mensis Augusti.

NATALE SS. FELICIS ET ADAUCTI.

(*e*) MAjestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut sicut nos jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per &c.

Super oblata.

Hostias, Domine, tuæ plebis intende, & quas in honore Sanctorum tuorum devota mente celebrat, proficere sibi sentiat ad salutem. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Repleti, Domine, muneribus sacris, quæsumus, ut intercedentibus Sanctis tuis, in gratiarum tuarum semper actione maneamus. Per &c.

MENSE SEPTEMBRIS.

VI. IDUS SEPTEMBRIS, idest VIII. Die Mensis Septembr.

(*f*) NATIVITATE S. (73) MARIÆ. (73)

SUpplicationem servorum tuorum, Deus miserator, exaudi, ut qui in Nativitate Dei Genitricis & Virginis congregamur, ejus intercessionibus complacatus, a te de instantibus periculis eruamur. Per eumdem &c.

(*g*) *Ad Missam.*

(*h*) Famulis tuis, Domine, cœlestis

a Hermen Martyre.
b *Heic in Othoboniano Codice additur*: Eodem Die Decollatio Sancti Johannis Baptistæ.
c *Antiphona*: Cognovi, Domine. *Responsorium*: Specie tua. *Offertorium*: Filiæ Regum. *Communio*: Principes persequuti sunt.
d in hujus semper
e *Antiphona*: Sapientiam Sanctorum. *Responsorium*: Gloriosus Deus. *Offertorium*: Lætamini in Domino. *Communio*: Quod dico vobis.
f *In Codice Othoboniano sic habetur*: Nativitas Sanctæ Mariæ, & Sancti Adriani, *pro cujus Missa adduntur hæc in margine.* *Antiphona*: Lætabitur Justus. *Responsorium*: Domine, prævenisti. *Offertorium*: Gloria & honore. *Communio*: Posuisti Domine,
g Item ad Missam.
h *Ad Missam Nativitatis non apparent Antiphona, Responsorium, nec reliqua.*

ſtis gratiæ munus impertire, ut quibus beatæ Virginis Partus exſtitit ſalutis exordium, Nativitatis ejus votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum. Per &c.

Super oblata.

Unigeniti tui, Domine, nobis ſuccurrat Humanitas, ut qui natus de Virgine, Matris integritatem non minuit, ſed ſacravit, in Nativitatis ejus ſolemniis a noſtris nos piaculis exuens, oblationem noſtram ſibi faciat acceptam. Qui tecum &c.

Ad complendum.

Sumſimus, Domine, celebritatis annuæ votiva Sacramenta. Præſta, quæſumus, ut temporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ. Per &c.

III. IDUS SEPTEMBRIS, ideſt XI. Die Menſis Septembris.

NATALE SS. PROTI ET HYACINTHI.

(*a*) BEati Proti nos, Domine, & Hyacinthi foveat pretioſa confeſſio, & pia jugiter interceſſione (*b*) tueatur. Per &c.

Super oblata.

Pro Sanctorum Proti & Hyacinthi munera tibi, Domine, commemoratione, quæ debemus, exſolvimus. Præſta, quæſumus, ut remedium nobis perpetuæ ſalutis operentur. Per &c.

Ad complendum.

Ut percepta nos, Domine, tua ſancta purificent, beati Proti & Hyacinthi, quæſumus, imploret oratio. Per Dominum noſtrum &c.

XVIII. KALENDAS OCTOBRIS, ideſt XIV. Die Menſis Septemb.

NATALE SANCTORUM CORNELII ET CYPRIANI.

(*c*) INfirmitatem noſtram, quæſumus, Domine, propitius reſpice, & mala omnia, quæ juſte meremur, Sanctorum tuorum interceſſione averte. Per &c.

Super oblata.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, quas in Sanctorum tuorum commemoratione deferimus, ut qui noſtræ juſtitiæ fiduciam non habemus, eorum, qui tibi placuerunt, meritis adjuvemur. Per &c.

Ad complendum.

Quæſumus, Domine, ſalutaribus repleti myſteriis, ut quorum ſolemnia celebramus, orationibus adjuvemur. Per &c.

(*d*) ITEM EODEM DIE XIV. dicti Menſis Septembris.

(74) EXALTATIO S. CRUCIS. (74)

DEus, qui Unigeniti tui Domini noſtri Jeſu Chriſti pretioſo Sanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam Crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberentur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Jeſu Chriſti Domini noſtri Corpore ſaginati, per quem Crucis eſt ſanctificatum vexillum, quæſumus, Domine Deus noſter, ut ſicuti adorare meruimus, ita perennitatis ejus gloriæ ſalutaris potiamur effectu. Per eumdem &c.

Ad

a Antiphona: Judicant Sancti gentes.
Reſponſorium: Vindica, Domine
Offertorium: Gloriabuntur.
Communio: Anima noſtra.
b Melius in Othoboniano: interceſſio tueatur.

c Antiphona: Sacerdotes Dei.
Reſponſorium: Sacerdotes ejus.
Offertorium: Veritas mea.
Communio: Domine, quinque talenta.
d Eodem Die Exaltatio Sanctæ Crucis.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subjacere periculis. Per Dominum &c.

XVII. KALENDAS OCTOBRIS, idest XV. Die Mensis Septembris.

NATALE SANCTI NICOMEDIS.

(*a*) ADesto, Domine, Populo tuo, & beati Nicomedis Martyris tui merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvetur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, munera propitius oblata, quæ majestati tuæ beati Nicomedis Martyris commendet oratio. Per &c.

Ad complendum.

Purificent nos, Domine, Sacramenta, quæ sumsimus, & intercedente beato Nicomede Martyre tuo, a cunctis efficiant vitiis absolutos. Per Dominum &c.

XVI. KALENDAS OCTOBRIS, idest XVI. Die Mensis Septemb.

NATALE SANCTÆ EUPHEMIÆ.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundas: concede propitius, ut qui beatæ Euphemiæ Martyris tuæ solemnia colimus ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Præsta, quæsumus, Domine, Deus noster, ut sicut in conspectu tuo mors est pretiosa Sanctorum, ita eorum merita venerantium accepta tibi reddatur oblatio. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sanctificet nos, Domine, quæsumus, tui perceptio Sacramenti, & intercessio beatæ Martyris tuæ Euphemiæ tibi reddat acceptos. Per &c.

DIE SUPRA SCRIPTO.

NATALE SS. (*b*) LUCIÆ ET GEMINIANI.

(*c*) PRæsta, Domine, precibus nostris cum exsultatione provectum, ut quorum diem passionis annua devotione recolimus, etiam Fidei constantiam subsequamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Vota Populi tui, Domine, propitiatus intende, & quorum nos tribuis solemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per &c.

Ad complendum.

Exaudi, Domine, preces nostras, & Sanctorum tuorum, quorum festa solemniter celebramus, continuis foveamur auxiliis. Per &c.

MENSE SEPTIMO.

Orationes die Dominico.

AD S. PETRUM.

ABsolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta Populorum, & a peccatorum nostrum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per &c.

Super oblata.

Pro nostræ servitutis augmento sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus, ut quod immeritis contu-

a *Antiphona*: Lætabitur Justus.
Responsorium: Posuisti, Domine, super caput ejus.
Offertorium: Gloria & honore.
Communio: Qui vult venire post me.

b *In Othoboniano*: Lucii & Geminiani.

c *Antiphona*: Vultum tuum.
Responsorium: Diffusa est.
Offertorium: Offerentur.
Communio: Simile est Regnum.

tulisti, propitius exsequaris. Per &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subjacere periculis. Per Dominum &c.

FERIA QUARTA.

AD S. MARIAM MAJOREM.

(*a*) Misericordiæ tuæ remediis, quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat, ut quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Per Dominum &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, Domine, familiæ supplicanti, ut dum a cibis corporalibus se abstinent, a vitiis mente jejunent. Per &c.

Super oblata.

Hæc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, (*b*) & sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per.

Ad complendum.

Sumentes, Domine, dona cœlestia, suppliciter (*c*) deprecamur, ut quæ sedula servitute, donante te gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per &c.

FERIA SEXTA.

AD APOSTOLOS.

(*d*) Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut observationes sacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente. Per &c.

Super oblata.

Accepta tibi sint, Domine, quæsumus nostra dona jejunii, quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad sempiterna promissa perducant. Per &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Per Dominum &c.

SABBATUM.

AD S. PETRUM.

In duodecim Lectiones.

(*e*) Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem & corporibus mederis & mentibus; majestatem tuam supplices exoramus, ut pia jejunantium deprecatione placatus, & præsentia nobis subsidia præbeas & futura. Per Dominum &c.

Alia.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut jejunando tua gratia satiemur, & abstinendo cunctis efficiamur hostibus fortiores. Per.

Alia.

Tuere, quæsumus, Domine familiam tuam, ut salutis æternæ remedia, quæ te aspirante requirimus, te largiente consequamur. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, Domine, sic nos ab epulis abstinere carnalibus, ut a vitiis irruentibus pariter jejunemus. Per &c.

Alia.

a *Antiphona*: Exsultate Deo adjutori. *Responsorium*: Quis sicut Dominus Deus noster. *Offertorium*: Meditabor. *Communio*: Comedite pinguia.

b & ad sacrificium

c te deprecamur

d *Antiphona*: Lætatur cor quærentium. *Responsorium*: Convertere, Domine. *Offertorium*: Benedic, anima mea. *Communio*: Aufer a me.

e *Antiphona*: Venite. Adoremus Deum. *Responsoria*: quatuor, qualia volueris. *Tractus*: Laudate Dominum omnes gentes. *Offertorium*: Domine Deus salutis meæ. *Communio*: Mense Septimo.

Alia.

Ut nos, Domine, tribuis solemne tibi deferre jejunium, sic nobis, quæsumus, indulgentiæ præsta subsidium. Per &c.

Alia.

Deus, qui tribus Pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per &c.

Super oblata.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut oculis tuæ majestatis munus oblatum & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per &c.

Ad complendum.

Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua Sacramenta, quod continent, ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Per.

DIE DOMINICA VACAT.

OMnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam ostende supplicibus; ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per &c.

Super oblata.

Sacrificiis præsentibus, quæsumus, Domine, intende placatus, ut & devotioni nostræ proficiant & saluti. Per &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut illius salutaris capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus. Per &c.

V. KALENDAS OCTORRIS, idest XXVII. Die Mensis Septemb.

NATALE SANCTORUM COSMÆ ET DAMIANI.

(*a*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum Cosmæ & Damiani Natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per &c.

Super oblata.

Sanctorum tuorum nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ & munera nostra conciliet, & tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Protegat, Domine, quæsumus, Populum tuum & participatio cœlestis indulta convivii, & deprecatio collata Sanctorum. Per Dominum.

III. KALENDAS OCTOBRIS, idest XXIX. Die Mensis Septemb.

DEDICATIO BASILICÆ SANCTI ANGELI, (*b*)

(*c*) DEus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra nostra vita muniatur. Per &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes, ut easdem Angelico pro nobis interveniente suffragio & placatus accipias, & ad salutem nostram provenire concedas. Per &c.

Ad

a *Antiphona*: Sapientiam Sanctorum. *Responsorium*: Clamaverunt Justi. *Offertorium*: Gloriabuntur. *Communio*: Posuerunt mortalia.

b *In Othoboniano*: Angeli Michaelis.

c *Antiphona*: Laudate Dominum, omnes Angeli ejus. *Responsorium*: Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus. *Alleluja*: Laudate Dominum omnes. *Offertorium*: Stetit Angelus. *Communio*: Benedicite, omnes Angeli Domini, Domino.

Ad complendum.

Beati Archangeli tui Michaelis intercessione suffulti, supplices te, Domine, deprecamur; ut quos honore prosequimur, contingamus & mente. Per Dominum &c.

MENSE OCTOBRIS.

NONIS OCTOBRIS, idest VII. Die Mensis Octobris.

NATALE S. MARCI PAPÆ.

(*a*) EXaudi, Domine, quæsumus, preces nostras, & interveniente beato Marco Confessore tuo atque Pontifice, supplicationes nostras placatus intende. Per Dominum &c.

Super oblata.

Accepta tibi sit, Domine, sacræ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis Sanctorum tuorum semper veneratione lætari, & eorum perpetua supplicatione muniri. Per &c.

PRIDIE IDUS OCTOBRIS, idest XIV. Die Mensis Octobris.

NATALE S. CALISTI PAPÆ.

(*b*) DEus, qui conspicis, ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per &c.

Super oblata.

Mystica nobis, Domine prosit, oblatio, quæ nos & a reatibus nostris expediat, & perpetua salvatione confirmet. Per &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut reatum nostrum munera sacrata purificent, & recte vivendi nobis operentur effectum. Per &c.

MENSE NOVEMBRIS.

KALENDIS NOVEMBRIS.

NATALE S. CÆSARII.

Collecta ad Sanctos Cosmam & Damianum. (75) (75)

ADesto, Domine, Martyrum deprecatione Sanctorum, & quos pati pro tuo nomine tribuisti, fac tuis fidelibus suffragari. Per &c.

(*c*) *Ad Missam.*

(*d*) Deus, qui nos beati Martyris tui Cæsarii annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut cujus Natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, beati Cæsarii Martyris tui dicatas meritis benignus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Cæsario Martyre tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per &c.

a *Antiphona*: Sacerdotes Dei, benedicite.
Responsorium: Inveni David.
Offertorium: Veritas mea.
Communio: Beatus servus.

b *Antiphona*: Os Justi.
Responsorium: Posuisti, Domine.
Alleluja: Elegit te Dominus.
Offertorium: Posuisti, Domine.
Communio: Beatus Servus.

c Alia ad Missam.

d *Antiphona*: Confessio & pulcritudo.
Responsorium: Justorum animæ.
Offertorium: In virtute tua.
Communio: Qui vult venire.

VI. IDUS NOVEMBRIS, ideſt VIII. Die Menſis Novembr.

NATALE S. IV. CORONATOR.

(*a*) PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui glorioſos Martyres Claudium, Nicoſtratum, Symphronianum, Caſtorium, atque Simplicium, fortes in ſua confeſſione cognovimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Benedictio tua, Domine, larga deſcendat, quæ & munera noſtra, deprecantibus Sanctis tuis, tibi reddat accepta, & nobis Sacramentum redemtionis efficiat. Per &c.

Ad complendum.

Cœleſtibus refecti Sacramentis & gaudiis ſupplices te, Domine, deprecamur, ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per Dominum &c.

V. IDUS NOVEMBRIS, ideſt IX. Die Menſis Novembris.

NATALE S. THEODORI.

(*b*) DEus, qui nos beati Theodori Martyris tui confeſſione glorioſa circumdas, & protegis: præſta nobis ejus imitatione proficere, & oratione fulciri. Per &c.

Super oblata.

Suſcipe, Domine, fidelium preces cum oblationibus hoſtiarum, & intercedente beato Theodoro martyre tuo, per hæc piæ devotionis officia ad cœleſtem gloriam tranſeamus. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Præſta nobis, Domine, quæſumus, intercedente beato Theodoro martyre tuo, ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per Dominum &c.

III. IDUS NOVEMBRIS, ideſt XI. Die Menſis Novembris.

NATALE S. MENNÆ. (*c*)

(*d*) PRæſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui beati Mennæ martyris tui Natalitia colimus, interceſſione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Muneribus noſtris, quæſumus, Domine, precibuſque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi. Per &c.

Ad complendum.

Da, quæſumus, Domine Deus noſter, ut ſicut tuorum commemoratione Sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aſpectu. Per Dominum &c.

(*e*) III. IDUS NOVEMBRIS. ideſt XI. Die Menſis Novembis.

NATALE S. MARTINI.

DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus: concede propitius, ut interceſſione beati Martini Confeſſoris tui contra omnia adverſa muniamur. Per Dominum &c.

Su-

a Antiphona: Intret in conſpectu.
Reſponſorium: Vindica, Domine.
Offertorium: Anima noſtra.
Communio: Poſuerunt mortalia.
b Antiphona: In virtute tua, Domine.
Reſponſorium: Domine, prævenisti eum.
Offertorium: Gloria & honore.
Communio: Poſuiſti, Domine.
c Cod. Othobon. Mennæ Martyris.
d Antiphona: Os juſti meditabitur.
Reſponſorium: Inveni David.
Offertorium: Deſiderium animæ.
Communio: Magna eſt gloria ejus.
e Othobon. Eodem Die Menſis Novembris: Natale Sancti Martini Epiſcopi.

Super oblata.

Da, misericors Deus, ut hæc nos salutaris oblatio & propriis reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur adversis. Per &c.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut quorum festivitate votiva sunt Sacramenta, eorum salutaria nobis intercessione reddantur. Per &c.

X. KALENDA DECEMBRIS, idest XXII. Die Mensis Novembris.

NATALE S. CÆCILIÆ.

(*a*) DEus, qui nos annua beatæ Cæciliæ martyris tuæ solemnitate lætificas: da, ut quam veneramur officio, etiam pie conversationis sequamur exemplo. Per.

Super oblata.

Hæc hostia, Domine, placationis & laudis, quæsumus, ut interveniente beata Cæcilia martyre tua, nos propitiatione dignos semper efficiat. Per &c.

Ad complendum.

Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris. Ejus semper intercessione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per &c.

IX. KALENDAS DECEMBRIS, idest XXIII. Die Mensis Novembris.

NATALE S. CLEMENTIS.

(*b*) DEus, qui nos annua beati Clementis martyris tui atque Pontificis solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Natalitia colimus, virtutem q oque passionis imitemur. Per &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, & intercedente beato Clemente Martyre tuo, per hæc nos a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per &c.

Ad complendum.

Corporis sacri & pretiosi Sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod pia devotione gerimus, certa redemtione capiamus. Per Dominum &c.

ITEM EODEM DIE.

NATALE S. FELICITATIS.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatæ Felicitatis Martyris tuæ solemnia recensentes, meritis ipsius protegamur & precibus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Vota populi tui, Domine, propitiatus intende, & quorum nos tribuis solemnia celebrare, fac gaudere suffragiis. Per &c.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut intervenientibus Sanctis tuis, & tua in nobis dona multiplices, & tempora nostra disponas. Per &c.

VIII. KALENDAS DECEMBRIS, idest XXIV. Die Mensis Novemb.

NATALE S. CHRYSOGONI.

(*c*) ADesto, Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni Martyris tui intercessione liberemur. Per &c.

Su-

a *Antiphona*: Loquebar de testimoniis.
Responsorium: Audi, filia, & vide.
Offertorium: Offerentur.
Communio: Confundantur.

b *Antiphona*: Dicit Dominus sermones.
Responsorium: Juravit Dominus.
Offertorium: Veritas mea.
Communio: Beatus servus.

c *Antiphona*: Justus non conturbabitur.
Responsorium: Justus non conturbabitur.
Offertorium: Posuisti, Domine.
Communio: Magna est gloria ejus.

Super oblata.

Oblatis, Domine, quæſumus, placare muneribus, & intercedente beato Chryſogono Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per &c.

Ad complendum.

Tui, Domine, perceptione Sacramenti & a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis. Per &c.

III. KALENDAS DECEMBRIS, ideſt XXIX. Die (*a*) Menſis Nov.

NATALE S. SATURNINI.

(*b*) DEus, qui nos beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfrui, ejus nos tribue meritis adjuvari. Per &c.

Super oblata.

Munera, Domine, tibi dicata ſanctifica, & intercedente beato Saturnino Martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per &c.

Ad complendum.

Sanctificet nos, Domine, quæſumus, tui perceptio Sacramenti, & interceſſione Sanctorum tibi reddat acceptos. Per &c.

ITEM EODEM DIE.

VIGILIA S. ANDREÆ.

(*c*) QUæſumus, omnipotens Deus, ut beatus Andreas Apoſtolus pro nobis imploret auxilium, ut a reatibus noſtris abſoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Per &c.

Super oblata.

Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus, quos beati Andreæ ſolemnia recolentes, purificationem quoque noſtris mentibus imploremus. Per &c.

Præfatio.

(*d*) Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper, & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum; qui Eccleſiam tuam in Apoſtolicis tribuiſti conſiſtere fundamentis; de quorum Collegio beati Andreæ ſolemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non tacemus. Et ideo cum Angelis & Archangelis (*e*), cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœleſtis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, ſine fine dicentes &c.

Ad complendum.

Perceptis, Domine, Sacramentis, ſuppliciter exoramus, ut intercedente beato Andrea Apoſtolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam. Per &c.

PRIDIE KALENDAS DECEMB. ideſt XXX. Die Menſis Novemb.

NATALE S. ANDREÆ. (*f*)

(*g*) MAjeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, ut ſicut Eccleſiæ tuæ beatus Andreas Apoſtolus exſtitit prædicator & rector, ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor. Per &c.

Su-

a In margine Othobon. notantur hæc Antiquarii manu: Obiit Vulfelmus Laicus.
b Antiphona: Juſtus, ut palma.
Reſponſorium: Juſtus, ut palma.
Offertorium: Juſtus, ut palma.
Communio: Poſuiſti, Domine.
c Antiphona: Domninus ſecus mare.
Reſponſorium: Nimis honorati ſunt.
Offertorium: Gloria & honore.
Communio: Venite poſt me.

d Otholonian. Verè dignum, æquum, & ſalutare, nos
e Reliqua pro more non repetit idem Codex.
f Ibidem: Andreæ Apoſtoli.
g Antiphona: Mihi autem nimis.
Reſponſorium: Conſtitues eos.
Offertorium: Mihi autem nimis.
Communio: Dicit Andreas.

Super oblata.

Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, beati Andreæ precatio sancta conciliet, ut cujus honore solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per &c.

Præfatio.

(*a*) Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui Ecclesiam tuam in Apostolicis tribuisti consistere fundamentis, de quorum Collegio beati Andreæ solemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non tacemus. Et ideo cum Agelis &c.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, divina mysteria, beati Andreæ festivitate lætantes; quæ sicut tuis Sanctis ad gloriam, ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per Dominum &c.

(*b*) *Ad Vesperos ubi supra.*

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, beati Apostoli tui Andreæ intercessionibus sublevari; ut per quos Ecclesiæ tuæ superni muneris rudimenta donasti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas. Per &c.

Alia.

Adjuvet Ecclesiam tuam, tibi, Domine, supplicando beatus Andreas Apostolus, & pius inventor efficiatur, qui tui nominis exstitit prædicator. Per &c.

Alia.

Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis; qui hunc diem beati Andreæ martyrio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ de ejus (*c*) Natalitia semper gaudere, ut apud misericordiam tuam exemplis ejus protegamur & meritis. Per &c.

Alia.

Exaudi, Domine, Populum tuum, cum Sancti Apostoli tui patrocinio supplicantem, ut tuo semper auxilio secura tibi possit devotione servire. Per &c.

MENSE DECEMBRIO. (*d*)

Orationes de Adventu Domini.

DOMINICA PRIMA.

(*e*) EXcita, Domine, quæsumus, potentiam tuam & veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum &c.

Super oblata.

Hæc sacra nos, Domine, potenti virtute mundatos ad suum faciant puriores venire principium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Suscipiamus, Domine, misericordiam tuam in medio Templi tui, & reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus. Per Dominum &c.

DOMINICA SECUNDA.

(*f*) EXcita, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per ejus Adventum

tum

a *Othobonian.* Vere dignum, æquum & salutare, nos
b *Othobon.* Ad Vesperas.
c de ejus natalitio
d Decembris. Oratio
e *Antiphona*: Ad te levavi animam. *Responsorium*: Universi, qui te. *Alleluja*: Ostende nobis. *Offertorium*: Ad te, Domine. *Communio*: Dominus dabit benignitatem.
f *Antiphona*: Popule Sion, ecce Dominus. *Responsorium*: Exiens .... *Alleluja*: Lætatus sum. *Offertorium*: Deus, tu convertens. *Communio*: Hierusalem, surge.

tum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum &c.

Super oblata.

Placare, quæsumus, Domine, humilitatis nostræ precibus & hostiis, & ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidiis. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Repleti cibo spiritalis alimoniæ, supplices te, Domine, deprecamur, ut hujus participatione mysterii doceas nos terrena despicere, & amare cœlestia. Per &c.

IDUS DECEMBRIS, idest XIII. Die Mensis Decembris.

NATALE S. LUCIÆ. (*a*)

(*b*) EXaudi nos, Deus salutaris noster, ut sicut beatæ Luciæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per &c.

Super oblata.

Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per &c.

Ad complendum.

Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris: Ejus, quæsumus, semper interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per &c.

DOMINICA TERTIA.

AD S. PETRUM.

(*c*) AUrem tuam, quæsumus, Domine, precibus nostris accommoda, & mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Per &c.

Super oblata.

Devotionis nostræ tibi, quæsumus, Domine, hostia jugiter immoletur, quæ & sacri peragat instituta mysterii, & salutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per &c.

Ad complendum.

Imploramus, Domine, clementiam tuam, ut hæc divina subsidia a vitiis expiatos ad festa ventura nos præparent. Per Dominum &c.

FERIA QUARTA.

AD S. MARIAM MAJOREM.

(*d*) PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut redemtionis nostræ ventura solemnitas & præsentis nobis vitæ subsidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per &c.

Alia.

Festina, quæsumus, Domine, ne tardaveris, & auxilium nobis supernæ virtutis impende; ut Adventus tui consolationibus subleventur, qui in tua pietate confidunt. Qui vivis &c.

Super oblata.

Accepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostra jejunia, quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad sempiterna perducant. Per Dominum nostrum &c.

Ad complendum.

Salutaris tui, Domine, munere satiati, supplices deprecamur, ut cujus lætamur gustu, re-

no-

a *Cod. Othobon.* Luciæ Virginis.
b *Antiphona*: Dilexisti justitiam.
Responsorium: Dilexisti justitiam.
Alleluja: Diffusa est.
Offertorium: Offerentur Regi.
Communio: Diffusa est gratia.
c *Antiphona*: Gaudete in Domino.
Responsorium: Qui sedes, Domine.
Alleluja: Excita, Domine.
Offertorium: Benedicite.
Communio: Dicite pusillanimis.
d *Antiphona*: Rorate, Cæli, desuper.
Responsorium: Tollite Portas.
Item Responsorium: Prope est Dominus.
Alleluja: Veni, Domine, & noli tardare.
Offertorium: Confortamini.
Item Offertorium: Ave, Maria.
Communio: Ecce Virgo.

novemur effectu. Per Dominum &c.

FERIA SEXTA.

AD APOSTOLOS.

(a) Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam, & veni, ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adversitate liberentur. Qui vivis & regnas &c.

Super oblata.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per &c.

Ad complendum.

Tui nos, Domine, sacramenti libatio sancta restauret, & a vetustate purgatos in mysterii salutaris faciat transire consortium. Per &c.

SABBATO.

In Duodecima Lectiones.

AD S. PETRUM.

(b) Deus, qui conspicis, quia ex nostra pravitate affligimur, concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur. Per &c.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut quia (c) sub peccati jugo ex vetusta servitute deprimimur, exspectata Unigeniti Filii tui nova Nativitate liberemur. Per eumdem &c.

Alia.

Indignos nos, quæsumus, Domine, famulos tuos, quos actionis propriæ culpa contristat, Unigeniti filii tui nos Adventu lætifica. Per eumdem &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Filii tui ventura solemnitas, & præsentis nobis vitæ remedia conferat, & præmia æterna concedat. Per eumdem &c.

Alia.

Preces Populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis affligimur, pietatis tuæ visitatione consolemur. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui tribus Pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per &c.

Super oblata.

Sacrificiis præsentibus, Domine, placatus intende, ut & devotioni nostræ proficiant & saluti. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per &c.

DIE DOMINICO VACAT.

Excita, Domine, potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiæ tuæ quod nostra peccata præpediunt,

a *Antiphona*: Prope est Dominus. *Responsorium*: Ostende nobis, Domine. *Versus*: Benedixisti, Domine. *Offertorium*: Deus, tu convertens. *Communio*: Ecce Dominus veniet.

b *Antiphona*: Veni, & ostende nobis. *Responsorium*: A summo cœlo. *Responsorium* secundum: In sole posuit. *Responsorium* tertium: Domine Deus virtutum. *Responsorium* quartum: Excita, Domine. *Tractus*: Qui regis Israel. *Offertorium*: Exsulta satis. *Communio*: Exsultavit, ut gigas.

c *Codex Othobon.* ut qui sub peccati jugo vetusta servitute.

diunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Super oblata.

Sacrificiis præsentibus, Domine, placatus intende, ut & devotioni nostræ proficiant & saluti. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sumtis muneribus, Domine quæsumus, ut cum frequentatione mysterii crescat nostræ salutis effectus. Per Dominum &c.

ALIÆ ORATIONES.

DE ADVENTU.

EXcita, Domine, potentiam tuam & veni, & quod Ecclesiæ tuæ promisisti, usque in finem seculi clementer operare. Qui vivis & regnas &c.

Alia.

Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, paratam sibi inveniat mansionem. Qui tecum &c.

Alia.

Prope esto, Domine, omnibus exspectantibus te in veritate, ut in Adventu Filii tui Domini nostri placitis tibi actibus præsentemur. Per eumdem. &c.

Alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut magnæ festivitatis ventura solemnia prospero celebremus effectu, pariterque reddamur & intenti cœlestibus disciplinis, & de nostris temporibus lætiores. Per Dominum &c.

Alia.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ visitationis illustra, ut esse, te largiente, mereamur & inter prospera humiles, & inter adversa securi. Per Dominum &c.

Alia.

Preces Populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui de Adventu Unigeniti Filii tui secundum carnem lætantur, in secundo, quum venerit in majestate sua, præmium æternæ vitæ percipiant. Per eumdem &c.

(*a*) I. Benedictio Cerei.
(*b*) II. Item Benedictio Cerei.
III. Orationes per singulas Lectiones in Sabbato Sancto.
IV. Item Orationes in Vigil. Pentecosten.
V. Benedictio Salis, (*c*) dandum Catechumeno: & inde sequuntur Orationes, qualiter baptizentur (*d*) hi, qui baptizandi sunt.
VI. Dominica I. post Natale Domini.
VII. Dominica II. post Natale Domini.
VIII. Dominica Prima post Theophania.
IX. Dominica II. post Theophania.
X. Dominica III. post Theophania.
XI. Dominica IV. post Theophania.
XII. Dominica V. post Theophania.
XIII. Dominica VI. post Theophania.
XIV. Dominica Prima post Octavas Paschæ.
XV. Dom. II. post Oct. Pasch.

XVI.

a Huic Indici Capitulorum Codex Othobonianus præmittit initium hoc: Incipiunt Capitula præfati Libelli.

b Hæc enuntiatio non legitur in Othoboniano.

c Salis, danda Catechumeno:

d In utroque Codice legendum: ii, qui

XVI. Dominica III. post Octavas Paschæ.
XVII. Dominica IV. post Octavas Paschæ.
XVIII. Dominica (*a*) Prima post Ascensa Domini.
XIX. Dominica Prima post Pentecosten.
XX. Dominica II. post Pentecosten.
XXI. Dominica III. post Pentecosten.
XXII. Dominica IV. post Pentecosten.
XXIII. Dominica V. post Pentecosten.
XXIV. Dominica VI. post Pentecosten.
XXV. Dominica VII. post Pentecosten.
XXVI. Dominica VIII. post Pentecosten.
XXVII. Dominica IX. post Pentecosten.
XXVIII. Dominica X. post Pentecosten.
XXIX. Dominica XI. post Pentecosten.
XXX. Dominica XII. post Pentecosten.
XXXI. Dominica XIII. post Pentecosten.
XXXII. Dominica XIV. post Pentecosten.
XXXIII. Dominica XV. post Pentecosten.
XXXIV. Dominica XVI. post Pentecosten.
XXXV. Dominica XVII. post Pentecosten.
XXXVI. Dominica XVIII. post Pentecosten.
XXXVII. Dominica XIX. post Pentecosten.
XXXVIII. Dominica XX. post Pentecosten.
XXIX. Dominica XXI. post Pentecosten.
XL. Dominica XXII. post Pentecosten.
XLI. Dominica XXIII. post Pentecosten.
XLII. Dominica XXIV. post Pentecosten.
XLIII. Item aliæ Missæ in cotidianis diebus.
XLIV. Alia.
XLV. Alia.
XLVI. Alia.
XLVII. Alia.
XLVIII. Alia.
XLIX. Missa in Natale unius Apostoli.
L. In Natale plurimorum Apostolorum.
LI. In Natale unius Mart.
LII. In Natale plurim. Mart.
LIII. In Natale unius Confess.
LIV. In Natale plur. Confess.
LV. In Natale Virginis.
LVI. Missa ad poscenda suffragia Sanctorum.
LVII. (*b*) Orationes ad Clericum faciendum.
LVIII. Benedictio Vestium Virginis, vel Viduæ, & Consecratio Virginis.
LXIX. Benedictio Altaris.
LX. Consecratio Altaris.
LXI. Ad consecrandam Paten.
LXII. Ad Calicem benedicendum.
LXIII. (*c*) Orationes in Dedicationis Fontis.
LXIV. Missa in Anniversario Dedicationis Basilicæ.
LXV. Missa pro Regibus.
LXVI. Missa quotidiana pro Rege.
LXVII. (*d*) Orationes ad Missa tempore Synodi pro Rege dicendas.

a Dominica post Ascensa Domini.
b Oratio ad Clericum faciendum.
c Oratio in
d Oratio ad Missa tempore Synodi, pro Rege dicenda.

(a) LXVIII. Missa specialis Sacerdotis cum Præfatione.
LXIX. Item alia cum Præfatione.
LXX. Missa pro Amico, vel pro quo volueris.
LXXI. Alia.
LXXII. Alia.
LXXIII. Missa pro salute Vivorum.
LXXIV. Item alia pro Familiaribus.
LXXV. Missa pro Abbate (b), vel Congregatione.
LXXVI. (c) Orationes in Monasterio Monachorum.
LXXVII. (d) Orationes pro Fratribus in via dirigendis.
LXXVIII. Oratio pro redeuntibus de itinere.
LXXIX. Oratio in adventu Fratrum supervenientium.
LXXX. Missa pro iter agentibus.
LXXXI. Missa pro navigantibus.
LXXXII. Missa pro Peccatis.
LXXXIII. (e) Orationes in tempore belli.
LXXXIV. Missa in tempore belli.
LXXXV. Alia.
LXXXVI. Alia.
LXXXVII. Missa pro Pace.
LXXXVIII. Missa pro quacumque Tribulatione.
LXXXIX. Missa pro Peste Animalium.
XC. Missa in Contentione.
XCI. Missa contra Judices male agentes.
XCII. Missa contra Obloquentes.
XCIII. (f) Orationes ad Pluviam postulandam.
XCIV. (g) Missam ad Pluviam postulandam.
XCV. (h) Orationes ad poscendam Serenitatem.
XCVI. Missa ad poscendam Serenitatem.
XCVII. Missa ad repellendam Tempestat.
XCVIII. Orationes & Preces super Pœnitentem, confitentem peccata sua, more solito Feria Quarta (i) infra Quadragesimam.
XCIX. Orationes ad reconciliandum Pœnitentem, Feria Quinta in Cœna Domini.
C. (k) Orationes ad visitandum Infirmum.
CI. Missa pro Infirmis.
CII. (l) Orationes pro reddita Sanitate.
CIII. Reconciliatio Pœnitentis ad mortem.
CIV. (m) Orationes in agenda Mortuorum.
CV. Missa unius Defuncti.
CVI. Missa pro Defuncto nuper baptizato.
CVII. (n) Orationes pro Defunctis desiderantibus pœnitentiam, & minime consequentibus.

CVIII.

a Numerorum seriem heic interturbat Codex Vaticanus, repetens notam numeralem LXVI. *Ut ordo constet, scribo ego* LXVIII. *suoque loco ceteros numeros restituo.*
b Codex Othobon. vel pro Congregatione.
c Oratio in
d Oratio in
e Oratio in
f Oratio ad
g Missa ad
h Oratio ad
i in Quadragesima.
k Oratio ad
l Oratio pro
m Oratio in
n Oratio pro

CVIII. Missa in anniversario unius Defuncti.
CIX. Missa plurimorum Defunctorum.
CX. Alia.
CXI. Alia.
CXII. Missa in Cimiteriis.
CXIII. Missa pro salute Vivorum, vel agenda Mortuorum.
CXIV. Exorcismus Salis.
CXV. Benedictio Salis.
CXVI. Exorcismus Aquæ.
CXVII. Benedictio Aquæ.
CXVIII. Benedictio Salis & Aquæ pariter.
CXIX. (*a*) Orationes, quando Aqua spargitur in domo.
CXX. Benedictio Domus.
CXXI. (*b*) Orationes contra Fulgore.
CXXII. (*c*) Orationes super Vasa, in loco antiquo reperta.
CXXIII. Benedictio Putei.
CXXIV. Benedictio Uvæ, vel Favæ.
CXXV. Benedictio ad Fruges novas.
CXXVI. Benedictio ad omnia, quæ volueris.
CXXVII. Benedictio Panis.
CXXVIII. (*d*) Orationes ante Cibum, & post Cib.
CXXIX. Oratio in Sacrario.
CXXX. Oratio, ubi Vestimenta conservantur.
CXXXI. Oratio in Refectorio.
CXXXII. Oratio in Dormitorio.
CXXXIII. Oratio in Cellario.
CXXXIV. Oratio in Scriptorio.
CXXXV. Oratio in Hospitali.
CXXXVI. Oratio in domo Infirmorum.
CXXXVII. Oratio in Area.
CXXXVIII. Oratio in Granario.
CXXXIX. Oratio in Pistrino.
CXL. Oratio in Coquina.
CXLI. Oratio in Lardario.
CXLII. Oratio in Caminata.
CXLIII. Orationes Matutinales & Vespertinales.
CXLIV. (*e*) Impositio manuum super Energumenum Catechumenum.
CXLV. (*f*) Item aliæ pro Parvulo Energumeno.
CXLVI. Item aliæ Orationes super Energumeno baptizato. (*g*)

a Oratio, quando Aqua aspergitur in domo.
b Oratio contra Fulgora.
c Oratio super
d Oratio ante
e Oratio, impositio manuum super Energumenum, vel Catechumenum.
f Item alia pro
g In Codice Othoboniano sequitur prima Antiquarii manu exaratum Capitulum hoc: Reconciliatio Altaris, sive Basilicæ, ubi homicidium perpetratur.

(76)

Deum, indultorem criminum, Deum cordium mundatorem, Deum, qui concretum peccatis orginalibus Mundum, Adventus sui nitore purificavit, Fratres Carissimi, supplices deprecamur, ut cum Diaboli furentis insidiis fortis nobis pugnator assistat, & si quid ejus virus a calliditatis cotidianis insectationibus maculatum in nobis corruptumque perfecerit, efficiatur cœlesti miseratione purgatum, quod fuerat Diabolica fraude pollutum; quia sicut illius est solidum perfectumque quassare, ita Auctoris nostri est lapsa restituere & nutantia stabilire. Per &c.

Alia.

Deus, cujus bonitas ut non habuit principium, ita terminum non habet, qui dum pietate completus eligis in nobis magis restituere perdita, quam percutere peritura; & si quid aut negligentia polluit, aut ira comminuit, aut stimulat ebrietas, aut libido subvertit, sustines, ut ante per gratiam purifices, quam percutias per furorem; & operis tui providus Plastis eligis potius erigere jacentia, quam punire damnata: te supplices deprecamur, ut hujus tabernaculi receptaculum placatus accipias, & Altare tuum, quod insectantis est inimici frau-

I.

(76) (76)BENEDICTIO CEREI.

EXsultet jam Angelica turba Cœlorum. Exsultent divina mysteria, & pro tanti Regis victoria tuba intonet (sic) salutaris. (*) Gaudeat tellus irradiata fulgoribus, & æterni Regis splendore lustrata, totius Orbis se sentiat amisisse caliginem. Lætetur & mater Ecclesia, tanti luminis adornata fulgoribus, & magnis Populorum vocibus hæc aula resultet. Quapropter adstantibus vobis, fratres carissimi, ad tam miram sancti hujus luminis claritatem, una mecum, quæso, Dei omnipotentis misericordiam invocate, ut qui me non meis meritis intra Levitarum numerum dignatus est aggregare, luminis sui gratia infundente, Cerei hujus laudem implere (*a*) perficiat. Per Dominum.

Sursum corda.

Respondetur:

Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Respondetur:

Dignum & justum est.

Vere quia dignum & justum est, invisibilem Deum, omnipotentem Patrem, Filiumque (*b*) Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, toto cordis ac mentis affectu & vocis ministerio personare. Qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum solvit, & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit. Hæc sunt enim Festa Paschalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, (*c*) ejusque Sanguis postibus consecratur. In quo primum Patres nostros filios Israel (*d*) eductos de Ægypto, rubrum mare sicco vestigio transire fecisti. Hæc igitur nox est, quæ peccatorum tenebras columnæ illuminatione purgavit. Hæc nox est, quæ hodie per universum Mundum (*e*) in Christum credentes, a vitiis seculi segregatos & caligine peccatorum, reddit gratiæ, sociat sanctitati. Hæc nox est, in qua destructis vinculis mortis, Christus ab inferis victor ascendit. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi potuisset. O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! O inæstimabilis dilectio caritatis! Ut Servum redimeres, Filium tradidisti. O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemtorem! O beata nox, quæ sola meruit scire tempus & horam, in qua Christus ab inferis resurrexit! Hæc nox est, de qua scriptum est: *& nox illuminatio mea in deliciis meis*. Hujus igitur sanctificatio noctis fugat scelera, cul-

pas

fraude pollutum, per infusionem gratiæ cœlestis purifices, purificatumque possideas. Absint in posterum omnes nequitiæ spiritales & eliminentur. Extinguatur antiqui Serpentis invidia, & cum fratribus suis Diaboli turma pellatur. Afferat secum maculam, quam ingessit, & perennibus quandoque suppliciis deputatus, operum suorum semina secum colligat peritura. Nihil postmodum noceat præteriti culpa contagii; nihil sit, quod maneat inimici fraude pollutum, quandoquidem per Spiritus tui est infusione purgatum. Resurgat Ecclesiæ pura simplicitas, & candor innocentiæ hactenus maculatus, dum recipit gratiam, revertatur ad gloriam, ut Populorum ista turba conveniens, dum petitionis ingerit vota, votorum se sentiat obtinuisse suffragia. Per &c.

* *In Cod. Othobon.* Gaudeat se tantis tellus &c.

a Codex Othobonianus addit: perficiat Jesus Christus Dominus noster, qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula.

b Filiumque ejus Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum cum Sancto Spiritu, toto.

c Ejusque Sanguine postes consecrantur. In qua primum.

d Israel eduxisti de Ægypto, quos postea rubrum.

e primis curis: in Christo credentes,

pas lavat, & reddit innocentiam lapsis, mœstis lætitiam. Fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia.

In hujus igitur Noctis gratia suscipe, sancte Pater, sacrificium vespertinum, quod tibi in hac Cerei oblatione solemni per Ministrorum manus de operibus Apium sacrosancta reddit Ecclesia. Sed jam columnæ hujus præconia novimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit. Qui licet divisus in partes, mutuati (*a*) luminis detrimenta non novit. Alitur liquentibus ceris, quas in substantiam pretiosæ hujus lampadis, (*b*) Apis mater eduxit. Apis cæteris, quæ subjecta sunt homini, animantibus antecellit. Quum sit minima corporis parvitate, ingentes animos angusto versat in pectore; viribus imbecillis, sed fortis ingenio. Hæc explorata temporum vice, quum canitiem pruinosa hiberna posuerint, (*c*) & glaciali senio verni temporis moderata deterserint, statim prodeundi ad laborem cura succedit. Dispersæque per agros libratis paululum (*d*) pinnis, cruribus suspensis insidunt; parte ore legere flosculos, oneratis victualibus suis, ad castra remeant. Ibique aliæ inæstimabili arte cellulas tenaci glutino instruunt, aliæ liquantia mella stipant, aliæ vertunt flores in ceram, aliæ ore natos fingunt, (*e*) aliæ collectis e foliis nectar includunt. O vere beata & mirabilis (*f*) Apis, cujus nec sexum masculi violant, fœtus non quassant, nec filii destruunt castitatem! sicut sancta concepit Virgo Maria, Virgo peperit, & Virgo permansit. O vere beata Nox, quæ exspoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos, nox, in qua terrenis cælestia junguntur. Oramus te, Domine, ut Cereus iste, in honorem nominis tui ✠ consecratus, ad noctis hujus caliginem destruendam indeficiens perseveret, in odorem suavitatis acceptus, supernis luminaribus misceatur. Flammas ejus Lucifer matutinus inveniat. Ille inquam Lucifer, qui nescit occasum. Ille, qui regressus ab inferis, humano generi serenus illuxit. Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos, omnem Clerum, & devotissimum Populum, (*g*) una cum Patre nostro Papa (Adriano, *alia manu superpositum est*) quiete temporum concessa (*h*) in his Paschalibus gaudiis conservare digneris. Per Dominum &c.

II.

(*i*) ALIA BENEDICTIO CEREI.

DEus, Mundi conditor, auctor luminis, siderum fabricator: Deus, qui jacentem Mundum in tenebris luce perspicua retexisti: Deus, per quem ineffabili potentia omnis claritas sumsit exordium; te in tuis operibus invocantes in hac sacratissima Noctis Vigilia, de donis tuis Cereum tuæ suppliciter offerimus majestati, non adipe carnis pollutum, nec profana unctione vitiatum, non sacrilego igne contactum, sed cera, oleo, atque papyro constructum, in tui nominis honorem succensum, obsequio religiosæ devotionis offerimus. Magnum igi-

a mutuati tamen luminis.
b Apes mater eduxit. Apes cæteris.
c & glaciale senium verni.
d paululum pennis, cruribus.
e aliæ namque collectis.
f mirabilis Apes, cujus.
g una cum patre nostro Papa (*illo*) & piissimo Imperatore. (*Posteriori manu additum fuit*: Rege) quiete &c.
h *Cod. Othob.* in his festis Paschalibus conservare digneris. Per Dominun nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum. AMEN.
i *Hæc Benedictio in Cod. Oth. non legitur.*

igitur myſterium, & noctis hujus mirabile Sacramentum, dignis neceſſe eſt laudibus cumulare. In quo Dominicæ Reſurrectionis miraculo diem ſibi introductum tenebræ inveteratæ ſenſerunt; & mors, quæ olim fuerat æterna nocte damnata, inſerto veri fulgoris lumine, captivam ſe trahi Dominicis triumphis obſtupuit. At quod prævari canti primoplaſto tenebroſa præſumtione fuerat in ſervitute damnatum, hujus noctis miraculum ſplendore libertatis irradiat. Ad hujus ergo feſtivitatis reverentiam fervore ſpiritus deſcendentes, quantum devotio humana exigit, tibi Deo, fulgore flammarum, placida luminaria exhibemus; ut dum hæc fide integra perſolvuntur, creaturæ tuæ etiam præconia extollantur. Flammæ lux quippe dicenda eſt, per quam poteſtas Deitatis Moyſi apparere dignata eſt. Quæ de terra ſervitutis Populo exeunti ſalutifero lumine ducatum exhibuit: quæ tribus Pueris, in camino ſententia tyrannidi depoſitis, vitam blandimentis mollioribus reſervavit. Nam ut præcedente hujus luminis gratia, tenebrarum horror excluditur, ita, Domine, luceſcente majeſtatis tuæ imperio, peccatorum ſarcinæ diluuntur.

Quum igitur hujus ſubſtantiæ miramur exordium, Apum neceſſe eſt laudemus originem. Apes vero ſunt frugales in ſumtibus, in procreatione caſtiſſimæ. Ædificant cellulas, cereo liquore fundatas; quarum humanæ peritiæ ars magiſtra non coæquat. Legunt pedibus flores, & nullum damnum in floribus invenitur. Partus non edunt, ſed ore legentes concepti fœtus reddunt examina. Sicut exemplo mirabili Chriſtus ore paterno proceſſit, fœcunda eſt ſine partu Virginitas, quam utique Dominus, dignatus carnalem ſe Matrem habere, Virginitatis amore conſtituit. Talia igitur, Domine, digna ſacris Altaribus tuis munera offeruntur, quibus te lætari Religio Chriſtiana non ambigit. Veniat ergo, omnipotens Deus, ſuper hunc Incenſum larga tuæ benedictionis infuſio, & hunc nocturnum ſplendorem, inviſibilis Regnator, intende; ut non ſolum ſacrificium, quod hac nocte litatum eſt, arcana luminis tui admixtione refulgeat, ſed quocumque loco ex hujus aliquid ſanctificationis fuerit myſterio deportatum, expulſa diabolicæ fraudis nequitia, virtutis tuæ majeſtas aſſiſtat. Per Dominum &c.

ORATIO

POST BENEDICTIONEM CEREI,

dicenda, antequam legatur prima Lectio Geneſis: *In principio*.

Deus, qui divitias miſericordiæ tuæ in hac præcipue Nocte largiris, propitiare univerſo Ordini Sacerdotalis officii, & omnes Gradus famulatus noſtri perfecta delictorum remiſſione ſanctifica, ut miniſtraturos regeneratricis gratiæ tuæ nulli eſſe obnoxios patiaris offenſæ. Per Dominum &c.

III.

ORATIONES

PER SINGULAS LECTIONES IN SABBATO SANCTO.

Prima Lectio: *In principio*.

DEus, qui mirabiliter creaſti hominem, & mirabilius redemiſti: da nobis (*a*) contra oblectamenta peccati mentis ratione perſiſtere, ut mereamur ad gaudia æterna pervenire. Per Dominum &c.

Se-

a nobis, quæſumus, contra.

Sequitur DE NOE SECUNDA (*a*).

Deus, incommutabilis virtus, lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ tuæ mirabile Sacramentum, & opus salutis humanæ perpetuæ dispositionis effectu tranquillius operare: totusque Mundus experiatur & videat, dejecta erigi, inveterata novari, & per ipsum redire omnia in integrum, a quo sumsere principium. Per Dominum &c.

DE ABRAHAM TERTIA.
Tentavit Deus Abraham.

Deus, fidelium Pater summe qui (*b*) toto orbe terrarum promissionis tuæ filios tua diffusa adoptione multiplicas, & per Paschale Sacramentum Abraham puerum tuum universarum, sicut jurasti, gentium efficis patrem: da Populis tuis digne ad gratiam tuæ vocationis intrare. Per Dominum &c.

IN EXODO QUARTA.
Factum est in Vigilia (*c*)

Cum Cantico: *Cantemus Domino.*

Deus, cujus antiqua miracula etiam nostris seculis coruscare sentimus, dum quod uni Populo a persequutione Ægyptia liberando dexteræ tuæ potentia contulisti, id in salutem gentium per Aquam regenerationis operaris: præsta, ut & in Abrahæ filios, & in Israeliticam dignitatem totius Mundi transeat plenitudo. Per Dominum &c.

IN ESAIA QUINCTA.
Hæc est hereditas servorum (*d*).

Omnipotens sempiterne Deus, multiplica in honorem nominis tui, quod Patrum fidei spopondisti, & promissionis filios sacra adoptione dilata, ut quod priores Sancti non dubitaverunt, Ecclesia tua magna jam ex parte cognoscat impletum. Per Dominum &c.

IN HIEREMIA SEXTA.
Audi Israel mandata vitæ.

Deus, qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas: concede propitius, ut quos Aqua Baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per &c.

IN EZECHIEL SEPTIMA.
Facta est super me manus Domini.

Deus, qui nos ad celebrandum Paschale Sacramentum utriusque Testamenti paginis imbuisti: da nobis intelligere misericordias tuas, ut ex perceptione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum. Per Dominum &c.

IN ESAIA OCTAVA.

(*e*) *Apprehenderunt septem Mulieres.*

Cum Canticum: *Vinea* (*f*) *Domini.*

Deus, qui in omnibus Ecclesiæ tuæ filiis sanctorum Prophetarum voce manifestasti in omni loco dominationis tuæ, satorem te bonorum seminum, & electorum palmitum esse cultorem: tribue, quæsumus, Populis tuis, qui & vinearum apud te nomine censentur, & segetum, ut spinarum & tribulorum squallore resecato (*g*) digni efficiantur fruge fœcunda. Per &c.

IN

a Secunda Lectio.
b qui in toto orbe
c *Vigilia matutina.*
d *servorum Domini.*
e *Apprehendent septem*
f *Vinea facta est.*
g digna efficiantur fruge fœcundi. Per &c.

IN EXODO NONA.

Dixit quoque Dominus. (*a*)

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum diſpenſatione mirabilis es: intelligant redemti tui, non fuiſſe excellentius, quod initio factus eſt Mundus, quam quod in fine ſeculorum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, qui tecum &c.

DE JONA DECIMA.

Deus, qui diverſitatem omnium gentium in confeſſione tui nominis (*b*) adunaſti: da nobis & velle & poſſe, quod præcipis, ut Populo ad æternitatem vocato una ſit fides mentium & pietas actionum. Per &c.

IN DEUTERON. UNDECIMA.

Scripſit Moyſes Canticum.

Cum Cantico: *Attende, Cœlum.*

Deus, celſitudo humilium, & fortitudo rectorum, qui per ſanctum Moyſen puerum tuum ita erudire populos tuos ſacri carminis tui decantatione voluiſti, ut illa Legis iteratio fieret etiam noſtra directio: excita in omnem juſtificatarum [gentium plenitudinem potentiam tuam, & da lætitiam, mitigando terrorem, ut omnium peccatis tua remiſſione deletis, quod denuntiatum eſt in ultionem, tranſeat in ſalutem. Per Dominum &c.

IN DANIEL DUODECIMA.

Nabuchodonoſor.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſpes unica Mundi, qui Prophetarum tuorum præconio præſentium temporum declaraſti myſteria: auge populi tui vota placatus, quia in nullo fidelium niſi ex tua inſpiratione proveniunt quarumlibet incrementa virtutum. Per Dom. &c.

ORATIO. POST PSALMUM QUADRAGESIMUM PRIMUM.

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius ad devotionem populi renaſcentis, qui ſicut Cervus aquarum expetit ſontem; & concede propitius, ut Fidei ipſius ſitis Baptiſmatis myſterio animam corpuſque ſanctificet. Per Dom. &c.

I V.

(*c*) *Oratio dicenda in Vigilia Pentecoſten, antequam legatur prima Lectio.*

Da nobis, quæſumus, Domine, per gratiam Spiritus Sancti novam tui Paracliti ſpiritalis obſervantiæ diſciplinam, ut mentes noſtræ, ſacro purgatæ jejunio, cunctis reddantur (*d*) ejus muneribus aptiores. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejuſdem Spiritus Sancti. Per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

PRIMA LECTIO GENESIS.

In principio.

Omnipotens ſempiterne Deus, indeficiens lumen; qui Spiritum tuum Sanctum, quum ſuper aquas in Mundi creationis exordio ferretur, humanæ declaraſti ſalutis Auctorem: præſta, quæſumus, ut idem Spiritus veritatis Eccleſiæ tuæ dona multiplicet. Per Dom. noſtrum, ut ſupra &c.

IN

a *Dominus ad Moyſen.*
b nominis effeciſti: da
c Orationes dicendæ in
d reddantur muneribus aptiores. Per.

IN GENESI SECUNDA.
Tentavit Deus. (*a*)

Deus, qui in Abrahæ famuli tui opere, humano generi obedientiæ exempla præbuisti: concede nobis, & nostræ voluntatis pravitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per Dominum &c.

IN EXODO TERTIA.
(*b*) *Facta est in Vigilia.*

Cum Cantico: *Cantemus Domino.*

Deus, qui primis temporibus impleta miracula novi Testamenti luce reserasti; quod Mare Rubrum forma sacri Fontis exsisteret, & liberata plebs ab Ægyptia servitute Christiani populi sacramenta præferret: da, ut omnes gentes Israelis privilegium merito Fidei consequutæ, Spiritus tui participatione regenerentur. Per Dominum, ut supra &c.

IN DEUTERONOMIO QUART.
Scripsit Moyses Canticum.

Cum Cantico: *Attende, Cœlum.*

Deus, gloriatio fidelium, & vita justorum; qui per Moysem famulum tuum nos quoque modulatione sacri Carminis erudisti; in universis gentibus misericordiæ tuæ munus operare, tribuendo beatitudinem, auferendo terrorem: ut quod prænunciatum est ad supplicium, in remedium transferatur æternum. Per Dominum &c.

IN ISAIA QUINCTA.
(*c*) *Apprehenderunt septem Mulieres.*

Cum Cantico: *Vinea facta est.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui per unicum Filium tuum Ecclesiæ tuæ demonstrasti te esse cultorem, ut omnem palmitis (*d*) fructum in eodem Christo tuo, qui vera vitis est, afferentem clementer excolens, fructus afferat ampliores: fidelibus tuis, quos velut vineam ex Ægypto per Fontem Baptismi transtulisti, nullæ peccatorum spinæ prævaleant; ut Spiritus tui sanctificatione muniti, perpetua fruge ditentur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus Sancti. Per omnia secula seculorum.

IN HIEREMIA SEXTA.
Audi Israel mandata vitæ.

Deus, qui nobis per Prophetarum ora præcepisti, temporalia relinquere, atque ad æterna festinare: da famulis tuis, ut quæ (*e*) a te jussa cognovimus, implere cœlesti inspiratione valeamus. Per Dominum &c.

DE PSALMO QUADRAGESIMO PRIMO.

Sicut Cervus desiderat.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui solemnitatem (*f*) doni Spiritus Sancti colimus, cœlestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus. Per Dominum, ut supra.

a Deus Abraham.
b *Factum est in*
c *Apprehendent septem*
d omnem palmitem fructum
e a te visa cognovimus
f solemnitatem dono Spiritus

Item alia.

Domine, Deus virtutum, qui collapsa reparas, & reparata conservas, auge Populos, in tui nominis sanctificatione renovandos; ut omnes, qui diluuntur sacro Baptismate, tua semper inspiratione dirigantur. Per Dominum nostr. &c.

(*a*) *Inde descendendum ad Fontes cum Letania.*

ORATIO

AD CATECHUMENUM FACIENDUM.

Omnipotens sempiterne Deus (*b*), respicere dignare super hunc famulum tuum, quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es. Omnem cœcitatem cordis ab eo expelle. Disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus. Aperi ei januam pietatis tuæ; ut signo sapientiæ indutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, atque ad suavem odorem præceptorum tuorum, lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, & proficiat de die in diem (*c*), signatus promissis gratiæ tuæ; per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare &c.

V.

(*d*) BENEDICTIO SALIS.

Benedic, omnipotens Deus, hanc creaturam Salis tua benedictione cœlesti, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Sancti Spiritus tui, ad effugandum inimicum. Quem sanctificando sanctifices, & benedicendo benedicas. Fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus sumentium, in nomine Domini nostri Jesu Christi.

(*e*) *Hac oratione expleta accipiat Sacerdos de eodem Sale, & ponat in ore Infantis, dicendo:*

Accipe Sal sapientiæ (*f*) in vitam æternam.

Oratio post datum Salem.

Deus patrum nostrorum, Deus uni-

a Inde descendunt ad

b Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere.

c in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui percepta medicina. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est &c.

In Codice Otholoniano protinus adduntur Orationes sequentes:

Alia.

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum Crucis Dominicæ, cujus impressione eum signamus, virtute custodi, ut magnitudinis gloriæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis pervenire gloriam mereatur. Per &c.

Alia.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare Populis adoptivis, & Novo Testamento sobolem novæ prolis adscribe, ut filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per &c.

d Idem Codex subnectit Exorcismum hunc diversum a Benedictione Codicis Vaticani. Benedictio Salis, ad dandum Catechumenis.

Exorcizo te, creatura Salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini nostri Jesu Christi, & in virtute Spiritus Sancti. Exorcizo te per Deum vivum, & per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & Populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit; ut in nomine Sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam Salis sanctificando ✠ sanctifices, benedicendo ✠ benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos &c.

e Heic rursus concordant ambo Codices.

f sapientiæ propitiatus in vitam æternam

universæ conditor (*a*) creaturæ : te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum respicere digneris propitius, & hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo expleatur cœlesti; quatenus sit semper, Domine, spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum ad novæ generationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Dominum.

(*b*) *Iterum fac Crucem in fronte ejus & dic hanc Orationem.*

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in Monte Sinai apparuisti, & filios Israel de terra Ægypti eduxisti deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte: te, quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum, ut similiter custodiat & hunc famulum tuum, & perducat eum ad gratiam Baptismi.

Ergo, maledicte Diabole, recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto; & recede ab hoc famulo Dei (*c*), quem Deus & Dominus noster ad suam gratiam & benedictionem vocare dignatus est. Et hoc signum sanctæ Crucis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte Diabole, numquam audeas violare.

(*d*) *Item.*

Deus immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicium, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum: te invoco (*e*) super hunc famulum tuum, qui Baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spiritali regeneratione desiderat. Accipe eum, Domine; & quia dignatus es dicere: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis*; petenti itaque præmium porrige, & januam pande pulsanti, ut æternam cœlestis lavacri benedictionem (*f*) percipiat. Per Dominum &c.

a conditor veritatis: te

b Iterum faciat Crucem in fronte ejus, & dicat hanc Orationem

c Dei; quia istum sibi Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptismatis vocare

Othobonianus addit Orationem hanc.

Item super fœminas.

Deus Cæli, Deus Terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium: Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum: te invoco, Domine, super hanc famulam tuam, ut perducere eam digneris ad gratiam Baptismi tui. Ergo, maledicte, ut supra.

d *Codex Othobon.* Item super masculos.

e invoco, Domine, super.

f percipiat. Audi, maledicte Satanas, adjuratus per nomen æterni Dei, & Salvatoris nostri Filii ejus. Cum tua victus invidia tremens, gemensque discede. Nihil tibi sit commune cum servo Dei jam cœlestia cogitante, renuntiatore tibi ac seculo tuo, & beatæ immortalitatis victore. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa cœli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, idest sanctificatum Deo templum, & habitum perficiat; ut ab omnibus penitus noxis præteritorum criminum liberatus servus Dei gratias perenni Deo referat semper, & benedicat nomen ejus sanctum in secula seculorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est &c.

Item super fœminam.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob: Deus, qui Tribus Israel de Ægyptia servitute liberatas per Moysen famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in Deserto monuisti, & Susannam de falso crimine liberasti: te supplex deprecor, Domine, ut liberes & hanc famulam tuam, & perducere eam digneris, ad gratiam Baptismi tui. Ergo, maledicte &c.

Item

(*a*) *Item Ora super masculos vel super fœminas.*

Æternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte,
(77) Pater omnipotens, æterne Deus (*b*) (Require in Gregoriano.) (77)

IN SABBATO SANCTO.

Oratio ad catechizandum (*c*) *Infantem.*

Nec te latet, Satanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui venturus est, velut clibanus ardens, in quo tibi, atque Angelis tuis æternus superveniet interitus. Proinde, damnate, da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, & Spiritui Sancto, in cujus nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es, Spiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Deus & Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptismatis, vocare dignatus est, ut fiat ejus templum per Aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Inde vero tangat ei nares & aures de sputo, & dicat ad aurem.

Effeta, quod est adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, Diabole. Appropinquabit (*d*) enim judicium Dei.

Postea verò tangit (*e*) *ei pectus, & inter scapulas de Oleo exorcizato, Crucem faciendo cum pollice, & vocato nomine ejus* (*f*) *dicas:*

Abrenuntias Satanæ?
Respondet:
Abrenuntio.
Et omnibus operibus ejus?
Respondet:
Abrenuntio.
Et omnibus pompis ejus?
Respondet:
Abrenuntio. (*g*)

His expletis procedat Sacerdos ad Fontes benedicendos, & dicat benedictionem Fontis, sicut superius in Gregoriano (78) *continetur. Benedicto Fonte, & eo tenente Infantem, a quo suscipiendus est, interroget Sacerdos ita:* (78)

Quis

Item super masculum.

Exorcizo te, immunde Spiritus, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus supra mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo &c.

Item super fœminam.

Exorcizo te, immunde Spiritus, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ut exeas & recedas ab hac famula Dei. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui Cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo &c.

a Super Masculum vel Fœminam.

b Deus luminis & veritatis super hunc famulum tuum, & famulam tuam, ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum & sanctifica. Da ei scientiam veram, ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui. Teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus sit ad percipiendam gratiam Baptismi tui. Per Dominum nostrum, qui venturus est &c.

c ad catechizandum Infantes, Sabbathorum mane reddentes Symbolum. Prius catechizas eos imposita manu super capita eorum his verbis. Nec te latet &c.

d Appropinquavit enim.

e tangat ei pectus.

f ejus dicat:

g *Alius Amanuensis addit in Othoboniano parenthesin hanc.* (Et ego te linio Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. Inde vero dicit Symbolum.)

Quis vocaris?

Respondet:

(*Ille.*)

Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem Cæli & Terræ?

Respondet:

Credo.

Et in Jesum Christum, Filium ejus, unicum Dominum nostrum, natum, & passum?

Respondet:

Credo.

Credis & in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, remissionem (*a*) peccatorum, carnis resurrectionem?

Respondet:

Credo.

Deinde baptizat (b) Sacerdos sub trina mersione tantum, Sanctam Trinitatem semel invocans, ita dicendo;

Et ego te baptizo in nomine Patris;

Et mergat semel:

Et Filii;

Et mergat iterum:

Et Spiritus Sancti;

Et mergat tertio:

Ut autem surrexerit a Fonte, faciat (c) Presbyter Signum Crucis de Chrismate cum pollice in vertice ejus, dicens hanc Orationem:

Deus omnipotens, Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex Aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linit Chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam.

Respondet:

Amen.

Et vestitur Infans vestimentis suis. Si vero Episcopus adest, statim Confirmari eum oportet Chrismate, & postea Communicare. Et si Episcopus deest, Communicetur a Presbytero, dicente ita:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Amen.

VI.

DOMINICA PRIMA. (79) POST NATALE DOMINI. (79)

Deus, qui salutis æternæ beatæ Mariæ Virginitate fœcunda humano generi præmia præstitisti, tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis in tercede sentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui tecum &c.

Super oblata.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, & cælestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, qui Nativitatem Domini nostri Jesu Christi nos frequentare gaudemus, dignis conversationibus ad ejus mereamur pertinere consortium. Per eumdem &c.

VII.

DOMINICA SECUNDA (80) (80)

POST NATALE DOMINI.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Per eumdem.

Super oblata.

Concede, quæsumus, Domine, ut oculis tuæ majestatis munus oblatum, & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dom. &c.

Ad

a remissionem omnium peccatorum,
b baptizet Sacerdos

c faciat Sacerdos Signum.

Ad complendum.

Per hujus, Domine, operationem myſterii & vitia noſtra purgentur, & juſta deſideria compleantur. Per Dominum &c.

VIII.

DOMINICA PRIMA POST THEOPHANIA (*a*).

VOta, quæſumus, Domine, ſupplicantis populi cœleſti pietate proſequere, ut & quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda, quæ viderint, convaleſcant. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblatum tibi, Domine, ſacrificium vivificet nos ſemper & muniat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas. Per Dominum &c.

IX.

DOMINICA SECUNDA POST THEOPHANIA.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cæleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes Populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblata, Domine, munera ſanctifica, noſque a peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Augeatur in nobis, Domine, quæſumus, tuæ virtutis operatio, ut divinis vegetati Sacramentis, ad eorum promiſſa capienda tuo munere præparemur. Per Dominum &c.

X.

DOMINICA TERTIA POST THEOPHANIA.

OMnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ majeſtatis extende. Per &c.

Super oblata.

Hæc hoſtia, Domine, quæſumus, emundet noſtra delicta, (*b*) & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet. Per &c.

Ad complendum.

Quos tantis, Domine, largiris uti myſteriis, quæſumus, ut effectibus eorum veraciter aptare digneris. Per Dominum &c.

XI.

DOMINICA QUARTA POST THEOPHANIA.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere, da nobis ſalutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut hujus ſacrificii munus oblatum fragilitatem noſtram ab omni malo purget ſemper & muniat. Per &c.

Ad complendum.

Munera tua nos, Deus, a delectationibus terrenis expediant, & cœleſtibus ſemper inſtruant alimentis. Per Dominum &c.

XII.

a Poſt Theophaniam. *Sic & ubique in Otholoniano.*

b & ad ſacrificium

XII.

DOMINICA QUINCTA POST THEOPHANIA.

FAmiliam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, placationis offerimus, ut & delicta nostra miseratus absolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut illius salutaris capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dominum &c.

XIII.

DOMINICA SEXTA POST THEOPHANIA.

COnserva populum tuum, Deus, & tuo nomini fac devotum, ut divinis subjectis (a) officiis & temporalia viriliter, & æterna dona percipiat. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc nos oblatio, Deus, mundet, quæsumus, & renovet, & gubernet, & protegat. Per &c.

Ad complendum.

Cœlestibus, Domine, pasti deliciis, quæsumus, ut semper eadem, per quæ veraciter vivimus, appetamus. Per Dominum nostrum &c.

XIV.

DOMINICA PRIMA POST OCTAV. PASCHÆ.

(b) DEus, qui in Filii tui humilitate jacentem Mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam lætitiam concede, ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudiis facias sempiternis perfrui. Per eumdem &c.

Super oblata.

Benedictionem, Domine, nobis conferat salutarem sacra semper oblatio, ut quod agit mysterio, virtute perficiat. Per &c.

Ad complendum.

Præsta nobis, omnipotens Deus, ut vivificationis tuæ gratiam consequentes, in tuo semper munere gloriemur. Per Dominum &c.

XV.

DOMINICA SECUNDA POST OCTAV. PASCHÆ.

(c) DEus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis: da cunctis, qui Christiana professione censentur, & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea, quæ sunt apta, sectari. Per Dominum nostrum &c.

Super oblata.

His nobis, Domine, mysteriis conferatur, quo terrena desideria mi-

a subjectus officiis. *Ita & in Sacramentario Mutinensi.*

b *In margine Othobonian. Antiphona*: Misericordia Domini.
Psalmus: Exsultate justi.
Alleluja: duo, quales volueris.
Offertorium: Deus Deus meus ad te.
Versus primus . . . . vit.
Versus secundus: In matutinis.
Communio: Ego sum pastor bonus.

Psalmus: . . . . . .

c *Antiphona*: Jubilate Deo.
Psalmus: Dicite Deo.
Alleluja, quales volueris.
Offertorium: Lauda, anima mea.
Versus primus: Qui custodit veritatem.
Versus secundus: Dominus erigit elisos.
Communio: Modicum, & videbitis.

mitigantes ; discamus amare cœlestia. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sacramenta, quæ sumsimus, quæsumus, Domine, & spiritalibus nos instruant alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per &c.

XVI.

DOMINICA TERTIA POSTA OCTAVAS PASCHÆ.

(*a*) DEus, qui fidelium mentes unius efficies voluntatis: da Populis tuis id amare, quod præcipis, id desiderare, quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per &c.

Super oblata.

Deus, qui nos per hujus sacrificii veneranda commercia, unius summæ Divinitatis participes effecisti: præsta, quæsumus, ut sicut tuam cognoscimus veritatem, sic eam dignis moribus adsequamur. Per &c.

Ad complendum.

Adesto, Domine Deus noster, & purgemur a vitiis, & a periculis omnibus eruamur. Per &c.

XVII.

DOMINICA QUARTA POST OCTAVAS PASCHÆ.

(*b*) DEus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus, ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, fidelium preces cum oblationibus hostiarum, ut per hæc piæ devotionis officia ad cœlestem gloriam transeamus. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Tribue nobis, Domine, cœlestis mensæ virtutis societatem, & desiderare, quæ recta sunt, & desiderata percipere. Per Dominum &c.

XVIII.

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

(*c*) OMnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper & devotam gerere voluntatem, & majestati tuæ sincero corde servire. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificia nos, Domine, immaculata purificent, & mentibus nostris supernæ gratiæ dent vigorem. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Repleti, Domine, muneribus sacris, da, quæsumus, ut in gratiarum semper actione maneamur. Per.

a *Antiphona*: Cantate Domino.
Psalmus: Salvabit sibi.
Alleuja: quales volueris.
Offertorium: Jubilate Deo universa.
Versus primus: Reddam tibi.
Versus secundus . . . . .
Communio: Dum venerit.

b *Antiphona*: Vocem jucunditatis.
Responsorium: Jubilate Deo.
Alleluja: quales volueris.
Offertorium: Benedicite, gentes.
Versus primus: Jubilate.
Versus secundus: Venite.
Communio: Cantate Domino.

c *Antiphona*: Exaudi, Domine, vocem meam.
Psalmus: Dominus illuminatio.
Alleluja quales volueris.
Offertorium: Lauda, anima mea, Dominum.
Communio: Pater, quum essem cum eis.

XIX.

DOMINICA PRIMA (81) (a) POST PENTECOSTEN.

(81) (b) DEus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris, & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas: præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exsequendis mandatis tuis & voluntate tibi & actione placeamus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias nostras, Domine, tibi dicatas, placatus assume, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Tantis, Domine, repleti muneribus, præsta, quæsums, ut & salutaria dona capiamus, & a tua numquam laude cessemus. Per &c.

XX.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

(c) SAncti nominis tui, Domine, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum; quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum &c.

Super oblata.

Oblatio nos, Domine, tuo nomini dicanda purificet, & de die in diem ad cœlestis vitæ transferat actionem. Per &c.

Ad complendum.

Sumtis muneribus, Domine, quæsumus, ut cum frequentatione mysterii crescat nostræ salutis effectus. Per Dominum &c.

XXI.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

(d) DEprecationem nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi, & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per &c.

Super oblata.

Munera, Domine, oblata sanctifica, ut tui nobis Unigeniti Corpus & Sanguis fiant (e). Per eumdem &c.

Ad complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cœlestis remedii faciat esse consortes. Per &c.

XXII.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

(f) PRotector in te sperantium, Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Dominum.

a *Antiphona*, Post Octavas Pentecosten, *& sic deinceps ubique.*
b *Antiphona:* Domine in tua misericordia.
Responsorium: Ego dixi, Domine.
Alleluja: In . . . . .
Offertorium: Intende voci.
Communio: Narrabo omnia.
c *Antiphona:* Factus est Dominus.
Responsorium, Ad Dominum, dum tribularer.
Offertorium: Domine, convertere.
Communio: Cantabo Domino.
Alleluja: Diligam te.
d *Antiphona:* Respice in me.
Responsorium: Jacta cogitatum.
Offertorium: Sperent in te omnes.
Communio: Ego clamavi.
Alleluja: Venite: exsultemus.
e Sanguis fiat. Per eumdem &c.
f *Antiphona:* Dominus illuminatio.
Responsorium: Propitius esto, Domine.
Offertorium: Illumina oculos.
Communio: Dominus firmamentum meum.
Alleluja: Confitemini Domino, &c.

Super oblata.

Respice, Domine, munera supplicantis Ecclesiæ, & saluti credentium perpetua sanctificatione sumenda concede. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sancta tua nos, Domine, sumta vivificent, & misericordiæ sempiternæ (a) præparent expiatos. Per Dominum &c.

XXIII.

DOMINICA QUINCTA POST PENTECOSTEN.

(b) DA nobis, Domine, quæsumus, ut & Mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, & Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per &c.

Super oblata.

Oblationibus, quæsumus, Domine, placare susceptis, & ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Mysteria nos, Domine, sancta purificent, & tuo munere tueantur. Per Dominum &c.

XXIV.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

(c) DEus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti: infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume; ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per &c.

Ad complendum.

Quos cœlesti, Domine, dono satiasti, præsta, quæsumus, ut a nostris mundemur occultis, & ab hostium liberemur insidiis. Per &c.

XXV.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

(d) DEus virtutum, cujus est totum, quod est optimum: insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum, ut quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has populi tui oblationes benignus assume; & ut nullius sit irritum votum, & nullius vacua postulatio, præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per &c.

Ad complendum.

Repleti sumus, Domine, muneribus tuis. Tribue, quæsumus, ut eorum & mundemur effectu, & muniamur auxilio. Per Dominum &c.

XXVI.

a sempiternæ reparent expiatos. Per &c.

b *Antiphona*: Exaudi, Domine, vocem meam.
Responsorium: Protector noster.
Offertorium: Benedicam Dominum.
Communio: Unam petii a Domino.
Alleluja: Qui timent Dominum.

c *Antiphona*: Dominus fortitudo.
Responsorium: Convertere, Domine.
Offertorium: Perfice gressus meos.
Communio: Circumibo, & immolabo.
Alleluja: Domine, refugium.

d *Antiphona*: Suscepimus, Deus.
Responsorium: Esto mihi in Deum.
Offertorium: Populum humilem.
Communio: Gustate, & videte.
Alleluja: Omnes gentes.

XXVI.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

(*a*) DEus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur; te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per &c.

Super oblata.

Deus, qui Legalium differentiam hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti: accipe Sacrificium a devotis tibi famulis; & pari benedictione, sicut munera Abel sanctifica, ut quod singuli obtulerunt ad majestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem. Per Dom. &c.

Ad complendum.

Tua nos, Domine, medicinalis operatio & a nostris perversitatibus clementer expediat, & ad ea, quæ recta sunt, perducat. Per &c.

XXVII.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

(*b*) LArgire nobis, Domine, quæsumus, semper spiritum cogitandi, quæ recta sunt, propitius & agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Dom. &c.

Super oblata.

Suscipe munera, quæsumus, Domine, quæ tibi de tua largitate deferimus, ut hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, præsentis vitæ nos conversatione sanctificent, & ad gaudia sempiterna perducant. Per Dom. &c.

Ad complendum.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis & corporis cœleste mysterium, ut cujus exsequimur actionem, sentiamus effectum. Per &c.

XXVIII.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

(*c*) PAteant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium, & ut petentibus desiderata concedas, fac tibi eos, quæsumus, placita postulare. Per Dominum &c.

Super oblata.

Concede nobis, hæc, quæsumus, Domine, frequentare mysteria, quia quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemtionis exercetur. Per Dominum.

Ad complendum.

Tui nobis, Domine, communio Sacramenti & purificationem conferat, & tribuat unitatem. Per Dominum &c.

XXIX.

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

(*d*) DEus, qui omnipotentiam parcendo maxime & mise-

a *Antiphona*: Ecce Deus adjuvat.
Responsorium: Domine Dominus noster.
Offertorium: Justitiæ Domini.
Communio: Primum quærite.
Alleluja. Quoniam Deus magnus Dominus.

b *Antiphona*: Dum clamarem ad Dominum.
Responsorium: Custodi me, Domine.
Offertorium: Ad te, Domine, levavi.
Communio: Acceptabis.
Alleluja: Qui sanat contritos.

c *Antiphona*: Deus in loco sancto suo.
Responsorium: In Deo speravit.
Offertorium: Exaltabo te, Domine.
Communio: Honora Dominum.
Alleluja: . . . . ut sum.

d *Antiphona*: Deus in adjutorium.
Responsorium: Benedicam Dominum.
Offertorium: Precatus est Moyses.
Communio: De fructu operum.
Alleluja: Exultate Deo.
Alleluja: Paratum cor meum.

ferando manifestas, multiplica super nos gratiam tuam, ut ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per &c.

Super oblata.

Tibi, Domine, sacrificia dicata reddantur, quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, ut eadem remedia fieri nostra præstares. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut quos divinis reparare non desinis Sacramentis, tuis non destituas benignus auxiliis. Per Dominum &c.

XXX.

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

(*a*) OMnipotens sempiterne Deus, qui abundantiam (*b*) pietatis tuæ & merita supplicum excedis & vota: effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas, quæ conscientia metuit, & adjicias, quod oratio non præsumit. Per &c.

Super oblata.

Respice, Domine, quæsumus, nostram propitius servitutem, ut quod offerimus, sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitatis subsidium. Per &c.

Ad complendum.

Sentiamus, Domine, quæsumus, tui perceptione Sacramenti subsidia mentis & corporis; ut in utroque salvati, cœlesti remedii plenitudine gloriemur. Per &c.

a *Antiphona*: Respice, Domine, in testamentum.
Responsorium: Respice, Domine.
Offertorium: In te speravi, Domine.
Communio: Panem de cœlo.
Alleluja: Dominus regnavit, decorem.

b *Rectius in Othobon.* abundantia pietatis.

c *Antiphona*: Protector noster.
Responsorium: Bonum est confidere.

XXXI.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

(*c*) OMnipotens & misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter serviatur: tribue, quæsumus, nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias, quæsumus, Domine, propitius intende, quas sacris Altaribus exhibemus, ut nobis indulgentiam largiendo, tuo nomini dent honorem. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Vivificet nos, quæsumus, Domine, hujus participatio sancta mysterii, & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per Dominum nostrum &c.

XXXII.

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

(*d*) OMnipotens sempite Deus, da nobis Fidei, Spei, & Caritatis augmentum; & ut mereamur assequi, quod promittis, fac, nos amare, quod præcipis. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, Populo tuo, propitiare muneribus, ut hac oblatione placatus, & indulgentiam (*e*) no-

Offertorium: Immittit Angelum.
Communio: Panis, quem ego.
Alleluja: Jubilate Deo.

d *Antiphona*: Inclina, Domine, aurem tuam.
Responsorium: Bonum est confidere.
Offertorium: Exspectans exspectavi.
Communio: Qui manducat.
Alleluja: Domine, Deus salutis.

e indulgentiam tuam nobis

nobis tribuas, & postulata concedas. Per &c.

Ad complendum.

Sumtis, Domine, cœlestibus Sacramentis ad redemtionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per Dominum.

XXXIII.

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

(*a*) CUstodi, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua, & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis & abstrahatur a noxiis, & ad salutaria dirigatur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut hæc hostia salutaris & nostrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio potestatis. Per &c.

Ad complendum.

Purificent semper & muniant tua Sacramenta nos, Deus, & ad perpetuæ ducant salvationis effectum. Per Dominum &c.

XXXIV.

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

(*b*) ECclesiam tuam, Domine, miseratio continuata (*c*) mundet & muniat; & quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. Per &c.

Super oblata.

Tua nos, Domine, sacramenta custodiant, & contra diabolicos tueantur semper incursus. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Mentes nostras & corpora possideat, quæsumus, Domine, doni cœlestis operatio, ut non noster sensus in nobis, sed jugiter ejus præveniat effectus. Per Dominum &c.

XXXV.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

(*d*) TUa nos, Domine, quæsumus, gratia semper & præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Per &c.

Super oblata.

Munda nos, Domine, Sacrificii præsentis effectu, & perfice miseratus in nobis, ut ejus mereamur esse participes. Per &c.

Ad complendum.

Purifica, Domine, quæsumus, mentes nostras benignus, & renova cœlestibus Sacramentis, ut consequenter & corporum præsens pariter & futurum capiamus auxilium. Per Dominum &c.

XXXVI.

a *Antiphona*: Miserere mihi, Domine.
Responsorium: Timebunt gentes.
Offertorium: Domine . . . .
Communio: Domine, memorabor.
Alleluja: . . . . . .

b *Antiphona*: Justus es, Domine.
Responsorium: Unam petii a Domino.
Offertorium: Oravi Deum meum.
Communio: Vovete, & reddite.
Alleluja: Deus Judex.

c continua mundet

d *Antiphona*: Da pacem, Domine.
Responsorium: Lætatus sum.
Offertorium: Sanctificavit Moyses.
Communio: Tollite hostias.

XXXVI.

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

(*a*) DA, quæſumus, Domine, Populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum (*b*) Dominum pura mente ſectari. Per Dominum &c.

Super oblata.

Majeſtatem tuam, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut hæc ſancta, quæ gerimus, & a præteritis nos delictis exuant & futuris. Per &c.

Ad complendum.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum &c.

XXXVII.

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

(*c*) DIrigat corda noſtra, Domine, quæſumus, tuæ miſerationis operatio, quia tibi ſine te placere non poſſumus. Per Dominum &c.

Super oblata.

Deus, qui nos per hujus Sacrificii veneranda commercia, unius, ſummæque Divinitatis participes efficis: præſta, quæsumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis mentibus & moribus aſſequamur. Per Dominum &c.

Ad Complendum.

Gratias tibi referimus, Domine, ſacro munere vegetati, tuam miſericordiam deprecantes, ut dignos nos ejus participatione perficias. Per Dominum &c.

XXXVIII.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

(*d*) OMnipotens & miſericors Deus, univerſa nobis adverſantia propitiatus exclude, ut mente & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt, liberis mentibus exſequamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hæc munera, quæſumus, Domine, quæ oculis tuæ majeſtatis offerimus, ſalutaria nobis eſſe concede. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Tua nos, Domine, medicinalis operatio & a noſtris perverſitatibus clementer expediat, & tuis faciat inhærere mandatis. Per &c.

XXXIX.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

(*e*) LArgire, quæſumus, Domine, fidelibus tuis indulgentium placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant. Per Dominum &c.

Super oblata.

Cœleſtem nobis præbeant hæc myſteria, quæſumus, Domine, medicinam, & vitia noſtri cordis expurgent. Per Dominum &c.

Ad

a *Antiphona*: Salus Populi.
Reſponſorium: Dirigatur oratio mea.
Offertorium: Si ambulavero.
Communio: Tu mandaſti.
Alleluja: Adorabo.

b ſolum Deum pura

c *Antiphona*: Omnia, quæ feciſti nobis.
Reſponſorium: Oculi omnium.
Offertorium: Super flumina.
Communio: Memento verbi tui.
Alleluja: Qui timent te.

d *Antiphona*: In voluntate tua, Domine.
Reſponſorium: Domine, refugium.
Offertorium: . . . . .
Communio: In ſalutari tuo.

e *Antiphona*: Si iniquitates.
Reſponſorium: Ecce quam bonum.
Offertorium: Recordare mei.
Communio: Dico vobis gaudium.
Alleluja: De profundis.

Ad Complendum.

Ut sacris, Domine, reddamur digni muneribus, fac nos, quæsumus, tuis obedire mandatis. Per Dominum &c.

XL.
DOMINICA VIGESIMA SECUN. POST PENTECOSTEN.

(*a*) FAmiliam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut a cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera, & in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, propitius hostias, quibus & te placari voluisti, & nobis salutem potenti pietate restitui. Per Dominum &c.

Ad Complendum.

Immortalitatis alimoniam consequuti, quæsumus, Domine, ut quod ore percepimus, mente sectemur. Per Dominum &c.

XLI.
DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

(*b*) DEus, refugium nostrum & virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Da, misericors Deus, ut hæc salutaris oblatio a propriis nos reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, sacri dona mysterii, humiliter deprecantes, ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Per &c.

XLII.
DOMINICA VIGESIM. QUARTA POST PENTECOSTEN.

EXcita, Domine, quæsumus, tuorum fidelium voluntates, (*c*) ut divini operis fructum propensius exsequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum &c.

Super oblata.

(*d*) Propitius esto, Domine, supplicationibus nostris, & Populi tui oblationibus precibusque susceptis, omnium nostrum ad te corda converte, ut a terrenis cupiditatibus liberi ad cœlestia desideria transeamus. Per &c.

Ad complendum.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut Sacramenta, quæ sumsimus, quidquid in nostra mente vitiosum est, ipsius medicationis dono curetur. Per &c.

XLIII.
INCIPIUNT ORATIONES.
quotidianis diebus ad Missam. (82) (82)

PErpetua, quæsumus, Domine, pace custodi, quos in te sperare donasti. Per &c.

Alia.

Adesto nobis, misericors Deus & tuæ pietatis in nobis propitius dona concede. Per &c.

Su-

a Antiphona: Omnes gentes plaudite. *Responsorium*: Beata gens. *Offertorium*: Sicut in holocaustis. *Communio*: Inclina aurem tuam. *Alleluja*: Redemtionem.

b Antiphona: Dicit Dominus: ego cogito. *Responsorium*: Liberasti nos, Domine. *Offertorium*: De profundis. *Communio*: Amen dico vobis: quidquid. *Alleluja*: Dextera Dei fecit virtutem.

c Cod. Othobon. primis curis: & divini

d Propritiare, Domine,

Super oblata.

Adesto nobis, quæsumus, Domine, & preces nostras benignus exaudi, ut quod fiducia non habet meritorum, placatio obtineat hostiarum. Per &c.

Ad complendum.

Mysteria sancta nos, Domine, & spiritalibus expleant alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per &c.

XLIV.

(a) ALIA MISSA.

EXaudi nos, miserator & misericors Deus, & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per &c.

Super oblata.

Hostias, quæsumus, Domine, suscipe placatus oblatas, quæ, te sanctificando, nobis efficiantur salutares. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sancta tua nos, Domine, quæsumus, & a peccatis exuant, & cœlestis vitæ vigore confirment. Per Dominum &c.

XLV.

ALIA MISSA.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut plebs tua toto tibi corde deserviens, & beneficia tua jugiter mereatur & pacem. Per Dominum.

Super oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, hostiam redemtionis humanæ, & salutem nobis mentis & corporis operare placatus. Per &c.

Ad complendum.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut mysteriorum virtute satiati, vita nostra firmetur. Per &c.

XLVI.

ALIA MISSA.

REge nostras, Domine, propitius voluntates, ut nec propriis iniquitatibus implicentur, nec subdantur alienis. Per &c.

Super oblata.

Tua sacramenta nos, Deus, circumtegant & reforment, simulque nobis temporale remedium conferant & æternum. Per &c.

Ad complendum.

Tua sancta nobis, omnipotens Deus, quæ sumsimus, & indulgentiam præbeant, & auxilium perpetuæ defensionis impendant. Per Dominum &c.

XLVII.

ALIA MISSA.

COmprime, Domine, quæsumus, noxios semper incursus, & salutarem temporibus nostris propitius da quietem. Per Dominum nostrum &c.

Super oblata.

In tuo conspectu, Domine, quæsumus, talia nostra sint munera, quæ & placare te valeant, & nos tibi placere perficiant. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quotidiani, Domine, quæsumus, munere Sacramenti perpetuæ nobis tribue salutis augmentum. Per &c.

XLVIII.

ALIA MISSA.

AB omnibus nos defende, quæsumus, Domine, semper adver-

a Item alia Missa. *Sic & in cæteris Cod. Othobon.*

versis, & continuis tuere præsidiis. Per &c.

Super oblata.

Offerimus tibi, Domine, munera, quæ dedisti, ut & creationis tuæ circa mortalitatem nostram testificentur auxilium, & remedium nobis immortalitatis operentur. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quod ore sumsimus, Domine, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per &c.

Alia.

Conservent nos, quæsumus, Domine, munera tua, & æternam vitam tribuant nobis deprecantibus. Per Dominum &c.

XLIX.

MISSA IN NATALE UNIUS APOSTOLI.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut beatus (*ille*) Apostolus tuum pro nobis imploret auxilium, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis eruamur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus, quo beati (*illius*) Apostoli solemnia recolentes, purificationem quoque nostris mentibus imploramus. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Perceptis, Domine, Sacramentis suppliciter exoramus, ut intercedente beato (*illo*) Apostolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus solemnitate, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum &c.

L.

IN NATALE PLURIMORUM APOSTOLORUM.

DEus, qui nos annua Apostolorum tuorum (*illorum*) solemnitate lætificas: præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum &c.

Super oblata.

Munera, Domine, quæ pro Apostolorum tuorum (*illorum*) solemnitate deferimus, propitius suscipe, & mala omnia, quæ meremur, averte. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum solemnia celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per Dominum nostrum &c.

LI.

IN NATALE UNIUS MARTYRIS.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati (*illius*) Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per &c.

Super oblata.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum nostrum &c.

Ad complendum.

Da, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut tuorum commemoratione Sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per Dominum nostrum &c.

LII.

IN NATALE PLURIMORUM MARTYRUM.

DEus, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum (*illorum*) Natalitia colere : da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum &c.

Super oblata.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Ad complendum.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedentibus Sanctis tuis (*illis*) ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum &c.

LIII.

IN NATALE UNIUS CONFESSORIS.

DA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati (*illius*) Confessoris tui veneranda solemnitas & devotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sancti tui nos, quæsumus, Domine, ubique lætificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Per Dominum &c.

LIV.

IN NATALE PLURIMORUM CONFESSORUM.

DEus, qui nos Sanctorum tuorum (*illorum*) confessionibus gloriosis circumdas & protegis : da nobis & eorum imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, preces & munera, quæ ut tuo sint digna conspectui, Sanctorum tuorum precibus adjuvemur. Per &c.

Ad complendum.

Corporis sacri & pretiosi Sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod pia devotione gerimus, certa redemtione capiamus. Per Dominum &c.

LV.

IN NATALE (a) VIRGINUM.

DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dom. &c.

Alia.

Indulgentiam nobis, Domine, beata (*illa*) Martyr imploret, quæ tibi grata semper exstitit & merito castitatis, & professione virtutis. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe munera, Domine, quæ in beatæ (*illius*) Martyris tuæ solemnitate deferimus, cujus nos scimus patrocinio liberari. Per &c.

Ad complendum.

Auxilientur nobis, Domine, sumta mysteria, & intercedente beata (*illa*) Martyre tua, sempiterna pro-

a *Cod. Othobon.* Virginis.

protectione confirment. Per Dominum &c.

LVI.

MISSA AD POSCENDA SUFFRAGIA SANCTORUM.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercessio nos sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sanctorumque omnium Apostolorum, Martyrum, & Confessorum, & omnium Electorum tuorum, ubique lætificet; & dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per &c.

Super oblata.

Oblatis, Domine, placare muneribus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sumsimus, Domine, Sanctorum tuorum solemnia celebrantes, Sacramenta cœlestia. Præsta, quæsumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per &c.

LVII.

(a) ORATIONES AD CLERICUM FACIENDUM. (83)

(83)

Oremus, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo suo (*illo*), qui ad deponendam comam capitis sui pro ejus amore festinat: ut donet ei Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eo perpetuum conservet, & a Mundi impedimento, vel seculari desiderio, cor ejus defendat, ut sicut immutatur in vultu, ita manus dextera ejus ei virtutis tribuat incrementa, & ab omni cæcitate humana oculos ejus aperiat, & lumen ei æternæ gratiæ concedat. Qui vivit cum Deo Patre &c.

Item alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ Religionis imponimus; ut, te largiente & devotus in Ecclesia persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Dominum &c.

(b) *Dum tondis eum, dicis Antiphonam:*

Tu es, Domine, qui restitues mihi hereditatem meam.

Versus:

Dominus pars hereditatis meæ: (c) & Gloria.

Oratio post tonsionem.

Præsta, omnipotens Deus, huic famulo tuo (*illi*), cujus hodie capitis comam pro divino amore deposuimus, ut in tua dilectione perpetua maneat, & eum sine macula in sempiternum custodias. Per &c.

LVIII.

(84) BENEDICTIO VESTIUM VIRGINIS, vel VIDUÆ. (84)

Deus, qui vestimentum salutare & indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis & contemtum Mundi significantia, quibus famula tua (*illa*) sancto visibiliter est informanda proposito, propitius benedicas, & beatæ castitatis habitum, quem, te inspirante, susceperit, te protegente, custodiat. Per &c.

Item

a Oratio ad
b Dum tondes eum,
c *Cod. Othobon.* cum Gloria.
Versus:
Hæc est generatio rectorum.

Antiphona:
Hic accipiet benedictionem.
Oratio &c.

Item alia.

Deus, bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor: exaudi preces nostras, & hanc Vestem, quam famula tua (*illa*) pro conservandæ castitatis signo se ad operiendam exposcit, benedicere & sanctificare digneris. Per Dominum &c.

(85) BENEDICTIO VIRGINIS, (85)
ab Episcopo dicenda.

Respice, Domine, propitius super hanc famulam tuam (*illam*), ut sanctæ Virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Per Dominum &c.

CONSECRATIO.

Deus, castorum corporum benignus inhabitator, & incorruptarum amator animarum: respice super hanc famulam tuam (*illam*) quæ tibi devotionem suam offert, a quo & ipsa idem Votum assumsit. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas. Ferveat in caritate, & nihil extra te diligat, laudabiliterque vivat, & laudari non appetat. Te timeat, tibi amore serviat. Tu ei honor, tu gaudium, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate sis medicus. Per te, quem diligere super omnia appetit, quod est professa, custodiat; ut & hostem antiquum devincat, & vitiorum squalores expurget: quatenus centesimi fructus dono Virginitatis decorari, virtutumque lampadibus exornari & (*a*) electorum tuorum Virginum consortium, te donante, mereatur uniri. Per Dominum &c.

LIX.

(86) BENEDICTIO ALTARIS. (86)

Deprecamur misericordiam tuam, omnipotens æterne Deus, ut hoc Altare sacrificiis spiritalibus consecrandum, vocis nostræ exorandus officio, præsenti benedictione sanctifices; ut in eo semper oblationes famulorum tuorum, studio suæ devotionis impositas, benedicere & sanctificare digneris, & spiritali placatus incenso, precanti familiæ tuæ promtus exauditor assistas. Per &c.

LX.

CONSECRATIO ALTARIS.

Deus omnipotens, in cujus honore hoc Altare sub invocatione tui nominis consecramus: clemens & propitius preces nostræ humilitatis exaudi, & præsta, ut in hac Mensa sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, & Spiritus Sancti tui semper rore perfusa; ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dominum &c.

LXI.

AD CONSECRANDAM PATEN.

Consecramus & sanctificamus hanc Patenam, ad conficiendum in ea Corpus Domini nostri Jesu Christi patientis Crucem pro omnium nostra salute. Qui cum Pa-

b Othobonian. & electarum tuarum Virginum consortio, te donante, mereatur muniri (*lege*) uniri.

Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti.

Deinde facit Signum Crucis de Oleo
(87) *(87) ſancto ſuper Patenam, & benedicit his verbis:*

Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, Patenam hanc per iſtam unctionem & noſtram benedictionem in Chriſto Jeſu Domino noſtro, qui tecum &c.

LXII.

AD CALICEM BENEDICEN-
(88) DUM. (88.)

Dignare, Domine Deus noſter, Calicem iſtum, in uſum miniſterii tui pia devotione formatum, ea ſanctificatione perfundere, qua Melchiſedech famuli tui ſacratum Calicem perfudiſti, & quod arte vel metallo effici non poteſt Altaribus tuis dignum (*a*), fiat tua benedictione pretioſum atque ſanctificatum. Per Dominum &c.

LXIII.

ORATIONES
(89) IN DEDICATIONE FONTIS. (89)

Omnipotens ſempiterne Deus, hoc Baptiſterium cœleſti viſitatione dedicatum, Spiritus tui illuſtratione ſanctifica, ut quoſcumque Fons iſte lavaturus eſt, trina ablutione purgati, indulgentiam omnium delictorum tuo munere conſequantur. Per Dominum &c.

Alia.

Multiplica, Domine, benedictionem tuam, & Spiritu tui muneris Fidem noſtram corrobora, ut qui in hæc fluenta deſcenderint, in libro vitæ adſcribi mereantur. Per Dominum &c.

LXIV.

MISSA IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS BASILICÆ.

Deus, qui nobis per ſingulos annos hujus ſancti Templi tui conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper myſteriis repræſentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præſta, ut quiſquis hoc Templum, beneficia petiturus, ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Annue, quæſumus, Domine, precibus noſtris, ut quicumque intra Templi hujus, cujus anniverſarium Dedicationis Diem celebramus, ambitum continemur, plena tibi atque perfecta corporis & animæ devotione placeamus; ut dum hæc præſentia vota reddimus, ad æterna præmia, te adjuvante, venire mereamur. Per Dominum &c.

(b) Poſt Communionem.

Deus, qui Eccleſiam tuam ſponſam vocare dignatus es, ut quæ haberet gratiam per Fidei devotionem, haberet etiam ex nomine pietatem: da, ut omnis hæc Plebs, nomini tuo ſerviens, hujus vocabuli conſortio digna eſſe mereatur; & Eccleſia tua in Templo, cujus anniverſarius Dedicationis Dies celebratur, tibi collecta, te timeat, te diligat, te ſequatur; ut dum jugiter per veſtigia tua graditur, ad cœleſtia promiſſa, te ducente, pervenire mereatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Super Populum.

Deus, qui de vivis & electis lapidibus æternum majeſtatis tuæ condis habitaculum: auxiliare populo ſupplicanti, ut quod Eccleſiæ tuæ corpo-

a dignum, faciat tua benedictio pretioſum. *b* Ad complendum.

poralibus proficit spatiis, spiritualibus amplificetur augmentis. Per.

LXV.

MISSA PRO REGIBUS.

DEus, Regnorum omnium, & Christiani maxime protector Imperii, da servis tuis Regibus nostris (*illis*) triumphum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tua constitutione sunt Principes, tuo semper munere sint potentes. Per Dominum &c.

Super oblata.

Suscipe, Domine, preces & hostias Ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui (*illius*) supplicantis, & in protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut superatis pacis inimicis, secura tibi serviat Christiana libertas. Per Dominum &c.

(*a*) *Infra Actionem.*

Hanc igitur oblationem famuli tui (*illius*), quam tibi ministerio officii Sacerdotalis offerimus, pro eo quod in ipso potestatem imperii conferre dignatus es, propitius & benignus assume, & exortatus nostra obsecratione concede, ut majestatis tuæ protectione confidens, & ævo augeatur & Regno. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Deus, qui ad prædicandum æterni Regis Evangelium, Romanum Imperium præparasti; prætende famulis tuis Principibus nostris arma cœlestia, ut pax Ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum. Per Dominum &c.

LXVI.

MISSA QUOTIDIANA PRO REGE.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus (*ille*), (*b*) qui a tua miseratione suscepit Regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra devitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiosus valeat pervenire. Per Dominum &c.

(*c*) *Secreta.*

Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, ut & nobis Unigeniti tui Corpus & Sanguis fiant, & (*illi*) Regi ad obtinendam animæ corporisque salutem, & peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per Dominum &c.

(*d*) *Post Communionem.*

Hæc, Domine, oratio salutaris famulum tuum (*illum*) (*e*) ab omnibus tueatur adversis, quatenus & Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, & post istius temporis decursum ad æternam perveniat hæreditatem. Per &c.

LXVII.

(*f*) MISSA TEMPORE SYNODI PRO REGE DICENDA.

OMnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum (*illum*) Regni fastigio dignatus es sublimare: tribue ei, quæsumus, ut ita in præsenti collecta multitudine cunctorum in commune salutem disponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per Dominum &c.

Item

a *Cod. Othobonia.* INF.
b *secundis curis*: qui tua miseratione.
c Super oblata.
d Ad complendum.
e (*illum*) Regem cum collecto Clero & Populo sibi commisso, ab omnibus.
f Ad Missa tempore.

Item alia Oratio.

Deus, auctor omnium justorum honorum, dator cunctarum dignitatum, & piorum gratissimus conservator Imperiorum: respice super (*a*) famulum tuum (*illum*), & præsta, ut quibus tuo dono imperat, eis, tua opitulatione fultus, salubriter prosit. Per Dominum &c.

Item alia Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, cœlestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum (*illum*) ad Regni fastigium dignatus es provehere: concede, quæsumus, ut a cunctis adversitatibus liberatus, & Ecclesiasticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia, te donante, pervenire mereatur. Per &c.

Item alia Oratio.

Deus, qui scis, genus humanum nulla sui virtute posse subsistere: concede propitius, ut famulus tuus (*ille*), quem Populo tuo voluisti præferri, ita tuo fulciatur adjutorio, quatenus quibus potuit, præesse valeat & prodesse. Per Dominum &c.

Item alia Oratio.

Deus, qui miro ordine universa disponis, & ineffabiliter gubernas: præsta, quæsumus, ut famulus tuus (*ille*) hæc in præsenti Conventu, & in hujus seculi cursu, te adjuvante, peragat, & peragenda decernat, unde tibi in perpetuum placere valeat. Per &c.

Super oblata.

Concede, omnipotens Deus, his salutaribus sacrificiis placatus, ut famulus tuus (*ille*) ad peragendum Regalis dignitatis officium inveniatur semper idoneus, & cœlestis patriæ gaudiis reddatur acceptus. Per &c. (*b*)

(*c*) *Post Communionem.*

Hæc, Domine, salutaris sacrificii perceptio famuli tui (*illius*) peccatorum maculas diluat, & ad regendum secundum tuam voluntatem Populum idoneum reddat; ut hoc salutari mysterio contra visibiles & invisibiles hostes reddatur invictus, per quod Mundus est divina dispensatione redemtus. Per &c.

LXVIII.
MISSA * SPECIALIS SACERDOTIS.

OMnipotens æterne Deus, tuæ gratiæ pietatem supplici devo-

a super hunc famulum.

b In Cod. Othobon. additur.

Præfatio.

Vere dignum, æquum, & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es fons vitæ, origo luminis, & auctor totius bonitatis, & majestatem tuam totis nisibus implorare, ut famulo tuo (*illi*), cui concessisti regendi Populi curam, tribuas id secundum tuam voluntatem exsequendi efficaciam; & quibus tuo dono imperat, eis tua opitulatione fultus salubriter prosit, ut pariter ab omnibus vitæ periculis exuti, & virtutum spiritalium ornamentis induti, Spei, Fidei, Caritatisque gemmis ornati, & Mundi cursus pacifico eis tuo ordine dirigatur, & intenti sanctis operibus, te auxiliante, perseverent, beatorumque Spirituum coheredes effici mereantur. Per Christum Dominum nostrum &c.

Alia Præfatio.

Vere dignum, æquum, & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, tuamque immensam clementiam devotis mentibus, & immensis precibus implorare, ut qui diversitatem gentium unius sacræ Fidei confessione, Paracliti Spiritus dono, voluisti congregare, congregatam Cleri ac Populi multitudinem, una cum prælato Principe jubeas conservare. Idque in hoc Conventu, te opitulante deliberent, quod nequaquam a tua voluntate discordet: quatenus tuis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, & in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & æternorum civium consortio adscribi mereantur. Per Christum &c.

c Ad complendum.

(* Nempe *Votiva*. E. V.)

votione deposco, ut omnium malorum meorum vincula solvas, cunctisque meis criminibus & peccatis clementer ignoscas. Et quia me indignum & peccatorem ad ministerium tuum vocare dignatus es, sic me idoneum tibi ministrum efficias, ut Sacrificium de manibus meis placide ac benigne suscipias, electorumque Sacerdotum me participem facias, & de præceptis tuis in nullo me oberrare permittas. Per &c.

Alia Oratio.

Fac, me, quæso, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut in Sanctorum tuorum merear exsultatione lætari; quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium Sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per Dominum &c.

Super oblata.

Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique sacrificium contriti cordis offerri: hoc sacrificium, quod indignis manibus meis offero, acceptare dignare; & ut ipse tibi hostia & sacrificium esse merear, miseratus concede, quo per ministerii hujus exhibitionem, peccatorum omnium percipiam remissionem. Per Dominum &c.

Præfatio.

(*a*) Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; qui dissimulatis humanæ fragilitatis peccatis, Sacerdotii dignitatem concedis indignis, & non solum peccata dimittis, verum etiam ipsos peccatores justificare dignaris: cujus est muneris, ut non exsistentia sumant exordia, exorta nutrimentum, nutrita fructum, fructuosa perseverandi auxilium. Qui me non exsistentem creasti, creatum Fidei firmitate ditasti, fidelem, quamvis peccatis squalentem, Sacerdotii dignitate donasti. Tuam igitur omnipotentiam supplex exposco, ut me a præteritis peccatis emacules, in Mundi hujus cursu in bonis operibus corrobores, & in perseverantiæ soliditate confirmes. Sicque me facias tuis Altaribus deservire, ut ad eorum, qui tibi placuerunt, Sacerdotum consortium valeam pervenire. Et per eum tibi sit meum acceptabile votum, qui se tibi obtulit in sacrificium. Qui est omnium opifex, & solus sine peccati macula Pontifex, Jesus Christus Dominus noster. Per quem majestatem &c.

Ad complendum.

Hujus mihi, Domine, Sacramenti perceptio sit peccatorum remissio, & tuæ pietatis optata propitiatio; ut per hæc, te opitulante, efficiar sacris mysteriis dignus, quæ de tua pietate confisus, frequentare præsumo indignus. Per &c.

LXIX.

ITEM ALIA MISSA.

DEus, fons bonitatis, & pietatis origo, qui peccantem non statim judicas, sed ad pœnitentiam miseratus exspectas: te, quæso, ut facinorum meorum squalores abstergas, & me ad peragendum injunctum officium dignum efficias; & qui Altaris tui ministerium suscepi indignus, perago trepidus, ad id peragendum reddar strenuus, & inter eos, qui tibi placuerunt, inveniar justificatus. Per Dominum.

Super oblata.

Sacrificii præsentis, quæso, Domine, oblatio mea expurget facinora, per quod totius Mundi voluisti

a Vere dignum, æquum, & salutare; nos.

luisti relaxari peccata, illiusque frequentatione efficiar dignus, quod, ut frequentarem, suscepi indignus. Per Dominum nostr. &c.

Præfatio.

(*a*) Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui dum libenter nostræ pœnitudinis satisfactionem suscipis, ipse tuo judicio, quod erramus, abscondis, & præterita peccata nostra dissimulas, ut nobis Sacerdotii dignitatem concedas. Tuum est enim, me ad ministrandum Altari tuo dignum efficere, quem ad peragendum id officii indignum dignatus es promovere; ut præteritorum actuum meorum mala oblivifscens, præsentium ordinem in tua voluntate disponeres, futuris custodiam imponens: per eum vitiorum squaloribus expurger, virtutum nutrimentis exorner, eorum Sacerdotum consortio, qui tibi placuerunt, aduner, quem constat esse verum summumque Pontificem, solumque sine peccati contagio Sacerdotem, Jesum Christum Dominum nostrum, per quem &c.

(*b*) *Ad complendum*.

Hujus, Domine, perceptio Sacramenti peccatorum meorum maculas tergat, & ad peragendum injunctum officium me idoneum reddat. Per Dominum &c.

LXX.

MISSA VOTITA.

DEus, qui justificas impium, & non vis mortem peccatorum: majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum tuum (*illum*), de tua misericordia confidentem, cœlesti protegas benigus auxilio, & assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur, & nullis tentationibus a te separetur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii, & a propriis nos munda delictis, & famulum tuum (*illum*) ab omnibus absolve peccatis. Per Dominum nostr. &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulo tuo (*illo*), ut omnium peccatorum suorum veniam consequi mereatur: quæsumus, Domine, placatus accipias, & miserationis tuæ largitate concedas, ut fiat ei ad veniam delictorum & actuum (*c*) emendationem; ut & hic valeat bene vivere, & ad æternam beatitudinem feliciter pervenire: diesque nostros in tua pace &c.

Ad complendum.

Purificent nos, Domine, quæsumus, Sacramenta, quæ sumsimus, & famulum tuum (*illum*) ab omni culpa liberum esse concede, ut qui a conscientiæ reatu constringitur, cœlestis remedii plenitudine glorietur. Per &c.

LXXI.

ITEM ALIA MISSA.

OMnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo (*d*), & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut, te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Dominum &c.

Super oblata.

Proficiat, quæsumus, Domine, hæc oblatio, quam tuæ supplices offe-

a Vere dignum, æquum, & salutare, nos.
b Postcommunio.
c & actuum emundationem.
d tuo (*illi*) & dirige.

offerimus majeſtati ad ſalutem famuli tui (*a*), ut tua providentia ejus vita inter adverſa & proſpera ubique dirigatur. Per Dominum noſtrum &c.

Ad complendum.

Sumentes, Domine, perpetuæ Sacramenta ſalutis, tuam deprecamur clementiam, ut per ea famulum tuum ab omni adverſitate protegas. Per &c.

Item alia ad complendum.

Famulum tuum, quæſumus, Domine, tua ſemper protectione cuſtodi, ut libera tibi mente deſerviat, &, te protegente, a malis omnibus ſit ſecurus. Per Dominum &c.

LXXII.

ITEM ALIA MISSA.

ADeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc famuli tui (*illus*) oblationem benignus aſſume; ut qui auxilium tuæ miſerationis implorat, & ſanctificationis gratiam percipiat, & quæ pie precatur, obtineat. Per &c.

Super oblata.

Grata ſit tibi, Domine, hæc oblatio famuli tui (*illius*), quam tibi offerimus in honorem beati (*illius*) Martyris. Quæſumus, ut eidem proficiat ad ſalutem. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Hujus, Domine, quæſumus, virtute myſterii & a propriis mundemur occultis, & famulum tuum (*illum*) ab omnibus abſolve peccatis. Per Dominum &c.

LXXIII.

MISSA PRO SALUTE VIVORUM.

PRætende, Domine, famulis & famulabus tuis (*illis*) dexteram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, (*b*) aſſequantur. Per &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum, quas tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus aſſume; & ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio: præſta, quæſumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum &c.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerimus ob devotionem mentis eorum, pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias: tibi ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, & æterna eos potectione conſerva; ut ſemper in tua Religione lætantes, inſtanter in ſanctæ Trinitatis confeſſione & Fide Catholica perſeverent. Dieſque noſtros &c.

Ad complendum.

Da famulis & famulabus tuis, quæſumus, Domine, in tua Fide & ſinceritate conſtantiam, ut in Caritate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per &c.

LXXIV.

(*c*) ITEM ALIA PRO FAMILIARIBUS.

DEus, qui Caritatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cor-

a tui (*illius*) ut.
b poſtulant, conſequi mereantur. Per Dominum noſtrum &c.
c Item Miſſa pro Familiaribus.

cordibus fidelium infudisti: da famulis & famulabus tuis (a), pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis & corporis; ut te tota virtute diligant, & quæ tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per &c.

Super oblata.

Miserere, quæsumus, Domine Deus, famulis (b) tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus majestati, ut per hæc sancta, supernæ (c) beatitudinis gratiam obtineant, & gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per &c.

(d) Post Communionem.

Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut hæc salutaria Sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem, pro quorum dilectione hæc tuæ obtulimus majestati. Per Dominum nostrum &c.

(e) Ad complendum.

Deus, qui supplicum tuorum vota per caritatis officia suscipere digneris: da famulis (f) tuis illis & illis in tua proficere dilectione, & in tua lætari protectione, ut tibi secura mente deserviant, & in tua pace semper assistere mereantur. Per Dominum &c.

LXXV.

MISSA PRO ABBATE, vel CONGREGATIONE.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum (*illum*) Abbatem, vel super cunctam congregationem illi commissam, spiritum gratiæ salutaris; & ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias, Domine, famulorum tuorum placatus intende, & quas in honorem nominis tui devota mente pro eis celebramus, proficere sibi sentiant ad medelam. Per &c.

Ad complendum.

Quos cœlesti recreas munere, perpetuo, Domine, comitare præsidio, & quos fovere non desinis, dignos fieri sempiterna redemtione concede. Per Dominum &c.

LXXVI.

ORATIONES IN MONASTER. MONACHORUM.

DEus, qui renuntiantibus seculo mansionem paras in Cœlo: dilata sanctæ hujus Congregationis temporale habitaculum cœlestibus bonis, ut fraternæ teneantur compagine caritatis unanimes, continentiæ præcepta custodiant, sobrii, simplices, & quieti, gratis sibi datam gratiam fuisse cognoscant. Concordet illorum vita cum nomine, professio sentiatur in opere. Per &c.

Item alia.

Suscipe, Domine, preces nostras, & muro custodiæ tuæ hoc sanctum ovile circumda, ut omni adversitate depulsa, sit hoc semper domicilium incolumitatis & pacis. Per Dominum &c.

LXXVII.

a *Recentiori charactere interposita leguntur hæc verba*: tuis, omnibus videlicet mihi commissis, vel quorum nomina subter tenentur inserta, pro quibus tuam deprecamur.

b *Hæc quoque addita sunt a recentiori manu*: famulis & famulabus tuis, omnibus videlicet mihi commissis, vel quorum nomina heic tenentur inserta, pro quibus hoc.

c supernæ benedictionis gratiam

d Ad complendum.

e Item alia.

f famulis & famulabus tuis, omnibus videlicet mihi commissis, vel quorum nomina heic tenentur inserta, in tua proficere.

LXXVII.

ORATIONES PRO FRATRIBUS IN VIA DIRIGENDIS.

Deus, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, & a servientibus tibi in nulla es regione longinquus: dirige viam famuli tui (*illius*) in voluntate tua, ut te protectore, & te præduce, per justitiæ semitas sine offensione gradiatur. Per Dominum &c.

Item alia.

Exaudi, Domine, preces nostras, & iter famuli tui (*illius*) propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique & ita ubique largire; quatenus ab omnibus adversitatibus tua opitulatione defensus, justorum desideriorum potiatur effectibus. Per &c.

LXXVIII.

ORATIO PRO REDEUNTIBUS DE ITINERE.

Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitæque dispositor, famulo tuo (*illi*) continuæ tranquillitatis largire subsidium, ut quem incolumem propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securum. Per Dominum &c.

LXXIX.

ORATIO IN ADVENTU FRATRUM SUPERVENIENTIUM.

Deus, humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris: prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Dominum &c.

LXXX.

MISSA PRO ITER AGENTIBUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & viam (*a*) famulorum tuorum (*illorum*) in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietates tuo semper (*b*) protegantur auxilio. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes, quas tibi offerimus (*c*) pro famulis tuis (*illis*), benignus assume, (*d*) & viam illorum & præcedente gratia tua dirigas, & subsequente comitare digneris, ut de actu atque incolumitate (*e*) eorum secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per &c. (*f*)

Ad complendum.

Deus infinitæ misericordiæ & majestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum ab his, (*g*) quos tueris, abjungunt: adesto famulis tuis (*illis* & *illis*) in te ubique fidentibus; & per omnem, quam ituri sunt, viam dux eis & comes esse dignare. Nihil illis adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat. Cuncta eis salubria, cuncta sint prospera; & sub ope dexteræ tuæ quidquid justo expetierint desiderio, celeri consequantur effectu. Per &c.

LXXXI.

a & viam famuli tui (*illius*) in salutis
b semper protegatur.
c pro famulo tuo (*illo*)
d ut viam illius præcedente.
e incolumitate ejus secundum.
f In Othoboniano recentior manus addit hanc orationem:
Tua, Domine, sperantes in te, quæsumsimus, sacramenta custodiant, & contra adversos tueantur incursus.
g Legendum in utroque Codice: ab iis, quos.

LXXXI.

MISSA PRO NAVIGANTIBUS.

Deus, qui transtulisti patres nostros per mare rubrum, & transvexisti per aquam nimiam, laudem tui nominis decantantes: supplices deprecamur, ut in hac navi famulos tuos, repulsis adversitatibus, portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis. Per Dominum &c.

(*a*) *Secreta*.

Suscipe, quæsumus, Domine, preces famulorum tuorum cum oblationibus hostiarum; & tua mysteria celebrantes ab omnibus defende periculis. Per &c.

Ad complendum.

Sanctificati divino mysterio, majestatem tuam, Domine, suppliciter deprecamur & petimus, ut quos donis facis cœlestibus interesse, per lignum Sanctæ Crucis & a peccatis abstrahas, (*b*) & a periculis cunctis miseratus eripias. Per &c.

LXXXII.

MISSA PRO PECCATIS.

EXaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, placationis offerimus (*c*), ut & delicta nostra miseratus absolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per &c.

(*d*) *Infra actionem*.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro peccatis atque offensionibus nostris, ut omnium delictorum nostrorum remissionem consequi mereamur, quæsumus, Domine &c. (*e*)

(*f*) *Post Communionem*.

Præsta nobis, æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per &c.

Ad complendum.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere: suscipe deprecationem nostram; & quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per &c.

LXXXIII.

(*g*) ORATIONES IN TEMPORE BELLI.

OMnipotens & misericors Deus, a bellorum nos, quæsumus, turbine fac quietos; quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis & mentis & corporis. Per &c.

Alia.

Omnipotens Deus, Romani nominis inimicos virtute, quæsumus, tuæ comprime majestatis, ut Populus tuus & Fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate semper exsultet. Per Dominum &c.

LXXXIV.

MISSA IN TEMPORE BELLI.

DEus, Regnorum omnium, Regumque dominator, qui nos & percutiendo sanas, & ignoscendo conservas, prætende nobis misericordiam tuam, ut tranquillitate pacis, tua potestate firmata, ad remedia correctionis utamur. Per &c.

A-

a Othobonian. Super oblata.

b & a periculis cunctis eripias. Per &c.

c offerimus, humiliter deprecantes, ut & delicta

d Tum heic, tum in Othoboniano legitur: In fractionem, *vel* In fractione.

e Domine, ut placatus &c.

f Postcommunio.

g Oratio in

Alia.

Deus, cujus Regnum eſt omnium ſeculorum, ſupplicationes noſtras clementer exaudi, & Chriſtianorum Regnum tibi ſubditum protege, ut in tua virtute fidentes, & tibi placeant, & ſuper omnia Regna præcellant. Per Dominum &c.

Item alia.

Deus, qui conteris bella, & impugnatores in te ſperantium potentia tuæ defenſionis expugnas: auxiliare implorantibus miſericordiam tuam; ut omnium gentium feritate compreſſa, indefeſſa te gratiarum actione laudemus. Per Dominum noſtrum &c.

Super oblata.

Sacrificium, Domine, quod immolamus, intende, (*a*) ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, & in tuæ protectionis ſecuritate conſtituat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, refectione vegetati, ſupplices te rogamus, omnipotens Deus, ut hoc remedio ſingulari ab omnium peccatorum nos contagione purifices, & a periculorum munias incurſione cunctorum. Per &c.

LXXXV.

ITEM ALIA MISSA.

HOſtium noſtrorum, quæſumus, Domine, elide ſuperbiam, & dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Dominum &c.

Alia.

Omnipotens Deus, Chriſtiani nominis inimicos virtute, quæſumus, tuæ comprime majeſtatis, ut Populus tuus & Fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate ſemper exſultet. Per &c.

Super oblata.

Hujus, Domine, quæſumus, virtute myſterii, & a noſtris mundemur occultis, & ab inimicorum liberemur inſidiis. Per &c.

Ad complendum.

Vivificet nos, quæſumus, Domine, participatio tui ſancta myſterii, & pariter nobis expiationem tribuat & munimen. Per &c.

LXXXVI.

ITEM ALIA MISSA.

DEus, qui providentia tua cœleſtia ſimul & terrena moderaris: propitiare Chriſtianorum rebus & Regibus, ut omnis hoſtium fortitudo, te pro nobis pugnante, frangatur. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, ſervientium tibi fortitudo Regnorum, propitius Chriſtianorum adeſto ſemper Principibus, ut quorum tibi ſubjecta eſt humilitas, eorum ubique excellentior ſit poteſtas. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, precibus & hoſtiis famulorum tuorum, & propter nomen tuum Chriſtiani nominis defende Rectores, ut ſalus ſervientium tibi Principum, pax tuorum poſſit eſſe populorum. Per &c.

Ad complendum.

Protege, Domine, famulos tuos ſubſidiis pacis & corporis; & ſpiritalibus enutriens eos alimentis, a cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per Dominum noſtr. &c.

LXXXVII.

MISSA PRO PACE.

DEus, a quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam

Mun-

a intende propitius ut ad.

Mundus dare non potest Pacem; ut & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per &c.

Super oblata.

Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus: dignare preces & hostias dicatæ tibi plebis suscipere; ut Pax tua pietate concessa, Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos. Per.

Ad complendum.

Deus, auctor Pacis & amator, quem nosse, vivere; cui servire, regnare est: protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos; ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per &c. (*a*)

LXXXVIII.

MISSA PRO QUACUMQUE TRIBULATIONE.

INeffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, ut simul nos & a peccatis exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias. Per &c.

Super oblata.

Purificet nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio, & dignos sacra participatione perficiat. Per &c.

Ad

a Codex Othobonianus addit:

Item alia Missa pro Pace.

Deus, conditor Mundi, sub cujus arbitrio omnium seculorum ordo decurrit: adesto propitius invocationibus nostris, & tranquillitatem Pacis præsentibus concede temporibus; ut in laudibus misericordiæ tuæ incessabili exsultatione lætemur. Per &c.

Super oblata.

Deus, in te sperantium fortitudo, conserva in Populis tuis, quod es dignatus operari, & potentis misericordiæ tuæ ostende virtutem; ut qui superba impetimur hostium feritate, tua mereamur Pace gaudere. Per &c.

Postcommunio.

Deus, qui misericordiæ tuæ prætendis auxilium, & prospera tribuis, & adversa depellis: universa obstacula, quæ servis tuis adversantur, expugna; ut remoto bellorum terrore, & libertas secura, & Religio sit quieta. Per &c.

Duæ Missæ sequentes additæ heic leguntur a diversa sed perantiqua manu:

Missa pro tentationibus inimicorum invisibilium, vel cogitationibus cordium immundis.

Omnipotens mitissime Deus, respice propitius preces nostras, & libera cor famuli tui (*illius*) de malarum tentatione cogitationum; ut Sancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Has tibi, Domine, offerimus oblationes pro salute famuli tui (*illius*), quatenus animam illius Sancti Spiritus gratia illuminare digneris. Per &c.

Postcommunio.

Per hoc, quæsumus, Domine, Sacrificium, quod tuæ obtulimus pietati, ab omnibus cor famuli tui (*illius*) emunda tentationibus. Per &c.

Alia.

Deus, qui illuminas omnem hominem, venientem in hunc Mundum, illumina cor famuli tui (*illius*) gratiæ tuæ splendore, ut digna majestatis tuæ cogitare ac diligere valeat. Per &c.

Missa in tribulatione.

Clamantium ad te, quæsumus, Domine, preces dignanter exaudi, ut sicut Ninivitis in afflictione positis pepercisti, ita & nobis in præsenti tribulatione succurre. Per &c.

Super oblata.

Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum, & ab omnibus, quas meremur, adversitatibus redde securum, ut tranquillitate percepta, devota tibi mente deserviat. Per &c.

Ad complendum.

Auxiliare, Domine, quærentibus misericordiam tuam, & da veniam confitentibus, parce supplicibus; ut qui nostris meritis flagellamur, tua miseratione salvemur. Per &c.

Alia.

Intende, quæsumus, Domine, preces nostras, & qui non operando justitiam, correptionem meremur afflicti, in tribulatione clamantes respiremus adjuti. Per &c.

Ad Complendum.

Præſta, Domine, quæſumus, ut terrenis affectibus expiati, ad ſuperni plenitudinem Sacramenti, cujus libavimus ſancta, tendamus. Per &c.

LXXXIX.

MISSA PRO PESTE ANIMALIUM.

DEus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogaſti, ſupplices te rogamus, ut ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Per Dominum &c.

Super oblata.

Sacrificiis, Domine, placatus oblatis opem tuam noſtris temporibus clementer impende. Per Dominum.

Poſt Communionem.

Benedictionem tuam, Domine, Populus fidelis accipiat, qua corpore ſalvatus ac mente, congruam tibi exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat. Per &c.

Alia.

Averte, Domine, quæſumus, a fidelibus tuis cunctos miſeratus errores, & ſævientium morborum depelle perniciem, ut quos merito flagellas devios, foveas tua miſeratione correctos. Per Dominum &c.

XC.

MISSA IN CONTENTIONE.

OOmnipotens ſempiterne Deus, qui ſuperbis reſiſtis, & gratiam præſtas humilibus: tribue, quæſumus, ut non indignationem tuam provocemus elati, sed propitiationis tuæ capiamus dona ſubjecti. Per &c.

Super oblata.

Ab omni reatu nos, Domine, ſancta, quæ tractamus, abſolvant, & eadem muniant a totius pravitatis incurſu. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Quos refeciſti, Domine, cœleſti myſterio, propriis & alienis, quæſumus, propitiatus abſolve delictis; ut divino munere purificatis mentibus perfruamur. Per &c.

Item alia.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exſequamur & factis. Per.

XCI.

MISSA CONTRA JUDICES MALE AGENTES.

ECcleſiæ tuæ, Domine, preces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus univerſis ſecura tibi ſerviat libertate. Per &c.

Super oblata.

Protege nos, Domine, quæſumus, tuis myſteriis ſervientes, ut divinis rebus & corpore famulemur & mente. Per &c.

Ad complendum.

Quæſumus, Domine Deus noſter, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non ſinas ſubjacere periculis. Per &c. (a)

XCII.

MISSA CONTRA OBLOQUENTES.

PRæſta, quæſumus, Domine, ut mentium reproborum non curemus obloquium, ſed eadem pravitate calcata, exoramus, ut nec terreri nos lacerationibus patiaris injuſtis, nec captioſis adulationibus im-

a *Additur recentiori manu hæc Oratio in Othoboniano:* Eccleſiam tuam, Domine, quæſums, perpetua miſeratione proſeque-re, ut in turbine conſtituta & præſenti jucunditate reſpiret, & æternam beatitudinem percipiat. Per &c.

implicari, ſed potius amare, quæ præcipis. Per &c.

Super oblata.

Oblatio, Domine, tuis aſpectibus immolanda, quæſumus, ut & nos ab omnibus vitiis potenter abſolvat, & a cunctis defendat inimicis. Per &c.

Ad complendum.

Præſta, Domine, quæſumus, ut per hæc ſancta, quæ ſumſimus, diſſimulatis lacerationibus improborum, eadem, te gubernante, quæ recta ſunt, cautius exſequamur. Per &c.

XCIII.

ORATIONES AD PLUVIAM POSTULANDAM.

TErram tuam, Domine, quam videmus noſtris iniquitatibus tabeſcentem, cœleſtibus aquis infunde, atque irriga beneficiis gratiæ ſempiternæ. Per &c.

Alia.

Da nobis, Domine, quæſumus, pluviam ſalutarem, & aridam terræ faciem fluentis cœleſtibus dignanter infunde. Per &c.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire: aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis fluenti cœleſtis dignanter infunde. Per &c.

XCIV.

MISSA AD PLUVIAM POSTULANDAM.

Deus, in quo vivimus, movemur, & ſumus: pluviam nobis tribue congruentem, ut præſentibus ſubſidiis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per Dominum &c.

Alia.

Delicta fragilitatis noſtræ, Domine, quæſumus, miſeratus abſolve, & aquarum ſubſidia præbe cœleſtium, quibus terrena conditio vegetata ſubſiſtat. Per &c.

Super oblata.

Oblatis, Domine, placare muneribus, & opportunum nobis tribue pluviæ ſufficientis auxilium. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Tuere nos, Domine, quæſumus, tua ſancta ſumentes, & ab omnibus propitius abſolve peccatis. Per &c.

XCV.

ORATIONES AD POSCENDAM SERENITATEM.

Domine Deus, qui in myſterio aquarum ſalutis tuæ nobis ſacramenta ſanxiſti: exaudi orationem populi tui, & jube terrores inundantium ceſſare pluviarum, flagellumque hujus elementi ad effectum tui converte myſterii; ut qui ſe regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his caſtigantibus eſſe correctos Per &c.

Alia.

Quæſumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, ut inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem tui vultus nobis impertire digneris. Per &c.

XCVI.

MISSA AD POSCENDAM SERENITATEM.

AD te nos, Domine, clamantes exaudi, & aeris Serenitatem nobis tribue ſupplicantibus; ut qui pro peccatis noſtris juſte affligimur, miſericordia tua præveniente clementiam ſentiamus. Per &c.

Super oblata.

Præveniat nos, quæsumus, Domine, gratia tua semper & subsequatur, & has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas deferimus, benignus assume; ut per intercessionem (*a*) Sanctorum tuorum cunctis nobis proficiant ad salutem. Per &c.

Ad complendum.

Plebs tua, Domine, capiat sacræ benedictionis augmentum, & copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis, quæ tantis intercessionum deprecationibus adjuvatur. Per &c.

XCVII. MISSA AD REPELLENDAM TEMPESTATEM.

Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam, per ipsos motus aeris ad cultum tuæ majestatis instituis: tranquillitatem nobis misericordiæ tuæ remotis largire terroribus; ut cujus iram expavimus, clementiam sentiamus. Per Dominum &c.

Alia Oratio.

A domo tua, quæsumus, Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aerearum discedat malignitas tempestatum. Per &c.

Super oblata.

Offerimus, Domine, laudes & munera, pro concessis beneficiis gratias referentes, & pro concedendis semper suppliciter deprecantes. Per &c.

Ad complendum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos & castigando sanas, & ignoscendo conservas: præsta supplicibus tuis, ut & tranquillitatibus hujus optatæ consolationis lætemur, & dono tuæ pietatis semper utamur. Per &c.

XCVIII. (90) ORATIONES ET PRECES

Super Pœnitentem confitentem peccata sua more solito; Feria Quarta (b) infra Quadragesima.

Exaudi, Domine, preces nostras, & tibi confitentium parce peccatis; ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per &c.

Alia.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per &c.

Alia.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris; nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata; ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi (*c*), Domine, semper valeat adhærere. Per Dominum &c.

Alia.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris: respice, quæsumus, ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est, ablutionem criminum dare, & veniam præstare peccantibus: qui dixisti, pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine, hoc, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus suis, conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per &c.

XCIX.

a intercessionem omnium Sanctorum tuorum,

b in Quadragesima.

c tibi Domine valeat semper.

XCIX.

(91) ORATIONES (91) AD RECONCILIANDUM POENITENTEM

Feria Quinta in Cœna Domini.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, ut (*a*) quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tui muneris exsequendi; & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum; ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per Dominum.

Item alia.

Deus, humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui hominem, invidia Diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui Sanguine redemisti: vivifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori desideras, & qui non derelinquis devium, assume correctum. Moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria. Tu ejus medere vulneribus: tu jacenti manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitenti, ut sic in hac mortalitate peccata sua, te adjuvante, defleat, qualiter in tremendi Judicii die sententiam damnationis æternæ evadat, & nesciat, quod terret in tenebris, quod stridet in flammis. Atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus saucietur, sed integrum sit ei atque perpetuum & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per eumdem &c.

C.

(*b*) ORATIONES

AD VISITANDUM INFIRMUM.

DEus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita & famulum tuum (*illum*) a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per &c.

(*c*) *Alia.*

Respice, Domine, famulum tuum (*illum*) in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refove, quam creasti; ut castigationibus emendata, continuo se sentiat tua medicina salvatam. Per &c.

Item alia.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu: inclina aurem tuam supplicationibus nostris, & famulum tuum (*illum*), ex adversa valetudine corporis laborantem, placatus respice, & visita in salutari tuo, ac cœlestis gratiæ præsta medicinam. Per &c.

Alia.

Deus, qui humano generi & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti: conserva famulo tuo (*illi*) tuarum dona virtutum, & con-

a In utroque Codice legendum: & quem

b Oratio ad

c Orationem hanc & sequentem Codex Othobonianus omittit, utramque innuens his verbis:

Aliæ Orationes sicut in Gregoriano habentur: Respice, Domine, familiam tuam &c. *lege* famulum tuum.

& concede, ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per &c.

Alia.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo (*illi*), ut fugatis infirmitatibus & viribus receptis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per &c.

Item alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ, infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra & membra vegetentur: super hunc famulum tuum propitiatus intende, ut omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per &c.

C I.

MISSA PRO INFIRMIS.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro famulis tuis (*illis*), pro quibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actionem. Per &c.

Super oblata.

Deus, cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt: suscipe preces & hostias famulorum famularumque tuarum, pro quibus misericordiam tuam ægrotantibus imploramus; ut de quorum periculo metuimus, de eorum salute lætemur. Per &c.

Ad complendum.

Deus, infirmitatis humanæ singulare præsidium: auxilii tui super infirmos nostros ostende virtutem; ut ope misericordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentari mereantur. Per Dominum &c.

C I I.

ORATIO PRO REDDITA SANITATE.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem nominis tui benignus assiste, & hunc famulum tuum (*illum*) liberatum ægritudine, & sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, Ecclesiæ tuæ, sanctisque Altaribus tuis, cum omni desiderata prosperitate restituas. Per &c.

C I I I.

(92) RECONCILIATIO POENITENTIS. (92)

AD MORTEM.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice super hunc famulum tuum, & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est, & in unitate corporis Ecclesiæ tuæ membrorum perfecta remissione restitue. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum; & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per &c.

Alia.

Alia.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo (*illi*) longo squalore pœnitentiæ macerato, miserationis tuæ veniam largiri digneris; ut nuptiali veste recepta ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur introire. Per &c.

CIV.

(93) (93) ORATIONES IN AGENDA MORTUORUM,

quando Anima egreditur de Corpore.

PIo recordationis affectu, fratres carissimi, commemorationem faciamus cari nostri (*illius*), quem Dominus de tentationibus hujus seculi assumsit: obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placidam & quietam mansionem; & remittat omnes lubricæ temeritatis offensas, ut concessa venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc seculo proprio (*a*) reatu deliquit, totum ineffabili pietate ac benignitate sua deleat & abstergat. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia secula &c.

Item alia.

Deus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli tui (*illius*) per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinum amici tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamque in novissimo magni Judicii die. Et quidquid vitiorum fallente Diabolo contraxit, tu pius & misericors ablue indulgendo. Per &c.

Alia.

Suscipe, Domine, animam servi tui (*illius*), quam de ergastulo hujus seculi vocare dignatus es, & libera eam de principibus tenebrarum & de locis pœnarum, ut absoluta omnium vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, & inter Sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Dominum &c.

Alia.

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, (*illo*), quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio. Non ergo eum tua, quæsumus, judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio Fidei Christianæ commendat. Sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere (*b*) judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo Trinitatis. Per Dominum &c.

Item alia.

Fac, quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo defuncto (*illo*) misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, (*c*) ut sicut heic eum vera Fides junxit fidelium turmis, ita eum illic tua miseratio societ Angelicis choris. Per &c.

Item alia.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut Animam famuli tui (*illius*) quam de hoc seculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum &c.

Alia.

Absolve, Domine, animam famuli

a *Othobon.* proprio vel alieno reatu.
b evadere diem ultionis,
c voluntatem, & quia heic.

muli tui (*illius*) ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos resuscitatus respiret. Per &c.

Alia.

Annue nobis, Domine, ut Anima famuli tui (*illius*) remissionem, quam semper optavit, mereatur percipere peccatorum. Per &c.

(94) (94) *Post hæc continuatim* (*a*) *canantur Psalmi, & postea dicantur Capitula.*

In memoria æterna erit justus.

Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.

Requiem æternam dona ei, Domine.

INCIPIUNT ORATIONES *post lavationem corporis.*

Deus, vitæ dator, & humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti: exaudi preces, quas speciali devotione pro anima famuli tui (*illius*) tibi lacrymabiliter fundimus; ut liberare eam ab Inferorum cruciatibus, & collocare inter agmina Sanctorum tuorum digneris; veste quoque & stola immortalitatis indui, & Paradisi amœnitate confoveri jubeas. Per &c.

Item alia.

Deus, qui humanarum animarum æternus amator es: animam famuli tui (*illius*), quam vera, dum in corpore maneret, tenuit Fides, ab omni cruciatu Inferorum rede extorrem, ut segregata ab Infernalibus claustris, Sanctorum mereatur adunari consortiis. Per Dominum &c.

ORATIONES ANTE SEPULCR. *priusquam sepeliatur.*

Obsecramus misericordiam tuam, æterne omnipotens Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, (*b*) ut Spiritum & Animam famuli tui (*illius*), quem hodierna die rebus humanis eximi, & ad te accersire jussisti, blande & misericorditer suscipias. Non ei dominentur umbræ mortis, nec tegat eum chaos & caligo tenebrarum, sed exutus omnium criminum labe, in sinu Abrahæ Patriarchæ collocatus, locum lucis & refrigerii se adeptum esse gaudeat, & quum dies Judicii advenerit, cum Sanctis & electis tuis eum resuscitari jubeas. Per &c.

Item alia.

Deus, apud quem mortuorum spiritus vivunt, & in quo electorum animæ, deposito carnis onere, plena felicitate lætantur: præsta supplicantibus nobis, ut anima famuli tui (*illius*), quæ temporali per corpus visionis hujus luminis caruit visu, æternæ illius lucis solatio potiatur. Non eum tormentum mortis attingat, non dolor horrendæ visionis afficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena constringat; sed concessa sibi delictorum omnium venia, optatæ quietis consequatur gaudia repromissa. Per &c.

(*c*) ORATIO POST SEPULTUM CORPUS. (95) (95)

Oremus, fratres carissimi, (*d*) pro Spiritu cari nostri (*illius*) quem Do-

a continuatim cantantur Psalmi, & post hæc dicuntur.
b ut Spiritum famuli tui
c Oratio post sepulcrum
d carissimi, per Spiritum cari

Dominus de laqueo hujus seculi liberare dignatus est; cujus corpusculum hodie sepulturæ traditur: ut cum pietas Domini in sinu Abrahæ & Isaac & Jacob collocare dignetur; ut quum dies Judicii advenerit, inter Sanctos & electos suos eum, in parte dextera collocandum, resuscitari faciat. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit Deus per omnia secula seculorum.

Item alia.

Deus, qui justis (*a*) supplicantibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri: da famulo tuo (*illi*) cujus depositioni hodie officia humanitatis exhibemus, cum Sanctis atque fidelibus tuis beati muneris portionem. Per Dominum &c.

(95) (96) *Alia.*

Debitum humani corporis sepeliendi officium, fidelium more, complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecemur; ut hoc corpus cari nostri (*illius*) a nobis in infirmitate sepultum, in ordine Sanctorum suorum resuscitet, & ejus Spiritum Sanctis ac fidelibus aggregari jubeat, cum quibus inenarrabili gloria & perenni felicitate perfrui mereatur. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus &c.

Alia.

Temeritatis quidem est, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem, tibi Domino Deo nostro audeat commendare. Sed quia terra suscipit terram, & pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in suam redigatur originem: inde tuam, Deus, piissime Pater, lacrymabiliter quæsumus pietatem, ut hujus famuli tui (*illius*) Animam, quam de hujus Mundi voragine cœnulenta ducis ad patriam, Abrahæ amici tui sinu recipias, & refrigerii rore perfundas. Sit ab æstuantis gehennæ truci incendio segregatus, & beatæ requiei, te donante, conjunctus. Et si quæ illi sunt, Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratiæ mitissimæ (*b*) lenitate indulge, nec peccati recipiat vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat bonitatem. Quumque finito Mundi termino supernum cunctis illuxerit Regnum (*c*), omnium Sanctorum cœtibus aggregatus cum electis resurgat, in parte dexteræ coronandus. Per &c.

Alia. (97) (97)

Tibi, Domine, commendamus Animam famuli tui (*illius*), ut defunctus seculo, tibi vivat. (*d*) Et si qua per fragilitatem mundanæ conversationis peccata admisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum &c.

CV.

MISSA UNIUS DEFUNCTI.

Omnipotens sempiterne Deus, cui numquam sine spe misericordiæ supplicatur: propitiare Animæ (*e*) famuli tui (*illius*); ut qui de hac vita in tui nominis confessione decessit, Sanctorum tuorum numero facias aggregari. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, quæsumus, Domine, Animæ famuli tui (*illius*), pro qua hostias placationis offerimus. Et quia

a justis supplicationibus semper.
b mitissima lenitate.
c Regnum, novus homo omnium Sanctorum cœtibus aggregatus cum electis tuis resurgat, in parte dextera coronandus. Per &c.
d Et quæ per fragilitatem.
e *In Codice Vaticano additur etiam in plurali*: Animabus famulorum tuorum; *& ita in sequentibus Orationibus.*

quia in hac luce in Fide mansit Catholica, in futura vita ejus retributio condonetur. Per &c.

(*a*) *Infra Actionem*.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie animæ famuli tui (*illius*) offerimus, quæsumus, Domine, placatus accipias, & tua pietate concedas, ut mortalibus nexibus absoluta, inter fideles tuos mereatur habere portionem. Per &c.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui (*illius*), ab Angelis lucis susceptam, (*b*) in præparatis habitaculis deduci facias beatorum. Per &c.

CVI.

MISSA PRO DEFUNCTO
(98) NUPER BAPTIZATO. (98)

DEus, qui ad cœleste Regnum nonnisi renatis per Aquam & Spiritum Sanctum pandis introitum; multiplica super animam famuli tui (*illius*) misericordiam tuam, & cui donasti cœlestem & incontaminatum transitum post Baptismi Sacramentum, da ei æternorum plenitudinem gaudiorum. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro anima famuli tui (*illius*), pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam Sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum &c.

Infra actionem.

Hanc igitur olationem, quam tibi offerimus, Domine, pro anima famuli tui (*illius*), benignus (*c*) assume, eumque regenerationis Fonte purgatum, & periculis vitæ hujus erutum, beatorum numero digneris inserere Spirituum. Diesque nostros &c.

Ad complendum.

Propitiare, Domine, animæ famuli tui (*illius*), ut quem in fine istius vitæ regenerationis fonte mundasti, ad cœlestis Regni beatitudinem facias pervenire. Per &c.

CVII.

MISSA PRO DEFUNCTIS, DESIDERANTIBUS POENITENTIAM, ET MINIME CONSEQUENTIBUS.

(99) *Si quis Pœnitentiam petens, dum Sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, constitutum est, ut si idonea testimonia hoc dixerint, & ipse per motus aliquos satisfacit, Sacerdos impleat omnia circa Pœnitentem, ut mos est*. (99)

AD MISSAS.

OMnipotens & misericors Deus, in cujus humana conditio potestate consistit, animam famuli tui (*illius*), quæsumus ab omnibus absolve peccatis; & Pœnitentiæ fructum, quem voluntas ejus optavit, præventus conditione mortalitatis non perdat. Per &c.

Super oblata.

Satisfaciat tibi, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui (*illius*) sacrificii præsentis oblatio, & peccatorum veniam, quam quæsivit, inveniat; & quod officio linguæ implere non potuit, desideratæ pœnitentiæ compensatione percipiat. Per &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offert famula tua (*illa*) pro anima famuli tui (*illius*), cujus depositionis diem (*illum*), celebramus, quæsumus, Domine, ut pla-

a Cod. Othobon. INF.
b in præparata habitacula deduci.
c Reliqua quæ heic habentur, non leguntur in Othoboniano, in quo sublata & abrasa desiderantur tria folia, quæ descriptas præseferebant, a numero CVII. ad CXII. exclusive, quinquo Missas sequentes, a Codice Vaticano adservatas.

placatus accipias, & ineffabili pietate concedas, ut quod exsequi præventus conditione mortali ministerio linguæ non potuit, mercatur indulgentia sempiterna; diesque nostros &c.

Ad complendum.

Deus, a quo speratur humani corporis omne, quod bonum est: tribue per hæc sancta, quæsumus, ut sicut animæ famuli tui (*illius*) pœnitentiæ velle donasti, sic indulgentiam tribue miseratus optatam. Per &c.

CVIII.

MISSA IN ANNIVERSARIO UNIUS DEFUNCTI.

Præsta, Domine, quæsumus, ut anima famuli tui (*illius*), cujus Anniversarium depositionis diem celebramus, his purgata sacrificiis, indulgentiam pariter & requiem capiat semipternam. Per &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro anima & spiritu famuli tui (*illius*), cujus hodie annua dies agitur, pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam Sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro anima famuli tui (*illius*), cujus hodie annua dies agitur, quæsumus, placatus intende, eamque mortalitatis nexibus absolutam, inter tuos fideles ministros habere perpetuam jubeas portionem. Diesque nostros &c.

Ad complendum.

Suscipe, Domine, preces nostras pro anima famuli tui (*illius*), ut si quæ maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ misericordia deleantur. Per &c.

CIX.

MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

Propitiare, quæsumus, Domine, animabus famulorum famularumque tuarum misericordia sempiterna, ut mortalibus nexibus expeditas, lux eas æterna possideat. Per Dominum &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, humili placatione deferimus, ut animæ famulorum, famularumque tuarum per hæc placationis officia tuam misericordiam consequantur. Per &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie animarum famulorum, famularumque tuarum offerimus, quæsumus, Domine, propitius intuere; & concede, ut mortuis prosit ad veniam, quod cunctis viventibus præparare dignatus es ad medelam. Diesque nostros &c.

Ad complendum.

Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famulorum famularumque tuarum (*illorum & illarum*), omniumque in Christo quiescentium, lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consequuti sunt Sacramentum. Per &c.

CX.

ITEM ALIA MISSA.

Fidelium Deus omnium conditor & redemtor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Per &c.

Super oblata.

Hostias, quæsumus, Domine, quas tibi pro animabus famulorum, fa-

amularumque tuarum offerimus, propitiatus intende; ut quibus Fidei Christianæ meritum contulisti, dones & præmium. Per &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro commemoratione Animarum in pace dormientium, supplices immolamus: quæsumus, Domine, benignus accipias, & tua pietate concedas, ut & nobis proficiat hujus pietatis affectus, & illis impetret beatitudinem sempiternam. Diesque nostros &c.

Ad complendum.

Animabus, quæsumus, Domine, famulorum, famularumque tuarum (*illorum* & *illarum*), oratio proficiat supplicantium; ut eas & a peccatis exuas, & tuæ redemtionis facias esse participes. Per Dominum &c.

CXI.

ITEM ALIA MISSA.

Animabus, quæsumus, Domine, famulorum, famularumque tuarum, misericordiam concede perpetuam; ut eis proficiat in æternum, quod in te speraverunt & crediderunt. Per &c.

Super oblata.

His, quæsumus, Domine, placatus intende muneribus, & quod ad laudem tui nominis supplicantes offerimus, ad indulgentiam proficiat Defunctorum. Per &c.

(*a*) *Ad complendum.*

Supplices, quæsumus, Domine, pro animabus famulorum, famularumque tuarum, preces effundimus, sperantes, ut quidquid conversatione contraxerunt humana, & clementer indulgeas, & in tuorum sede lætantium constituas redemtorum. Per Dominum &c.

CXII.

MISSA IN CIMITERIIS.

Deus, cujus miseratione Animæ fidelium requiescunt, famulis tuis (*illis* & *illis*) vel omnibus heic in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti sine fine lætentur. Per &c.

Super oblata.

Pro animabus famulorum tuorum (*illorum* & *illarum*) & heic omnium Catholicorum dormientium, hostiam, Domine, suscipe benignus oblatam, ut hoc sacrificio singulari vinculis horrendæ mortis (*b*) exuti, vitam mereantur æternam. Per &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, pro tuorum requie famulorum & famularum (*illorum* & *illarum*) & omnium fidelium orthodoxorum in Basilica in Christo quiescentium, & qui in circuitu hujus Ecclesiæ requiescunt: quæsumus, Domine, placatus accipias, ut per hæc salutis humanæ subsidia, in tuorum numero redemtorum sorte perpetua censeantur. Per &c.

Ad complendum.

Deus, fidelium lumen animarum, adesto supplicationibus nostris, & da famulis, vel famulabus tuis (*illis* & *illis*), vel quorum corpora heic requiescunt, (*c*) refrigerii sedis quietem beatitudinem, luminis claritatem. Per &c.

a Vaticano Codici rursus heic consonat Othobonianus.

b Textus Othobon. exutæ, vitam.

c refrigerii sedem, quietis beatitudinem.

CXIII.

(100) CXIII. (100)

MISSA PRO SALUTE VIVORUM, VEL IN AGENDA MORTUORUM.

SAnctorum (*a*) tuorum interceſſionibus, quæſumus, Domine, & nos protege, & famulis & famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, vel quorum eleemoſynas recepimus, ſeu etiam his, qui nobis familiaritate juncti ſunt, miſericordiam tuam ubique prætende; ut ab omnibus impugnationibus defenſi, tua opitulatione ſalventur. Et animas famulorum famularumque tuarum, omnium videlicet fidelium Catholicorum Orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, & quorum corpora in hoc Monaſterio requieſcunt, vel quorum nomina ante ſanctum Altare tuum ſcripta adeſſe videntur, electorum tuorum jungere digneris conſortio. Per Dominum &c.

Super oblata.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & has oblationes, quas pro incolumitate famulorum famularumque tuarum, & pro animabus omnium fidelium Catholicorum Orthodoxorum, quorum nomina ante ſanctum Altare tuum ſcripta adeſſe videntur, nomini tuo conſecrandas deferimus, benignus aſſume; ut ſacrificii præſentis oblatio ad refrigerium animarum eorum, te miſerante, perveniat. Per Dominum &c.

Ad complendum.

Purificet nos, quæſumus, Domine, & divini Sacramenti perceptio, & glorioſa Sanctorum tuorum oratio, & animabus famulorum, famularumque tuarum, quorum commemorationem agimus, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum. Per &c.

CXIV.

(101) EXORCISMUS SALIS. (101)

EXorcizo te, creatura Salis, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum, per Deum, qui te per Heliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas Aquæ; ut efficiaris Sal exorcizatum in ſalutem credentium; & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis, & effugiat atque diſcedat ab eo loco, quo aſperſus fuerit, omnis phantaſia, & nequitia, vel verſutia Diabolicæ fraudis, omniſque Spiritus immundus, adjuratus per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem. Amen.

CXV.

BENEDICTIO SALIS.

IMmenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam Salis, quam in uſum generis humani tribuiſti, benedicere, & ſanctificare tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis; & quidquid eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ. (*b*) Per Dominum &c.

CXVI.

EXORCISMUS AQUÆ.

EXorcizo te, creatura Aquæ, in nomine Dei Patris omnipotenis, & in nomine Jeſu Chriſti, Filii ejus, Do-

a Sanctorum omnium tuorum.

b *Othobon.* Per virtutem &c.

Domini nostri; ut fias Aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare cum Angelis suis apostaticis. Per virtutem Domini nostri Jesu Christi.

CXVII.

BENEDICTIO AQUÆ.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in Aquarum substantia condidisti: adesto invocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis effunde; ut creatura mysterii tui tibi serviens, ad abjiciendos Dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum; ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc Unda resperserit, careat immunditia, liberetur a noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens. Discedant omnes insidiæ latentis inimici. Et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti: aspersione hujus Aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per &c.

CXVIII.

BENEDICTIO SALIS ET AQUÆ PARITER.

Heic mittatur Sal in Aquam.

DEus, invictæ virtutis auctor, & inseparabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui rugientis inimici sævitiam superas, qui hostiles nequitias potens expugnas: te, Domine, trementes & supplices deprecamur & petimus, ut hanc creaturam Salis & Aquæ dignanter accipias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi Spiritus abjiciatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, & præsentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus Sancti, per omnia secula.

CXIX.

ORATIO, QUANDO AQUA (a) SPARGITUR IN DOMO.

EXaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, & mittere dignare Angelum tuum sanctum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Dominum &c.

CXX.

BENEDICTIO DOMUS.

ADesto, Domine, supplicationibus nostris, & hanc Domum serenis oculis tuæ pietatis illustra. Descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio; ut in his manufactis habitaculis cum salubritate manentes, ipsi tuum semper sit habitaculum. Per &c.

Alia.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut si qua sunt adversa, si qua contraria

ria

(a) aspergitur.

ria in hac Domo famuli tui (*illius*), auctoritate majestatis tuæ pellantur. Per &c.

CXXI.

(*a*) ORATIO CONTRA FULGURA.

Primum (b) spargitur Aqua benedicta, & postea dicatur ista Oratio:

OMnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, & propitiare supplicibus tuis, ut post noxios ignes nubium & vim procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per Dominum &c.

CXXII.

ORATIO SUPER VASA, IN LOCO ANTIQUO REPERTA.

OMnipotens sempiterne Deus, insere te officinis nostris, & hæc Vascula (*c*) arte fabricata Gentilium, sublimitatis tuæ potentia ita emundare digneris, ut omni immunditia depulsa, sint tuis fidelibus tempore pacis atque tranquillitatis utenda. Per &c.

CXXIII.

BENEDICTIO PUTEI.

DEprecamur, Domine, clementiam pietatis tuæ, ut aquam Putei hujus cœlesti benedictione sanctifices, & ad communem vitam concedas salubrem. Et ita ex eo fugare digneris omnem Diabolicæ tentationis incursum, ut quicumque ex eo ab hinc (*d*) hauserint, biberintve, vel in quibuslibet necessariis usibus hausta aqua usus fuerit, totius virtutis ac sanitatis dulcedine perfruatur, ut tibi sanctificatori & salvatori omnium Domino gratias agere mereatur. Per &c.

CXXIV.

BENEDICTIO UVÆ, VEL FAVÆ.

BEnedic, Domine, hos fructus novos Uvæ, sive Favæ, quos tu, Domine, per rorem Cœli & inundantiam pluviarum, & tempora serena atque tranquilla, ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit &c.

CXXV.

BENEDICTIO AD FRUGES NOVAS.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui Cælum & Terram, Mare & omnia creasti: te supplices quæsumus, ut hunc fructum novum benedicere & sanctificare digneris, & multiplicare abundanter offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti & vini; ut lætantes in eis, referant tibi Deo omnipotenti laudes & gratias. Per &c.

CXXVI.

BENEDICTIO AD OMNIA QUÆ VOLUERIS.

BEnedic, Domine, creaturam istam, ut sit remedium salutare generi humano; & præsta per invocationem nominis tui, ut quicumque ex ea sumserit, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiat. Per &c.

CXXVII.

a Orationes.
b spargatur.
c Vascua aurea fabricata.
d ab hinc hauserit, biberitve,

CXXVII.

BENEDICTIO PANIS.

BEnedic, Domine, creaturam istam Panis, ficut benedixifti quinque panes in deferto; ut omnes guftantes ex eo, accipiant tam corporis, quam animæ fanitatem. Qui vivis cum Deo Patre &c.

CXXVIII.

(102) ## (102) ORATIONES ANTE CIBUM.

REfice nos, Domine, (*a*) donis tuis, & opulentiæ tuæ largitate fuftenta. Per &c.

Alia.

Benedic, Domine, dona tua, quæ de tua largitate fumus fumturi. Per &c.

(*b*) ORATIONES SUPER MENSAM.

Benedicantur nobis, Domine, tua dona, quæ de tua largitate (*c*) nobis ad remedium deducta funt. Qui es Deus benedictus, & regnas per omnia fecula feculorum. Amen.

Alia.

Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, gloriofæ & intemeratæ Virginis orationibus, quod nobis appofitum eft, (*) Redemtor omnium benedicat.

Alia.

Beati Petri, Principis Apoftolorum interventionibus, quæ nobis ad medium funt prolata, Chriftus Dei Filius benedicat.

ORATIONES POST CIBUM.

Satiati, Domine, opulentiæ tuæ donis, tibi gratias agimus pro his, quæ te largiente fufcepimus, obfecrantes mifericordiam tuam, ut quod corporibus noftris neceffarium fuit, mentibus non fit onerofum. Per &c.

Alia.

Satiafti nos, Domine, de tuis donis ac datis. Reple nos de tua mifericordia: quia tu es benedictus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus per omnia fecula feculorum.

CXXIX.

(*d*) ORATION. IN SACRARIO.

OMnipotens & mifericors Deus, qui Sacerdotum minifterio ad tibi ferviendum & fupplicandum uti dignaris: quæfumus immenfam clementiam tuam, ut quidquid modo vifitamus, vifites, quidquid benedicimus, benedicas, fitque ad noftræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga Dæmonum, Angeli pacis ingreffus. Per &c.

CXXX.

ORATIO, UBI VESTIMENTA CONSERVANTUR.

Deus, qui famulantibus tibi, mentis & corporis fubfidia mifericorditer largiris: præfta, quæfumus, ut quæ heic pietas tua in ufus & neceffaria corporum famulorum tuorum contulit, clementer abundare & confervare facias, ut his exterius utentes, interius indumento amicti juftitiæ, devoti femper tibi exi-

a Domine. quæfumus, donis.
b Aliæ Orationes.
c nobis ad medium deducta funt.

(*) Creator omnium.
d Oratio in

exsistere mereantur. Per Dominum &c.

CXXXI.

ORATIO IN REFECTORIO.

Omnipotens & misericors Deus, qui famulos tuos in hac domo alis refectione carnali: cibum, vel potum, te benedicente, cum gratiarum actione percipiant; & heic & in æternum per te semper salvi esse mereantur. Per &c.

CXXXII.

ORATIO IN DORMITORIO.

Benedic, Domine, hoc famulorum tuorum Dormitorium; qui non dormis neque dormitas, qui custodis Israel, famulos tuos, in hac domo quiescentes post laborem, custodi ab illusionibus phantasmaticis Satanæ. Vigilantes in præceptis tuis, meditentur dormientes. Te per soporem sentiant; & heic & ubique defensionis tuæ auxilio muniantur. Per &c.

CXXXIII.

ORATIO IN CELLARIO.

Omnipotens & misericors Deus, qui ubique præsens es: majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut huic Promtuario gratia tua adesse dignetur, quæ cuncta adversa ab eo repellat, & abundantiam benedictionis tuæ largiter infundat. Per &c.

CXXXIV.

ORATIO IN SCRIPTORIO.

Benedicere digneris, Domine, hoc Scriptorium famulorum tuorum, & omnes habitantes in eo; ut quidquid heic Divinarum Scripturarum ab eis lectum vel scriptum fuerit, sensu capiant, & opere perficiant. Per &c.

CXXXV.

ORATIO IN HOSPITALE.

Omnipotens & misericors Deus, qui es doctor cordium humanorum, & magister Angelorum: te humiliter quæsumus, ut cordibus famulorum tuorum, ob gratiam (a) salutationis Locum hunc frequentantium, semper adesse digneris. Sit eorum sermo in timore tuo ignitus, atque sale conditus, utilitate proximi plenus, ut quum hinc advenientes recesserint, de exemplo eorum gloriam tui nominis prædicent. Per &c.

CXXXVI.

ORATIO IN DOMO INFIRMORUM.

Omnipotens & misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ hos famulos tuos, hoc in habitaculo fessos jacentes, salutifere visitare digneris. Et sicut visitasti, Domine, Tobiam, & Sarram, Socrum Petri, Puerumque Centurionis; ita & isti pristina sanitate animæ corporisque recepta, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actionem. Per &c.

CXXXVII.

a ob gratiam salvationis.

CXXXVII.

ORATIO IN AREA.

MUltiplica, Domine, ſuper nos miſericordiam tuam, & preces noſtras propitius exaudire dignare. Et ſicut exaudiſti famulum tuum Regem David, qui te in area, hoſtias offerendo, placavit, iram avertit, indulgentiam impetravit: ita veniat, quæſumus, ſuper hanc Aream ſperatæ benedictionis ubertas; ut repleti frugibus tuis, de tua ſemper miſericordia gloriemur. Per &c.

CXXXVIII.

ORATIO IN GRANARIO.

OMnipotens & miſericors Deus, qui benedixiſti horrea Joſeph, aream Gedeonis, & adhuc, quod majus eſt, jacta terræ ſemina ſurgere facis cum fœnore meſſis: te humiliter quæſumus, ut ſicut ad petitionem famuli tui Eliæ non defuit Viduæ farina: ita ad noſtræ parvitatis ſuffragia, huic Horreo famulorum tuorum non deſit benedictionis tuæ abundantia. Per &c.

CXXXIX.

(*a*) IN PISTRINO.

SAnctificetur iſtius Officinæ locus, Domine, & fugetur ab eo omnis immundus Spiritus, per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti; deturque omnibus in eo commorantibus ſanitas, (*b*) claritas, hilaritas, protegente ac conſervante majeſtate tua, omnipotens Deus, qui vivis & regnas &c.

CXL.

ORATIO IN COQUINA.

DEus æterne, ante cujus conſpectum adſiſtunt Angeli, & cujus nutu reguntur univerſa; qui etiam neceſſariis humanæ (*c*) fragilitatis tua pietate conſulere non deſinis, te humiliter imploramus, ut habitaculum iſtius Officinæ illa benedictione perfundas, qua per manus Eliſæi Prophetæ in olla heremitica guſtus amariſſimos dulcoraſti; & ſemper heic tuæ benedictionis copia redundante, laudes tibi referant ſervi tui. Qui das eſcam omni carni, & reples omne animal benedictione, Salvator Mundi, qui vivis & regnas &c.

CXLI.

(103) (*d*) IN LARDARIO. (103)

OMnipotens & miſericors Deus, qui neceſſitatem humani generis clementer prævidens, adminicula temporalia contuliſti: te humiliter imploramus, ut benedicere digneris hoc Lardarium famulorum tuorum, (*e*) ut quod tua miſericordia pie contulit, noſtro merito non depereat. Per &c.

CXLII.

(104) ORATIO IN CAMINATA. (104)

OMnipotens ſempirerne Deus, cujus ſapientia hominem docuit, ut domus hæc careret aliquando frigore a vicinitate ignis: te quæſumus, ut omnes habitantes, vel convenientes in ea, careant in corde infidelitatis frigore

a ſer-

a Oratio in.
b claritatis hilaritas.
c *Legendum in utroque Codice*: humanæ fragilitati.
d Oratio in.
e ut quod heic tua.

a fervore ignis Spiritus Sancti. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti. Per omnia &c.

CIII.

ORATIONES MATUTINALES.

MAtutina supplicantium vota, Domine, propitius intuere, & occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis, ut desideria tenebrosa non teneant, quos lux cœlestis gratiæ reparavit. Per Dominum &c.

Alia.

Emitte, quæsumus, Domine, lucem tuam in cordibus nostris, ut mandatorum tuorum lege percepta, in via tua ambulantes nihil patiamur erroris. Per &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, apud quem nihil obscurum est, nihil tenebrosum, emitte lucem tuam in cordibus nostris, ut supra. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui vigilantes in laudibus tuis cœlesti mercede remuneras: tenebras de cordibus nostris auferre digneris, ut splendore luminis tui semper gaudeamus. Per &c.

Alia.

Gratias tibi agimus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos de transacto noctis spatio ad matutinas horas perducere dignatus es. Quæsumus, ut dones nobis diem hunc sine peccato transire, quatenus ad vesperum & semper tibi Deo gratias referamus. Per &c.

Alia.

Exsurgentes de cubilibus nostris, auxilium gratiæ tuæ matutinis, Domine, precibus imploramus, ut discussis tenebris vitiorum, ambulare mereamur in luce virtutum. Per &c. (*a*)

Alia.

Auge (*b*) in nobis, Domine, quæsumus, fidem tuam, & Spiritus Sancti lucem in nobis semper accende. Per &c.

Alia.

Gratias agimus inenarrabili pietati tuæ, omnipotens Deus, qui nos depulsa noctis caligine, ad diei hujus principium perduxisti, & abjecta ignorantiæ cœcitate, ad cultum tui nominis atque scientiam revocasti: illabere sensibus nostris, omnipotens Deus Pater, ut in præceptorum tuorum lumine gradientes, te ducem sequamur & principem. Per &c.

Alia.

Deus, qui tenebras ignorantiæ, Verbi tui luce depellis: auge in cordibus nostris virtutem Fidei, quam dedisti, ut ignis, quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus possit exstingui. Per &c.

Alia.

Auribus percipe, quæsumus, Domine, verba oris nostri, clamoremque matutinum pius scrutator intellige, ut orandi ad te nobis sit fida devotio, tuaque donetur nobis diluculo contemplatio, & peccatorum omnium exoptata remissio. Per Dominum &c.

Alia.

Veritas tua, quæsumus, Domine, luceat in cordibus nostris, & omnis falsitas destruatur inimici. Per &c.

Ii 2 *Alia*

a Codex Othobonianus addit hanc orationem:

Te lucem veram, & lucis auctorem, Domine, deprecamur, ut digneris a nobis, tenebras depellere vitiorum, & clarificare nos luce virtutum. Per &c.

b Auge nobis, Domine.

Alia.

Sensibus nostris; quæsumus, Domine, lumen sanctum tuum benignus infunde, ut tibi semper simus devoti, cujus sapientia creati sumus, & providentia gubernamur. Per &c.

Alia.

Tua nos, Domine, veritas semper illuminet, & ab omni pravitate defendat, atque custodiat. Per.

ORATIONES VESPERTINALES.

Oriatur, Domine, nascentibus tenebris aurora justitiæ, ut peracto die tibi suppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter respicias vota solventes. Per &c.

Alia.

Tuus est dies, Domine, & tua est nox. Concede, solem justitiæ permanere in cordibus nostris ad repellendas tenebras cogitationum iniquarum. Per Dominum &c.

Alia.

Gratias tibi agimus, Domine, custoditi per diem; grates tibi exsolvimus custodiendi per noctem. Repræsenta nos, quæsumus, Domine, matutinis horis incolumes, ut nos omni tempore habeas laudatores. Per &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, vespere & mane & meridie majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut expulsis de cordibus nostris peccatorum tenebris, ad veram lucem, quæ Christus est, nos facias pervenire. Per eumdem &c.

Alia.

Deus, qui illuminas noctem, & lucem post tenebras facis: concede nobis, ut hanc noctem sine impedimento Satanæ transeamus, atque matutinis horis ad Altare tuum recurrentes, tibi Deo gratias referamus. Per &c.

Alia.

Vespertinæ laudis officia persolventes, clementiam tuam, Domine, humili prece deposcimus, ut nocturni insidiatoris fraudes, te protegente, vincamus. Per &c.

Alia.

Propitiare, Domine, vespertinis supplicationibus nostris, & fac nos sine ullo reatu matutinis tibi laudibus præsentari. Per &c.

Alia.

Quæsumus, Domine, Deus noster, diei molestias noctis quiete sustenta, ut necessaria temporum vicissitudine succedente, nostra reficiatur infirmitas. Per Dominum &c.

Alia.

Exaudi, Domine, famulos tuos, vespertina nomini tuo vota reddentes, & quos per singula diei momenta servasti, per noctis quietem custodire dignare. Per &c.

CXLIV.

IMPOSITIO MANUUM SUPER ENERGUMENUM CATECHUMENUM.

OMnipotens sempiterne Deus, a cujus facie Cœli distillant, Montes sicut cera liquescunt, Terra tremit; cui patent Abyssi, quem Infernus pavescit, quem omnis irarum motus aspiciens, humiliatur: te supplex deprecor, dominator Domine, ut invocatione nominis tui, ab hujus famuli tui vexatione inimicus confusus abscedat, & ab hujus possessione anima liberata, ad Auctorem suæ salutis recurrat, liberatoremque suum, Diabolico fœtore depulso, & odore suavissimo Spiritus Sancti percepto, sequatur. Per &c.

CXLV.

ITEM ALIA PRO PARVULO ENERGUMEN.

DOmine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro hujus famuli tui Diabolo oppressa infantia. Qui etiam indignis inter pressuras donas præsidium, exsurge pro hujus infantia debellata, noli diu retinere vindictam. Nec ante conspectum tuum veniant parentum delicta, qui nec pro filio patrem, nec pro patre promisisti filium judicari. Auxiliare, quæsumus, inimici furore vexato, ne sine Baptismate facias ejus animam diabolo possideri, sed potius tenera ætas maligni oppressionibus liberata, tibi referat gratias sempiternas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem.

CXLVI.

ITEM ALIÆ ORATIONES SUPER ENERGUMENUM
(105) FACIENDUM. (105.)

DEus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, invoco nomen sanctum tuum, ac præclaræ majestatis tuæ clementiam supplex exposco, ut mihi auxilium præstare digneris adversus hunc nequissimum Spiritum; ut ubicumque latet, audito nomine tuo, velociter exeat, vel recedat. Ipse tibi imperavit, Diabole, qui ventis & mari vel tempestatibus imperavit. Ipse tibi imperat, qui te de supernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipse tibi imperat, qui te retrorsum redire præcepit. Audi ergo & time, Satanas, victus, & prostratus. Abscede in nomine Domini nostri Jesu Christi. Tu ergo, nequissime Satanas, inimicus Fidei . . . generis humani, mortis raptor, justitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, seductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, causa discordiæ, excitator dolorum, Dæmonum Magister: quid stas & resistis, quum scis eum tuas perdere vires? Illum metue, qui in Isaac immolatus est, in Joseph venumdatus, in agno occisus, in homine crucifixus, deinde triumphator. Recede in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & da locum Spiritui Sancto, per hoc signum Crucis Christi Domini nostri, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus.

Alia.

Deus conditor & defensor generis humani, qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam formasti: respice super famulum tuum hunc, qui dolis invidi Serpentis appetitur, quem vetus adversarius & hostis antiquus atræ formidinis horrore circumvolat, & sensum mentis humanæ stupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle, Domine, virtutem Diaboli, fallacesque ejus insidias amove. Procul impius tentator aufugiat. Sit nominis tui famulus tuus & animo tutus & corpore. Tu pectoris hujus interna custodias; tu viscera regas, tu corda confirmes. Inania adversariæ potestatis tentamenta vanescant. Da ad hanc invocationem nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus abeat, & victus abscedat; tibique possit hic servus tuus corde firmato & mente sincera debitum præbere famulatum. Per.

Alia.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Hosanna in excelsis: Pater Domini nostri Jesu Christi; qui illum refugam tyrannum gehennæ deputasti; qui Unigenitum tuum in hunc Mundum misisti, ut illum rugientem leonem contereret: velociter attende: accelera, ut eripias hominem, ad imaginem & similitudinem tuam creatum, a ruina & Dæmonio meridiano. Da, Domine, terrorem tuum super bestiam, quæ exterminavit vineam tuam. Da fiduciam servis tuis contra nequissimum draconem fortiter stare, (*a*) Nec contemnat sperantes in te, & dicat, sicut in Pharaone jam dixit: *Deum non novi, nec Israel dimitto*. Urgeat illum, Domine, dextera tua potens discedere a famulo tuo, ne diutius præsumat captivum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es.

Adjuro te ergo, serpens antique, per Judicem vivorum & mortuorum, per factorem Mundi, per eum, qui habet potestatem mittere in gehennam: ut ab hoc famulo Dei, qui ad Ecclesiæ præsepia concurrit, cum metu & exercitu furoris tui festinus discedas. Adjuro te, non mea infirmitate, sed in virtute Sancti Spiritus, ut desinas ab hoc famulo Dei, quem omnipotens Deus ad imaginem suam fecit. Cede, cede, non mihi, (*b*) sed mysteriis Christi. Illius enim te perurget potestas, qui te affigens Cruci suæ subjugavit. Illius brachium contremisce, qui devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, sit tibi formido imago Dei. Nec resistas, nec moreris discedere ab homine, quoniam complacuit Christo, ut in homine habitaret. Et ne me infirmum contemnendum putes, dum me peccatorem nimis esse cognoscis: imperat tibi Dominus, imperat tibi majestas Christi, imperat tibi Deus Pater, imperat tibi Filius, & Spiritus Sanctus. Imperat tibi Apostolorum fides sancti Petri & Pauli, & cæterorum Apostolorum. Imperat tibi indulgentia Confessorum, imperat tibi Martyrum sanguis, imperat tibi sacramentum Crucis, imperat tibi mysteriorum virtus.

Exi, transgressor, exi, seductor plene omni dolo & fallacia, veritatis inimice, innocentium persequutor. Da locum, durissime, da locum, impiissime, da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis. Qui te exspoliavit, qui regnum tuum destruxit, qui te victum ligavit, & vasa tua disrupit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum ministris tuis erit præparatus interitus. Sed quid nunc, truculente, recogitas, quid, temerarie, retractas? Reus omnipotenti Deo, cujus statuta transgressus es, reus Filio ejus Jesu Christo, quem tentare ausus es, & crucifigere præsumsisti; reus humano generi, cui mors tuis persuasionibus venit.

Adjuro ergo te, draco nequissime, in nomine Agni immaculati, qui ambulavit super aspidem & basiliscum, qui conculcavit leonem & draconem: ut discedas ab homine, discedas ab Ecclesia Dei. Contremisce & effuge, invocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui Virtutes cœlorum & Potestates, & Dominationes subjectæ sunt; quem Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant. Imperat tibi Verbum caro factum: imperat tibi Jesus Nazarenus, qui te, quum Discipulos ejus contemneres, eli-

sum

a stare, ne contemnat.

b sed ministeriis.

ſum & proſtratum exire juſſit ab homine, quo præſente, quum te ab homine ſeparaſſet, nec porcorum gregem præſumebas contingere. Recede ergo nunc adjuratus in nomine ejus ab homine, quem ipſe plaſmavit. Durum tibi eſt, Chriſto velle reſiſtere, durum tibi eſt contra ſtimulum calcitrare; quia quanto tardius exis, tanto tibi ſupplicium majus creſcit, quoniam non hominem contemnis, ſed illum, qui dominator vivorum & mortuorum eſt. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.

ORATIO

(106) (106) QUANDO LEVANTUR RELIQUIÆ.

AUfer a nobis, quæſumus, Domine, iniquitates noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris mentibus mereamur introire. Per Dominum &c.

ORATIO IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

DOmum tuam, quæſumus, Domine, clementer ingredere, & in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam conſtitue manſionem, ut cujus ædificatione ſubſiſtit, hujus fiat habitatione (*a*) præclara. Per Dominum &c.

ORATIO

POST VELATUM ALTARE.

DEſcendat, quæſumus, Domine Deus noſter, Spiritus Sanctus tuus ſuper hoc Altare, qui & Populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda dignanter emundet. Per Dominum &c.

ADMISSAS.

Deus, qui inviſibiliter omnia contines, & tamen pro ſalute generis humani ſigna tuæ potentiæ mirabiliter oſtendis, Templum hoc potentia tuæ inhabitationis illuſtra, ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint, conſolationis tuæ beneficia conſequantur. Per &c.

Alia.

Deus, qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, effunde ſuper hanc orationis Domum benedictionem tuam, ut ab omnibus invocantibus nomen tuum defenſionis tuæ auxilium ſentiatur. Per &c.

Alia.

Deus, qui ex omni (*b*) coaptione Sanctorum æternum tibi condis habitaculum: da ædificationis tuæ incrementa cœleſtia, ut quorum heic Reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adjuvemur. Per Dominum &c.

Super oblata.

Omnipotens ſempiterne Deus, Altare nomini tuo dicatum cœleſtis virtutis benedictione ſanctifica, & omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, (*c*) ut heic Sacramentum virtus, & votorum obtineatur effectus. Per Dominum &c.

Præfatio.

(*d*) Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem te ſupplices deprecamur, ut Altare hoc ſanctis uſibus præparatum cœleſti dedi-

a In Othoboniano: fiat habitationis præclara.
b ex omni coaptatione Sanctorum.
c ut huic Sacramentorum.
d Vere dignum; uſque per Chriſtum Dominum.

dicatione sanctifices : ut sicut Mechisedech Sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita novo huic Altari munera semper accepta (*a*) ferre digneris ; ut Populus, qui in hanc Ecclesiæ domum sanctam convenit, per hæc libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Et ideo (*b*) cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes &c.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus ; ut hoc in loco, quem Nomini tuo indigni dicamus, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodes. Per &c.

ORATIO IN NATALE PAPÆ.

DEus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis : concede mihi indigno famulo tuo, sacris convenienter servire mysteriis ; atque in omnibus tua misericordia protegat, quem conscientiæ reatus accusat. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, qui Populis tuis indulgentia consulis, & amore dominaris : da Spiritum sapientiæ, quibus dedisti regimen disciplinæ (*c*) ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna Pastorum. Per &c.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, laudis exsolvo, suppliciter implorans, ut quod immerito contulisti, intercedente beato Petro Apostolo tuo, propitius exsequaris. Per &c.

Præfatio.

(*d*) Vere dignum & justum est, æquum, & salutare, ut quia in manu tua dies nostri, vitaque consistit, sicut honorem nobis indignis largiris mysterii, sic quoque tribuas rationabilis obsequii propitius incrementum, & tua dona in nobis custodias, (*e*) ut ejus suffragiis apud te semper reddar acceptus, cujus me vice hodie Ecclesiæ tuæ præesse (*f*) voluisti, per Christum Dominum &c.

Ad complendum.

Corporis sacri & pretiosi Sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut gratiæ tuæ munus, quod nobis immeritis contulisti, intercedente beato Petro Apostolo tuo, propitius muniendo custodias. Per &c.

ORATIO IN ORDINATIONE PRESBYTERI.

DEus, qui digne tibi servientium nos imitari desideras famulatum : da nobis caritatis tuæ flamma ardere succensis (*g*) ut Antistitum decus priorum, qui tibi placuerunt, mereamur consortia obtinere. Per &c.

Super oblata.

Aufer a nobis, Domine, spiritum superbiæ, cui resistis, ut sacrificia nostra tibi sint semper accepta. Per Dominum &c.

Præfatio.

Vere dignum, æquum, & salutare; qui dissimulatis peccatis humanæ fragilitatis, nobis indignis Sacerdotalem confers dignitatem : da nobis, quæsumus, ut ad sacrosancta mysteria, immolando sacrificia, cum bene placitis mentibus facias introire. Quia tu solus sine ope-

a primis curis legebatur in Othoboniano: facere digneris;
b Cetera reticet idem Codex.
c ut & de prefectu.
d Verè dignum, æquum, & salutare, ut quia
e ut ejus semper apud te suffragiis reddar.
f voluisti. Et ideo cum Angelis &c.
g Ut Antistitum priorum, qui.

operibus aptis justificas peccatores: tu gratiam (*a*) præstas benignus ingratis: tu ea, quæ retro sunt, oblivioni concedis, & ad priora promissa mysteria clementissima gubernatione perducis. Et ideo cum Angelis &c.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, quam tibi offerimus in die hodiernæ solemnitatis, in quo nobis indignis Sacerdotalem infulam tribuisti, quæsumus, Domine, ut placatus accipias; & tua pietate conserva, quod es operatus in nobis, diesque nostros in tua pace &c.

Ad Complendum.

Corporis sacri, & pretiosi Sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut gratiæ tuæ munus, quod nobis immeritis contulisti, intercedente beato (*illo*) propitius muniendo custodias. Per Dominum &c.

ORATIO

AD SPONSAS BENEDICENDAS.

EXaudi nos, omnipotens & misericors Deus, ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per &c.

Super oblata.

Suscipe, quæsumus, Domine, pro sacra Connubii lege munus oblatum, & cujus largitor es, operis esto dispositor. Per &c.

Præfatio.

(*b*) Vere dignum & justum est, æquum & saultare. Qui fœdera Nuptiarum blando concordiæ jugo, & insolubili pacis vinculo nexuisti, (*c*) ut multiplicandis adoptionum filiis sanctorum connubiorum fœcunditas pudica servaretur. Tua enim, Domine, providentia, tua gratia ineffabilibus modis utrumque dispensat, ut quod generatio ad Mundi edit ornamentum, regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum. Et ideo cum Angelis &c.

Hanc igitur oblationem famulorum tuorum, quam tibi offerunt pro famula tua (*illa*) quam perducere dignatus es ad (*d*) statum mensuræ, & ad diem Nuptiarum, pro qua majestati tuæ (*e*) fundimus supplices preces, ut eam propitius cum viro suo copulare digneris: quæsumus, Domine, ut placatus &c.

Antequam dicatur: Pax Domini, *dicat hanc Orationem*:

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus adsiste, ut quod te auctore jungitur, te auxiliante servetur. Per &c.

BENEDICTIO.

Deus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis universitatis exordiis, homini, ad imaginem Dei facto, ideo inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut fœmineo corpori de virili dares carne principium; docens, quod ex uno placuisset institui, numquam licere disjungi: Deus, qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi & Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere Nuptiarum: Deus, per quem mulier jungitur viro, & societas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quæ sola nec per

a tu gratias præstas.

b Verè dignum, æquum & salutare: *usque*, æterne Deus. Qui.

c Minus rectè in Othoboniano: ut multiplicandis adoptionem filiorum, sanctorum:

d ad statum maritalem.

e supplices fundimus preces,

per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est abluta sententiam: respice propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali jungenda est consortio. Tua se expetit protectione muniri. Sit in ea jugum dilectionis, & pacis fidelis, & casta nubat in Christo; imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis, ut Rachel viro, sapiens ut Rebecca, longæva & fidelis, ut Sara. Nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet. Nexa fidei mandatisque permaneat uni thoro juncta: contactus illicitos fugiat: muniat infirmitatem suam robore disciplinæ. Sit verecunda, gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita. Sit fœcunda in sobole, sit probata & innocens; & ad beatorum requiem, atque ad cœlestia Regna perveniat. Et videat filios filiorum suorum usque in tertiam & quartam progeniem, & ad optatam perveniat senectutem. Per Dominum &c.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Ad complendum.

Quæsumus, omnipotens Deus, instituta providentiæ tuæ pio amore comitare, ut quos legitima societate connectis, longæva pace custodias. Per &c.

(*a*) ORATIONES PRO PECCATIS.

EXaudi, quæsumus, Domine, gemitum Populi supplicantis; & qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium, sed misericordiam consequi mereamur. Per.

Alia.

Succurre, quæsumus, Domine, populo supplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis, ut sincera tibi mente devoti & præsentis vitæ remediis gaudeant & futuræ. Per &c.

Alia.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per &c.

Alia.

Deus, qui juste irasceris, & clementer ignoscis, afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis, quam juste meremur, propitiatus averte. Per &c.

Alia.

Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum, & ab omnibus, quas meremur, adversitatibus redde securum, ut tranquillitate percepta, devota tibi mente deserviat. Per &c.

Alia.

Afflictionem familiæ tuæ, quæsumus, Domine, intende placatus, ut indulta venia peccatorum, de tuis semper beneficiis gloriemur. Per &c.

Alia.

Ab omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitiatus absolve, ut percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus serviamus. Per &c.

Alia.

Precibus nostris, quæsumus, Domine, aurem tuæ pietatis accommoda, & orationes supplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi, ut te largiente ad vitam perveniant sempiterna. Per Dominum.

Alia.

Præsta populo tuo, Domine, quæsumus, consolationis auxilium, & diuturnis calamitatibus laborantem propitius respirare concede. Per Dominum &c.

Alia.

Quæsumus, omnipotens, Deus, ut

a Incipiunt Orationes pro Peccatis.

ut qui nostris fatigamur offensis, & merito nostræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominum &c

Alia.

Deus, qui nos conspicis in tot perturbationibus non posse subsistere, afflictorum gemitum propitius respice, & mala omnia, quæ meremur, averte. Per &c.

Alia.

Deus, cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram: & quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per &c.

Alia.

Da nobis, quæsumus, Domine, de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro peccatis nostris affligimur, intercedente beato (*illo*) Martyre tuo, in tua misericordia respiremus. Per &c.

Alia.

Exaudi, Domine, populum tuum, tota tibi mente subjectum, ut corpore & mente protectus, quod pie credit, tua gratia consequatur. Per Dominum &c.

Alia.

Subjectum tibi populum, quæsumus, Domine, propitiatio cœlestis amplificet, & tuis semper faciat servire mandatis. Per &c.

Alia.

Purifica, quæsums, Domine, tuorum corda fidelium, ut a terrena cupiditate mundati, & præsentis vitæ periculis exuantur, & perpetuis donis firmentur. Per &c.

Alia.

Clamantium ad te, quæsumus, Domine, preces dignanter exaudi, ut sicut Ninivitis in afflictione positis pepercisti, ita & nobis in præsenti tribulatione succurre. Per Dominum &c.

Alia.

Miserere jam, quæsumus, Domine, populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem celeri propitiatione lætifica. Per &c.

Alia.

Auxiliare, Domine, quærentibus misericordiam tuam, & da veniam confitentibus: parce supplicibus; ut qui nostris meritis flagellamur, tua miseratione salvemur. Per &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui iram tuæ indignationis agnovimus, misericordiæ tuæ indulgentiam consequamur. Per &c.

Alia.

Tribulationem nostram, quæsumus, Domine, propitius respice; & iram tuæ indignationis, quam juste meremur, propitiatus averte. Per &c.

Alia.

Deus, qui peccantium animas non vis perire, sed culpas: contine, quam meremur, iram, & quam precamur, super nos effunde clementiam, ut de mœrore gaudium tuæ misericordiæ consequi mereamur. Per &c.

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, afflicti populi lacrymas respice, & iram tuæ indignationis averte, ut qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, tua consolatione liberemur. Per &c.

Alia.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi supplicantis propitius respice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum &c.

Alia.

Parce, Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum &c.

Alia.

Intende, quæsumus, Domine, preces nostras, ut qui non operando justitiam, correptionem meremur,

mur, afflicti in tribulatione, clamantes respiremus (*a*) auditi. Per &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui (*b*) offensa nostra per flagella cognoscimus, tuæ consolationis gratiam sentiamus. Per Dominum &c.

Alia.

Ne despicias, omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem; sed propter gloriam nominis tui tribulantibus succurre placatus. Per Dominum &c.

Alia.

Exaudi, Domine, gemitum populi tui, ne plus apud te valeat offensio delinquentium, quam misericordia tua, indulta fletibus supplicantium. Per &c.

Alia.

Omnipotens Deus, misericordiam tuam in nobis placatus impende, ut qui te contemnendo culpam incurrimus, confitendo veniam consequamur. Per Dominum &c.

Alia.

Deus, refugium pauperum; spes humilium, salusque miserorum, supplicationes Populi tui clementer exaudi, ut quos justitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat consolatos. Per &c.

Alia.

Moveat pietatem tuam, quæsumus, Domine, subjectæ tibi plebis affectus, & misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat, ut quod meritis non præsumit, indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per &c.

Alia.

Deprecationem nostram, quæsumus, omnipotens Deus, benignus exaudi, & quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum &c.

Alia.

Averte, quæsumus, Domine, iram tuam propitiatus a nobis, & facinora nostra, quibus indignationem tuam provocamus, expelle. Per &c.

Alia.

Memor esto, quæsumus, Domine, fragilitatis humanæ, & qui juste verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per Dom. &c.

Alia.

Aures tuæ pietatis, quæsumus, Domine, precibus nostris inclina, ut qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, miserationis tuæ gratia liberemur. Per Dominum &c.

INCIPIUNT ORATIONES QUOTIDIANÆ.

DEus, qui conspicis, omni nos virtute destitui, interius, exteriusque custodi, ut & ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per &c.

Alia.

Gratiæ tuæ, quæsumus, Domine, supplicibus tuis tribue largitatem, ut mandata tua, te operante sectantes, consolationem præsentis vitæ percipiant & futuræ. Per &c.

Alia.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente beato (*illo*), consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per &c.

Alia.

Subveniat nobis, quæsumus, Domine, misericordia tua, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur protegente salvari. Per Dominum nostrum &c.

Alia.

Vox clamantis Ecclesiæ ad aures, Do-

a respiremus adjuti. Per &c.

b ut qui offensam nostram.

Domine, quæſumus, tuæ pietatis aſcendat, ut percepta venia peccatorum, te fiat operante devota, te protegente ſecura. Per &c.

Alia.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & animarum noſtrarum medere languoribus, ut remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur. Per &c.

Alia.

Propitiare, Domine, iniquitatibus noſtris, & exorabilis tuis eſto ſupplicibus, ut conceſſa venia, quam precamur, perpetuo miſericordiæ tuæ munere gloriemur. Per &c.

Alia.

Deus, innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda ſervorum, ut ſpiritus tui fervore concepto & in Fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces. Per &c.

Alia.

Eccleſiæ tuæ, Domine, voces placatus admitte, ut deſtructis adverſitatibus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per &c.

Alia.

Noſtris, Domine, quæſumus, propitiare temporibus, ut tuo munere dirigatur & Romana ſecuritas & devotio Chriſtiana. Per &c.

Alia.

Largire, quæſumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant. Per Dom. &c.

Alia.

Prætende, Domine, fidelibus tuis dexteram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, conſequi mereantur. Per Dominum &c.

Alia.

Gaudeat, Domine, quæſumus, plebs tua beneficiis impetratis; & cui fiduciam ſperandæ pietatis indulges, optatæ miſericordiæ præſta benignus effectum. Per Dominum &c.

Alia.

Da nobis, Domine, quæſumus, perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus noſtris & merito & numero populus tibi ſerviens augeatur. Per Dominum &c.

Alia.

Fideles tuos, Domine, quæſumus, corpore pariter & mente purifica, ut tua inſpiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant. Per Dominum &c.

Alia.

Dies noſtros, quæſumus, Domine, placatus intende, pariterque nos & a peccatis abſolve propitius, & a cunctis eripe benignus adverſis. Per &c.

Alia.

Familiæ tuæ, Domine, quæſumus, eſto protector, & miſericordiam tuam concede poſcenti, quæ tibi ſemper fiat obediens, & tua dona percipiat. Per Domin. &c.

Alia.

Da, quæſumus, Domine, populo tuo ſalutem mentis & corporis, ut bonis operibus inhærendo, tua ſemper mereatur virtute defendi. Per &c.

Alia.

Excita, Domine, quæſumus, tuorum fidelium voluntates, ut divini operis fructum propenſius exſequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum &c.

Alia.

Proficiat, Domine, quæſumus, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut ſacris actionibus erudita, quanto majeſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per &c.

Alia.

Protegat, Domine, quæſumus, tua dextera Populum ſupplicantem, ut præſentem vitam ſub tua gubernatione tranſcurrens, mereatur inve-

venire perpetuam. Per Dominum nostrum &c.

Alia.

Respice, Domine, propitius plebem tuam, & toto tibi corde subjectam, præsidiis invictæ pietatis attolle. Per &c.

Alia.

Adesto, Domine, supplicibus tuis, & spem suam in tua misericordia collocantes tuere propitius, ut a peccatorum labe mundati in sancta conversatione permaneant. Per &c.

Alia.

Libera, Domine, quæsumus, a peccatis & hostibus tibi populum supplicantem, ut in sancta conversatione viventes, nullis afficiantur adversis. Per Dominum &c.

Alia.

Excita, Domine (*a*), tuorum corda fidelium, ut sacris intenta doctrinis & intelligant, quod sequantur, & sequendo fideliter apprehendant. Per Dominum &c.

Alia.

Da salutem, Domine, quæsumus, populo tuo mentis & corporis, & perpetuis consolationibus tuorum reple corda fidelium, ut tua protectione relevati, & pia tibi devotione complaceant, & tua semper beneficia consequantur. Per Dominum &c.

Alia.

Quæsumus, omnipotens Deus, ne nos tua misericordia derelinquat, quæ & errores nostros semper amoveat, & noxia cuncta depellat. Per Dominum &c.

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus, universa nobis adversa propitiatus exclude, ut mente & corpore pariter expediti, quæ tua sunt, liberis mentibus exsequamur. Per Dominum &c.

Alia.

Tuere, Domine, populum tuum, & salutaribus præsidiis semper adjutum, beneficiis attolle continuis & mentis & corporis. Per Dominum &c.

Alia.

Purifica, quæsumus, Domine, tuorum corda fidelium, ut a terrena cupiditate mundati, & præsentis vitæ periculis exuantur, & perpetua donatione firmentur. Per Dominum &c.

Alia.

Protector in te sperantium, Deus, salva populum tuum, ut a peccatis liber & ab hoste securus, in tua semper gratia perseveret. Per Dominum &c.

Alia.

Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum, & quem salutaribus præsidiis non desinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere beneficiis & mentis & corporis. Per &c.

Alia.

Adsit, Domine, quæsumus, propitiatio tua populo supplicanti, ut quod te inspirante fideliter expetit, tua celeri largitate percipiat. Per Dominum &c.

Alia.

Adesto, Domine, populis tuis, in tua protectione fidentibus, (*b*) & tuæ se dexteræ suppliciter inclinantes, perpetua defensione conserva. Per Dominum &c.

Alia.

Respice propitius, Domine, ad debitam tibi populi servitutem, ut inter (*c*) humanæ fragilitatis incerta, nullis adversitatibus opprimatur, qui de tua protectione confidit. Per &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus,

a Domine, quæsumus, tuorum.
b ut tuæ: *sed rectius in Vaticano Codice*: & tuæ.
c inter mundanæ fragilitatis.

Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exſequamur & factis. Per &c.

Alia.

Auxiliare, Domine, populo tuo, ut ſacræ devotionis proficiens incrementis, & tuo ſemper munere gubernetur, & ad redemtionis æternæ pertineat, te ducente, conſortium. Per Dominum &c.

Alia.

Benedictionem tuam, Domine, populus fidelis accipiat, qua corpore ſalvatus ac mente, & gratam tibi ſemper exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat. Per Dominum &c.

Alia.

Gaudeat, Domine, quæſumus, populus, tua ſemper benedictione confiſus, ut & temporalibus beneficiis adjuvetur, & erudiatur æternis. Per Dominum &c.

Alia.

Familiam tuam, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, ut ab omni pravitate defenſa, donis cœleſtibus proſequatur. Per &c.

Alia.

Conſerva, quæſumus, Domine, familiam tuam, & benedictionum tuarum propitius ubertate purifica, ut eruditionibus tuis ſemper multiplicetur & donis. Per &c.

Alia.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut inter innumeros vitæ præſentis errores tuo ſemper moderamine dirigamur. Per Dominum &c.

Alia.

Porrige dexteram tuam, quæſumus, Domine, plebi tuam miſericordiam poſtulanti, per quam & errores declinet humanos, & ſolatia vitæ mortalis accipiat, & ſempiterna gaudia comprehendat. Per Dominum &c.

Alia.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut viam tuam devota mente currentes, ſubripientium delictorum laqueos evadamus. Per &c.

Alia.

Conſerva, Domine, quæſumus, tuorum corda fidelium, & gratiæ tuæ virtute corrobora; ut & in tua ſint ſupplicatione devoti, & mutua dilectione ſinceri. Per Dom. &c.

Alia.

Da populo tuo, quæſumus, Domine, ſpiritum veritatis & pacis, ut & te tota mente cognoſcat, & quæ tibi ſunt placita, toto corde ſectetur. Per Dominum &c.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cœleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes Populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum &c.

Alia.

Adeſto, quæſumus, Domine, ſupplicationibus noſtris, & in tua miſericordia confidentes, ab omni nos adverſitate cuſtodi. Per &c.

Alia.

Da, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis noſtræ conſcii de tua virtute confidimus, ſub tua ſemper pietate gaudeamus. Per.

Alia.

Familiam tuam, quæſumus, Domine, cœleſti protectione circumda, ut te parcente (*a*) ſit libera, te cuſtodiente a malis omnibus ſit ſecura. Per Dominum &c.

Alia.

Preces Populi tui, quæſumus, Domine, clementer exaudi, ut qui in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur, cœleſti etiam protectione muniatur. Per &c.

Alia.

Adeſto, Domine, fidelibus tuis, & qui-

a parcente libera, te cuſtodiente.

& quibus supplicandi tribuis miseratus affectum, concede benignissimæ consolationis auxilium. Per.

Alia.

Fac nos, quæsumus, Domine Deus noster, in tua devotione gaudere, quia perpetua est & plena felicitas, si bonorum omnium serviamus Auctori. Per Dominum &c.

Alia.

Da nobis, Domine, quæsumus, ut & Mundi cursus pacifico nobis tuo ordine dirigatur, & Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per &c.

Alia.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, & dies nostros in tua pace dispone, ut cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi servitute famulemur. Per Dominum.

Alia.

Guberna, Domine, quæsumus plebem tuam, & tuis beneficiis semper accumula, ut & præsentis vitæ subsidiis gaudeat & æternæ. Per.

Alia.

Percipiat, Domine, quæsumus, Populus tuus misericordiam, quam deposcit; & quam precatur humiliter, indulgentiam consequatur & pacem. Per Dominum &c.

Alia.

Concede, quæsumus, Domine, Populo tuo veniam peccatorum, & quod meritis non præsumit, indulgentiæ tuæ celeri largitate percipiat. Per &c.

Alia.

Prætende nobis, Domine, misericordiam tuam, ut quæ votis expetimus, conversatione tibi placita consequamur. Per Dominum.

INCIPIUNT ORATIONES MATUTINALES.

ILlumina, Domine, quæsumus, in te corda credentium, ut tuo semper munimine & tuo auxilio protegamur. Per Dominum &c.

Alia.

Illumina, quæsumus, Domine, tenebras nostras, & totius noctis insidias tu repelle propitius. Per.

Alia.

Tua nos, Domine, veritas semper illuminet, & ab omni pravitate defendat. Per Dominum &c.

Alia.

Salva nos, omnipotens Deus, & lucem nobis concede perpetuam. Per &c.

Alia.

Deus, qui diem discernis a nocte, actus nostros a tenebrarum distingue caligine, ut semper, quæ sancta sunt, meditantes, in tua jugiter luce vivamus. Per &c.

Alia.

Quæsumus, Domine Deus noster, diei molestias noctis quiete sustenta, ut necessaria temporum vicissitudine succedente, nostra reficiatur infirmitas. Per Dominum.

Alia.

Adesto, Domine, precibus nostris, & die noctuque nos protege, ut quibuslibet alternationibus temporum, tua semper incommutabilitate firmemur. Per &c.

Alia.

Exaudi nos, misericors Deus, & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. Per Dominum &c.

(a) INCIPIUNT ORATIONES VESPERTINALES seu MATUTINALES.

VOx nostra te, Domine, semper deprecetur, & ad aures tuæ pietatis ascendat. Per &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum nostrum &c.

Alia.

a *Cod. Othobon.* Incipiunt Orationes Matutinales, seu Vespertinales.

Alia.

Ut tuam, Domine, misericordiam consequamur, fac nos tibi toto corde esse devotos. Per Dominum &c.

Alia.

Suscipe, Domine, preces nostras, & clamantium ad te (*a*) pio corde propitius intende. Per &c.

Alia.

Cunctas, Domine, semper a nobis iniquitates repelle, ut ad viam salutis æternæ secura mente curramus. Per &c.

Alia.

Redemtor noster aspice, Deus, (*b*) & tibi nos jugiter servire concede. Per &c.

Alia.

Deus, Cœli Terræque dominator, auxilium nobis tuæ defensionis benignus impende. Per &c.

Alia.

Præsta, quæsumus, misericos Deus, ut tibi placita mente serviamus. Per Dominum &c.

Alia.

Purificet nos indulgentia tua, Deus, & ab omni semper iniquitate custodiat. Per &c.

Alia.

Adesto nobis, misericors Deus, & tua circa nos propitiatus dona custodi. Per Dominum &c.

Alia.

A cunctis iniquitatibus nostris exue nos, Domine, & in tua fac pace gaudere. Per &c.

Alia.

Vincula, Domine, quæsumus, humanæ pravitatis abrumpe, ut ad confitendum nomen tuum libera mente curramus. Per Dominum &c.

Alia.

Tua nos, Domine, quæsumus, gratia benedicat, & ad vitam perducat æternam.

Alia.

Vide, Domine, infirmitates nostras, & celeri nobis pietate succurre. Per Dominum &c.

Alia.

Fac nos, Domine, quæsumus, mala nostra toto corde respuere, ut bona tua capere valeamus. Per &c.

Alia.

Esto nobis propitius, Deus, ut tua nos misericordia subsequatur. Per &c.

Alia.

Præveniat nos, quæsumus, Domine, misericordia tua, & nostras voces clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Dominum &c.

Alia.

Celeri nos, quæsumus, Domine, pietate succurre, ut devotio supplicantium ad gratiarum transeat actionem. Per &c.

Alia.

Delicta nostra, Domine, quibus adversa dominantur, absterge, & tua nos ubique miseratione custodi. Per &c.

Alia.

Absolve, Domine, quæsumus, nostrorum vincula peccatorum, & quidquid pro eis meremur, averte. Per Domnum &c.

Alia.

Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per &c.

Alia.

Clamantes ad te, Deus, dignanter exaudi; ut nos de profundo iniquitatis eripias, & ad gaudia æterna perducas. Per &c.

Alia.

Concede nobis, Domine, quæsumus, veniam delictorum, & eos, qui nos impugnare moliuntur, expugna. Per Dominum &c.

Alia.

a ad te pia corda.

b & nos jugiter.

Alia.

Tua nos, Domine, quæſumus, gratia ſemper & præveniat & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſet intentos. Per &c.

Alia.

Reſpice nos, miſericors Deus, & nomini tuo perfice veraciter obſequentes. Per &c.

Alia.

Tuere nos, ſuperne moderator, & fragilitatem noſtram tuis defende præſidiis. Per &c.

Alia.

Ut a noſtris exceſſibus, Domine, temperemus, tua nos præcepta concede jugiter operari. Per Dominum &c.

Alia.

Aufer a nobis, quæſumus, noſtras, Domine, pravitates, ut non indignationem tuam, ſed indulgentiam ſentiamus. Per Dominum &c.

Alia.

(*a*) Ut cunctis nos, Domine, foveas adjumentis, tuis apta propitius diſciplinis. Per &c.

Alia.

Oculi noſtri ad te, Domine, ſemper intendant, ut auxilium tuum & miſericordiam ſentiamus. Per &c.

Alia.

Peccata noſtra, Domine, quæſumus, memor humanæ conditionis abſolve, & quidquid eorum retributione meremur, averte. Per &c.

Alia.

Porrige nobis, Deus, dexteram tuam, & auxilium nobis ſupernæ virtutis impende. Per &c.

Alia.

Exaudi nos, Domine Deus noſter, & Eccleſiam tuam inter Mundi turbines fluctuantem, clementi gubernatione moderare. Per &c.

Alia.

Intende, Domine, quæſumus, ſupplices tuos, & pariter nobis indulgentiam tribue benignus & gaudium (*b*). Per Dominum &c.

Alia.

Reſpice nos, omnipotens & miſericors Deus, & ab omnibus tribulationibus propitiatus abſolve. Per Dominum &c.

Alia.

Iniquitates noſtras ne reſpicias, Deus, ſed ſola nobis miſericordia tua proſit indignis. Per Dominum &c.

Alia.

Fac nos, Domine, Deus noſter, tuis obedire mandatis, quia tunc nobis proſpera cuncta proveniunt, ſi te totius vitæ ſequamur Auctorem. Per Dominum &c.

ORATIO

AD BAPTIZANDUM INFIRM.

Medelam tuam, deprecor, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ſubvenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas. Te ergo, Domine, ſupplices deprecamur, ut hunc famulum tuum eruas ab hac valetudine, ut non prævaleat inimicus uſque ad animæ tentationem. Sicut in Job, terminum ei pone, ne inimicus de anima iſta ſine redemtione Baptiſmatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, & ſpatium vitæ extende. Releva, quem perducas ad gratiam Baptiſmi tui. Per Dominum &c.

ORA-

a Ut a cunctis; *ſed haud recte.*
b *Secundis curis expuncto τὸ* pacem, *ſcriptum legitur* gaudium.

ORATIO AQUÆ

AD BAPTIZANDUM INFIRMUM, POSTQUAM EUM CATECHIZAVERINT. (a)

Benedicis Aquam his verbis:

Exorcizo te, Creatura aquæ, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii Dei, & Sancti Spiritus: ſi quod phantaſma, ſi qua virtus inimici, ſi qua incurſio Diaboli, eradicare & effugare ab hac creatura aquæ; ut fiat fons ſaliens in vitam æternam. Et quum baptizatus fuerit hic famulus Domini, fiat templum Dei vivi in remiſſionem omnium peccatorum, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos & ſeculum per ignem. Amen.

(b) Baptizas & linis eum de Chriſmate in cerebro; (c) & dicis illi taliter:

Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

Poſtea tangis eum de Chriſmate in capite, & dicis Orationem iſtam:

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te linit Chriſmate ſalutis in vitam æternam. Per &c.

Communicas & Confirmas eum.

ORATIO AQUÆ EXORCIZATÆ IN DOMO.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare cum Angelis ſuis apoſtaticis; per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos &c.

Alia Oratio.

Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis effunde; ut creatura myſterii tui tibi ſerviens, ad abjiciendos dæmones, morboſque pellendos, divinæ gratiæ ſumat effectum: ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc Unda reſperſerit, careat immunditia, liberetur a noxa. Non illic reſedeat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens. Diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici; & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugetur, ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum noſtrum &c.

ORATIO

AD VISITANDUM INFIRMUM.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti: ita & famulum tuum (*illum*) a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per &c.

Alia.

Reſpice, Domine, famulum tuum (*illum*) in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti, ut caſtigationibus emendata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatam. Per &c.

a Codex Othobonianus: catechizaveris, benedices.

b Baptizans & linis.

c & dices: Ille talis; Baptizo.

ORATIO SUPER POENITENTEM.

Da nobis, Domine, ut sicut Publicani precibus & confessione placatus es: ita & huic famulo tuo (*illi*) placare, Domine, & precibus ejus benignus aspira, ut in confessione flebili permanens & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque Altaribus & Sacramentis restitutus, rursus cœlesti gloriæ mancipetur. Per &c.

(107) (107) ORATIO AD AGAPEM PAUPEREM.

Da, Domine, famulo tuo (*illi*) sperata suffragia obtinere, ut qui tuos pauperes vel tuas Ecclesias memoravit, Sanctorum omnium simul & beati Martyris tui Laurentii mereatur consortia, cujus nunc est exempla sequutus. Per Dominum.

(108) (108) ORATIO AD CAPILLATURAM.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum (*illum*) quem ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei remissionem omnium peccatorum, atque ad cœlestium donorum pervenire consortium. Per.

ORATIO AD CLERICUM FACIENDUM. (109)
(109)

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut huic famulo tuo (*illi*) qui ad deponendam comam capitis sui propter amorem Christi Filii tui festinat, des Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eo perpetuum custodiat, & a Mundi impedimento, vel seculari desiderio, cor ejus defendat; ut sicut immutatur in vultu, ita manus dexteræ tuæ ei tribuat incrementa, ut ab omni cæcitate humana oculos ejus aperiat, & lumen (*a*) æternitatis gratiæ ei concedat. Per eumdem &c.

ORATIO AD BARBAS TONDENDAS. (110) (110)

Deus, cujus spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum (*illum*) juvenilis ætatis decore lætantem, & primis auspiciis ad tondendum, exaudi, Domine, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cœlestem benedictionem accipiat, & præsentis vitæ (*b*) præsidiis gaudeat & æternæ. Per &c.

ORATIO AD DIACONAM FACIENDAM.

Exaudi, Domine, preces nostras, & super hanc famulam tuam (*illam*) Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditata, & tuæ gratiam possit majestatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per &c.

ORATIO AD ANCILLAS DEI VELANDAS.

Famulas tuas, Domine, tuæ custodia muniat pietatis, ut Virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante susceperunt, te protegente illæsum custodiant. Per &c.

ORATIO AD ABBATEM FACIENDUM, VEL ABBATISSAM.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, & famulum tuum (*illum* vel *illam*), quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut te largiente cum ipsa

a lumen æternæ gloriæ.

b vitæ subsidiis.

ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per &c.

ORATIO IN TEMPORE BELLI.

Omnipotens & miſericors Deus, a bellorum nos, quæſumus, tribue fac quietos, quia bona nobis cuncta præſtabis, ſi pacem dederis & mentis & corporis. Per &c.

Alia.

Omnipotens Deus, Romani nominis inimicos virtute, quæſumus, tuæ comprime majeſtatis; ut Populus tuus & Fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate ſemper exſultet. Per &c.

ORATIO PRO (*a*) HIS, QUI ITER AGUNT.

Exaudi nos, Domine, ut iter famuli tui (*illius*) inter vitæ hujus pericula tuo ſemper regatur auxilio. Per &c.

ORATIO (*b*) PRO PLUVIA POSTULANDA.

Terram tuam, Domine, quam videmus noſtris iniquitatibus tabeſcentem, cœleſtibus aquis infunde, atque irriga beneficiis gratiæ ſempiternæ. Per Dominum &c.

Alia.

Da nobis, Domine, quæſumus, pluviam ſalutarem, & aridam terræ faciem fluentis cœleſtibus dignanter infunde. Per &c.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire, aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis fluenti cœleſtis dignanter infunde. Per &c.

ORATIO QUANDO MULTUM PLUIT.

Domine Deus, qui (*c*) in myſterio aquarum ſalutis tuæ nobis Sacramenta ſanxiſti, exaudi orationem Populi tui: & jube terrores inundantium ceſſare pluviarum, flagellumque hujus elementi ad effectum tui converte myſterii; ut qui regenerantibus aquis ſe gaudent renatos, gaudeant his caſtigantibus eſſe correctos. Per &c.

Alia.

Quæſumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, ut inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem tui vultus nobis impertire digneris. Per &c.

ORATIO IN AREA.

Multiplica, Domine, in hac Area frumenti tua dona repleta, & ſicut fidelibus tuis trigeſimum, atque ſexageſimum vel centeſimum fructum donare conſueviſti, ita & famulo tuo (*illi*) præſentis temporis uberius tua dona largire. Per Dominum noſtrum &c.

ORATIO PRO PESTE ANIMALIUM.

Deus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogaſti, ſupplices te rogamus, ut ſine quibus non (*d*) habetur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Per &c.

ORATIONES (*e*) PRO PESTE.

Deus, qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras Peccatorum, populum tuum, quæſumus, ad te converte propitius, ut dum tibi devotus

tus

a Scribendum in utroque Codice: pro iis.
b Othobonian. ad Pluviam poſtulandam.
c Secundis curis: in miniſterio.
d non alitur.
e pro Mortalitate.

tus exſtiterit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoveas. Per Dominum noſtrum &c. (a)

Alia.

Populum tuum, quæſumus, omnipotens Deus, ab ira tua ad te confugientem paterna pietate recipe, ut qui majeſtatis tuæ flagella (b) formidant, de tua merantur venia gratulari. Per &c.

Alia.

Exaudi nos, Deus, ſalutaris noſter, & intercedente beato Martyre tuo (*illo*), populum tuum & ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & miſericordiæ tuæ fac largitate ſecurum. Per &c.

(c) ORATIO SUPER EPISCOPUM DEFUNCTUM.

Da nobis, Domine, ut (d) anima famuli & Sacerdotis tui (*illius*) Epiſcopi, quam de ſeculi eduxiſti laborioſo certamine, Sanctorum tuorum cœtui tribuas eſſe conſortem. Per &c.

Super oblata.

Annue nobis, Domine, ut animæ famuli & Sacerdotis tui (*illius*) Epiſcopi hæc proſit oblatio, quam immolando totius Mundi tribuiſti relaxari delicta. Per &c.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro commemoratione depoſitionis animæ famuli & Sacerdotis tui (*illius*) Epiſcopi, quæſumus, Domine, ut placatus accipias, & quem in corpore conſtitutum Sedis Apoſtolicæ gubernaculo præeſſe voluiſti, in electorum tuorum numero conſtitue Sacerdotum, dieſque noſtros &c.

(e) Super Dipticia.

Memento etiam, Domine, famulorum tuorum (*illorum*), qui nos præceſſerunt, & dormiunt in ſomno pacis.

Poſt lectionem. (f)

Iſtis & omnibus, Domine, in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis indulgentiam deprecamur. Per Dominum &c.

Ad complendum.

His ſacrificiis, quæſumus, omnipotens Deus, purgata anima & ſpiritus famuli tui (*illius*) Epiſcopi ad indulgentiam & refrigerium ſempiternum pervenire mereatur. Per &c.

ITEM (g) ALIA ORATIO IN AGENDA MORTUORUM.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui (*illius*) quam de hoc ſeculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum jubeas eſſe conſortem. Per &c.

Alia.

Abſolve, Domine, animam famuli tui (*illius*) ab omni vinculo delictorum, ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos tuos reſuſcitatus reſpiret. Per Dominum &c.

Alia.

Annue nobis, Domine, ut anima famuli tui (*illius*) remiſſionem, quam ſemper optavit, mereatur percipere peccatorum. Per Dominum &c.

ORA-

a *Codex Othobonianus addit:*

Super oblata.

Subveniat nobis, Domine, quæſumus, ſacrificii præſentis operatio, quæ nos & ab erroribus univerſis potenter abſolvat, & a totius eripiat perditionis incurſu. Per &c.

b formidat, de tua mereatur.

c Orationes ſuper.

d ut animæ famuli.

e Super Dyptitia.

f *ſcilicet poſt Lectionem nominum Defunctorum.*

g aliæ Orationes.

ORATIO AD PONTIFICEM ORDINAND.

(111) (111) *quæ addi debeat in consecratione*: *cujus initium est* (*a*) Deus honorem omnium &c. *ad locum*:

Et idcirco huic famulo tuo, quem Apostolicæ Sedis Præsulem & Primatum (*sic*) omnium, qui in orbe Terrarum sunt, Sacerdotum, ac universalis Ecclesiæ tuæ Doctorem dedisti, & ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris: tribuas ei Cathedram Pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam & plebem universam. Per Dom. (*b*) &c.

(*c*) Præsta, Domine, quæsumus, ut anima (112) famuli tui (*illius*) Episcopi, quem in hoc seculo commorantem sacris muneribus decorasti, cœlesti sede gloriosa semper exsultet. Per &c. (112)

a Idest: Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacris famulantur, huic famulo tuo &c.

b Quæ sequuntur scripta sunt ab eodem Othoboniani Codicis Antiquario.

Hucusque præcedens Sacramentorum Libellus a beato Papa Gregorio constat esse editus, exceptis his, quæ in eodem in Nativitate, vel Assumtione beatæ Mariæ, præcipue vero in Quadragesima, virgulis antepositis, Lectoris invenerit jugulata solertia. Nam sicut quorumdam relatu didicimus, Domnus Apostolicus in eisdem diebus a Stationibus penitus vacat, eo quod cæteris Septimanæ Feriis Stationibus vacando fatigatus eisdem requiescat diebus: ob id scilicet, ut tumultuatione Populari carens, & eleemosynas pauperibus distribuere, & negotia exteriora liberius valeat disponere. Missam vero prætitulatam, *in Natali* ejusdem *beati Gregorii*, virgulis antepositis, jugulatam a Prædecessoribus ejus, caussa amoris, immo venerationis suæ, eidem suo Operi non dubium esse interpositam. Præfatus autem Sacramentorum Libellus, licet a plerisque Scriptorum, vitio depravante, qui non ut ab Auctore suo est editus, haberetur, pro captu tamen ingenii ob multorum utilitatem, studii nostri fuit artis stilo corrigere. Quem quum prudens Lector studiose perlegerit, verum nos dicere illico comprobabit; nisi iterum Scriptorum vitio depravetur.

Sed quia sunt & alia quædam, quibus necessario sancta utitur Ecclesia, quæ idem Pater ab aliis jam edita esse inspiciens prætermittit: idcirco operæ pretium duximus ea, velut flores pratorum vernantes, carpere, & in unum congerere, atque correcta & emendata, suisque Capitulis prænotata, in hujus Corpore Codicis seorsum ponere; ut in hoc Opere cuncta inveniret Lectoris industria: quæcumque nostis temporibus necessaria esse perspeximus, quamquam pluriora etiam in aliis Sacramentorum Libellis invenissemus inserta.

Hanc vero discretionis gratia Præfatiunculam in medio collocavimus, ut alterius finis alterius quoque exordium esset Libelli. Ita videlicet ut hinc inde ordinabiliter eisdem positis Libellis noverit quisque, quæ a beato Gregorio, quæve ab aliis sint edita Patribus. Et quoniam excludendos tantarum Quæsitores diversarumque Institutionum sanctarum, nequaquam dignum vel possibile esse censuimus: saltem eorum omnium condignis desideriis in evidenti hujus Operis copia satisfaceremus. Si cui autem placent ea, quæ sine fastu arrogantiæ, summo studio, pioque collegimus amore, suscipere precamur, ut non ingratus nostro exsistat labori, sed potius una nobiscum gratias agat omnium bonorum Largitori. Si vero superflua vel non necessaria sibi illa judicaverit, utatur tantum præfati Patris Opusculo, quod minime respuere sine sui discrimine potest, & ea quærentibus, hisque pio animi affectu uti volentibus, utenda dimittat. Non igitur ingratis & fastidiosis, sed potius studiosis ac devotis illa collegimus, in quibus, cui animo sedent, potest reperire, unde & debita vota sua, & officium divini cultus digne ac placabiliter valeat exhibere.

Noverit itaque nos perspicacitas Lectoris non alia huic inseruisse Operi, nisi ea, quæ a probatissimis & eruditissimis magna diligentia exarata sunt Viris. Ex multis ergo multa collegimus, ut multorum utilitati prospiceremus. Præfationes vero, quas in fine posuimus Codicis, flagitamus, ut ab his, quibus placent, cum caritate suscipiantur & canantur. Ab iis vero, qui eas intelligunt, nec tamen

tamen delectantur, nec non ab iis, qui eas volunt, nec tamen intelligunt, poſcimus, ut nec aſſumantur, nec canantur. Addidimus etiam & benedictiones ab Epiſcopo ſuper populum dicendas, nec non & illud, quod in præfato Codice beati Gregorii ad Gradus Inferiores in Eccleſia conſtituendos non habetur.

Obſecramus itaque vos, quicumque hunc Codicem ad legendum, ſive transcribendum ſumſeritis; ut pro me ad Dominum preces fundatis; qui obutilitatem plurimorum ea colligere atque corrigere ſtuduimus. Precamurque, ut eum ita diligenter tranſcribatis, quatenus ejus Textus & eruditorum aures demulceat, & ſimpliciores quoque errare non ſinat. *Nihil enim*, ut ait beatus Hieronymus, *proderit emendaſſe Librum, niſi emendatio Librariorum diligentia conſervetur.*

c Oratio hæc non apparet in Codice Othoboniano.

VARIÆ PRÆFATIONES IN CALCE VATICANI CODICIS.

IN NATALE SANCTI STEPHANI MARTYRIS.

VEre dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Tibi enim feſta ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur, quam beati Stephani Martyris tui ſanguis, in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit. Hic eſt enim illius nominis primus teſtis, quod eſt ſuper omne nomen. Qui poſt Paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, victoriæ palmam primus invaſit. Digne igitur talem ſub tui nominis confeſſione laudamus, omnipotens Deus, quem ad tantam gloriam vocare dignatus eſt. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

VEre dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æternæ Deus. Quia per incarnati Verbi myſterium nova mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis effulſit, ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc inviſibilium amore rapiamur. Et ideo cum Angelis & Archangelis &c.

IN QUINQUAGESIMA.

VEre dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & majeſtatem tuam cernua devotione exorare, ut modulum terrenæ fragilitatis aſpiciens, non ira tua pro noſtra pravitate nos arguas, ſed immenſa clementia purifices, erudias, conſoleris. Qui quum ſine te nihil poſſimus facere, quod tibi ſit placitum, tua nobis gratia ſola præſtabit, ut ſalubri converſatione vivamus. Per Chriſtum &c.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

VEre dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia. Per Chriſtum &c.

INITIO QUADRAGESIMÆ.

VEre dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, qui nos admirandis virtutis tuæ muneribus docuiſti, non in ſolo pane vivere, ſed in omni verbo, quod ex ore tuo procedit, ut non tantum epulando, ſed etiam jejunando paſcamur. Verbum enim tuum, per quod facta ſunt omnia, non ſolum humanarum mentium, ſed ipſorum quoque Panis eſt Angelorum: Panis vivus, qui de cœlo deſcendit, & vitam pereunti tribuit Mundo. Qui conti-

tinuatis quadraginta diebus & noctibus Jejunium nobis venerabile dedicavit, ut ad Paradisum, de quo, non abstinendo, cecidimus, jejunando solemniter redeamus. Hunc ergo Panem nobis ministrare non desinas, quem ut indesinenter esuriamus, hortaris. Per quem majestatem &c.

QUOCUMQUE DIE INFRA QUADRAGESIMAM.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, & majestatem tuam suppliciter exorare, ut mentibus nostris medicinalis observantiæ munus infundas, & qui negligentibus etiam subsidium ferre non desinis, beneficia præbeas potiora devotis. Per &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui ob animarum medelam jejunii devotione castigari corpora præcepisti. Concede, quæsumus, ut corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, ut ad tua mereamur, te opitulante, pervenire promissa. Per &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. Per Christum Dominum nostrum, per quem humani generis reconciliationem mirabili dispensatione operatus es: præsta, quæsumus, ut sancto purificati Jejunio, & tibi toto corde simus subjecti, & inter mundanæ pravitatis insidias, te miserante, perseveremus illæsi. Per quem majestatem &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, & tuam cum celebratione Jejunii pietatem devotis mentibus obsecrare, ut qui peccatis ingruentibus, malorum pondere premimur, & a peccatis omnibus liberemur, & libera tibi mente famulemur. Per Christum Dominum nostrum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui delinquentes perire non pateris, sed ut ad te convertantur, & vivant, hortaris. Poscimus itaque pietatem tuam, ut a peccatis nostris tuæ severitatis suspendas vindictam, & nobis optatam misericorditer tribuas veniam; nec iniquitatum nostrarum moles te provocet ad ultionem, sed jejunii observatio & morum emendatio te flectat ad peccatorum nostrum remissionem. Per Christum Dominum nostrum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & tuam jugiter exorare clementiam, ut mentes nostras, quas conspicis terrenis affectibus prægravari, medicinalibus tribuas jejuniis exonerari; & per afflictionem corporis proveniat nobis robur animarum. Per Christum Dominum nostrum &c.

Alia.

Vere dignum & Justum est &c. æterne Deus, misericordiæ dator, & totius bonitatis auctor. Qui jejuniis, orationibus, & eleemosynis, peccatorum remedia, & virtutum omnium tribuis incrementa. Te humili devotione precamur, ut quia ad hæc agenda saluberrimam dedisti doctrinam, ad complendum indefessam tribuas efficaciam, ut obedienter tua exsequentes præcepta, feliciter tua capiamus promissa. Per Christum &c.

DE PASSIONE DOMINI.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, majestatem tuam propensius implorantes, ut quanto

to magis dies salutiferæ festivitatis accedit, tanto devotius ad ejus digne celebrandum proficiamus Paschale mysterium. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, cujus nos humanitas colligit, humilitas erigit, traditio absolvit, pœna redimit, Crux salvificat, Sanguis emaculat, Caro saginat. Per quem te, summe Pater, cum jejuniorum obsequiis obsecramus, ut ad ejus celebrandam Passionem purificatis mentibus accedamus. Per quem majestatem tuam laudant Angeli &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. Per Christum Dominum nostrum, cujus salutiferæ Passionis, & gloriosæ Resurrectionis dies appropinquare noscuntur; in quibus & antiqui hostis superbia triumphatur, & nostræ redemtionis mysterium celebratur. Unde poscimus tuam immensam clementiam, ut sicut in eo solo consistit totius nostræ salvationis summa, ita per eum tibi sit jejuniorum & actuum nostrorum semper victima grata. Per quem majestatem &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. per Christum Dominum nostrum, qui innocens pro impiis voluit pati, & pro sceleratis indebite condemnari, cujus mors delicta nostra detersit, & resurrectio justificantionem nobis exhibuit. Et ideo cum Angelis &c.

IN PASCHA.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus; te quidem omni tempore, sed in hoc præcipue die laudare, benedicere, & prædicare, quod Pascha nostrum immolatus est Christus. Per quem ad æternam vitam filii lucis oriuntur, fidelibus regni cœlestis atria reserantur, & beati lege commercii divinis humana mutantur, quia nostrorum omnium mors Cruce Christi peremta est, & in Resurrectione ejus omnium vita resurrexit. Quem in susceptione mortalitatis Deum majestatis agnoscimus, & in Divinitatis gloria Deum & Hominem confitemur. Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo restituit. Et ideo cum Angelis &c.

ALIIS DIEBUS DE RESURRECTIONE.

Vere dignum & justum est &c. Per Christum Dominum nostrum, qui oblatione sui Corporis, remotis sacrificiis carnalium victimarum, se ipsum tibi pro salute nostra offerens, idem Sacerdos & sacer Agnus exhibuit. Per quem &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. Per Christum Dominum nostrum, qui secundum promissionis suæ incommutabilem veritatem, cœlestis Pontifex factus in æternum, solus omnium Sacerdotum peccati remissione non eguit; sed potius peccatum Mundi idem verus Agnus absterfit. Per quem majestatem &c.

Alia.

Vere dignum & justum est, *usque*, æterne Deus, & te suppliciter obsecrare, ne nos ad illum sinas redire actum, cui jure dominatur inimicus; sed in hac potius facias absolutione persistere, per quam Diabolus exstitit Filio tuo vincente captivus. Et ideo &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, & majestatem tuam indefessis precibus exorare, ut mentes nostras bonis operibus semper in-

informes, quia sic erimus præclari muneris promta sinceritate cultores, si ad meliora jugiter transeuntes, Paschale mysterium studeamus habere perpetuum. Per Christum Dominum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est, *usque*, æterne Deus; majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut expulsis azimis vetustatis, illius Agni cibo satiemur & poculo. Qui & nostram imaginem reparavit, & suam nobis gloriam repromisit, Jesus Christus Dominus noster. Per quem majestatem tuam laudant Angeli &c.

DIE DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, & clementiam tuam suppliciter exorare, ut Filius tuus Jesus Christus Dominus noster, qui se usque in finem seculi suis promisit fidelibus adfuturum, & præsentiæ corporalis mysteriis non deserat, quos redemit, & majestatis suæ beneficiis non relinquat. Per quem majestatem &c.

IN NATALE SANCTI JOHANNIS BAPTISTÆ.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, (ut) in die festivitatis hodiernæ, qua beatus Johannes exortus est, tuam magnificentiam collaudare, qui vocem Matris Domini, nondum editus, sensit, & adhuc clausus utero, adventum salutis humanæ prophetica exsultatione significavit; qui & genitricis sterilitatem conceptus abstulit, solusque omnium Prophetarum Redemtorem Mundi, quem prænuntiavit, ostendit, & ut sacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanis fluentis, ipsum baptismo Baptismatis lavit Auctorem. Per quem majestatem &c.

IN NATALE SANCTI LAURENTII.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, beati Laurentii Natalitia celebrantes, cui Fidem, confessionemque ignis passionis ingestus non abstulit, sed eum, ut magis luceret, accendit; quoniam sicut aurum flammis non uritur, sed probatur, sic beatus Martyr non consumitur tormentorum incendiis, sed aptatur cœlestibus ornamentis. Per Christum &c.

IN NATALE SANCTI AUGUSTINI.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, qui beatum Augustinum Confessorem tuum & scientiæ documentis replesti, & virtutum ornamentis ditasti; quem ita multimodo genere pietatis imbuisti, ut ipse tibi & Ara & Sacrificium & Sacerdos esset & Templum. Per Christum Dominum &c.

IN NATALE SANCTORUM CORNELII ET CYPRIANI.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, tuamque in sanctorum tuorum Cornelii simul & Cypriani festivitate prædicare virtutem, quos diversis terrarum partibus greges sacros divino pane pascentes una Fide, eademque die, pari nominis tui confessione coronasti. Per Chistum &c.

ALIA SPECIALIS IN FESTIVITATE SANCTI CYPRIANI.

Vere dignum & justum est &c. æter-

æterne Deus, beati Cypriani Natalitia recensentes, ut qui in conspectu tuo clarus exstitit dignitate Sacerdotii, & palma Martyrii, & in præsenti seculo sua nos intercessione foveat, & ad misericordiam sempiternam pius interventor perducat. Per Christum Dominum &c.

IN NATALE SANCTI LUCÆ EVANGELIST.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, & te in Sanctorum tuorum meritis gloriosius collaudare, benedicere, & prædicare. Qui eos dimicantes contra antiqui serpentis machinamenta, & proprii corporis blandimenta, inexpugnabili virtute, Rex gloriæ, roborasti. Ex quibus beatus Lucas Evangelista tuus, assumto scuto Fidei, & galea salutis, & gladio Spiritus Sancti, & viriliter contra vitiorum hostes (*a*) pugnavit, & Evangelicæ nobis dulcedinis fluenta manavit. Per Christum &c.

IN NATALE SANCTÆ CÆCILIÆ VIRGINIS.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, qui perficis in infirmitate virtutem, pro cujus amore beata Cæcilia, despecto carnali conjugio, ad consortia superna contendens, nec ætate mutabili præpedita, nec illecebris est revocata carnalibus, nec sexus fragilitate deterrita. Sed inter puellares annos, inter seculi blandimenta, inter supplicia persequentium, multiplicem victoriam Virgo sacra & Martyr est consequuta, & ad potiorem triumphum secum ad regna cœlestia eum, cui fuerat desponsata, perduxit. Per Christum Dominum &c.

IN VIGILIA UNIUS APOSTOLI.

VEre dignum & justum est &c æterne Deus, & majestatem tuam suppliciter exorare, ut qui beati (*illius*) Apostoli tui festum solemnibus jejuniis, & devotis prævenimus officiis, illius apud majestatem tuam & adjuvemur meritis, & instruamur exemplis. Per Christum Dominum &c.

IN DIE AD MISSAM.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Apostolicis tribuisti consistere fundamentis; de quorum collegio beati (*illius*) Apostoli tui solemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non taceamus. Et ideo cum Angelis &c.

IN NATALE PLURIMORUM APOSTOLORUM.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, te in tuorum Apostolorum glorificantes honore, qui & illis tribuisti beatitudinem sempiternam, & infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia, per quæ tua possimus adipisci subsidia, & pervenire ad præmia repromissa. Per Christum Dominum &c.

IN NATALE UNIUS MARTYR.

VEre dignum & justum est &c. Per Christum Dominum nostrum, pro cujus nomine gloriosus (*ille*) Martyr, rabidi hostis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse, ut resisteret, nesciens elatus

tus

a repone *vitiorum amatores*, vel quid simile.

tus esse quod vinceret, in utroque Domini ac Magistri sui vestigia sequens, qui & humilitatis custodiendæ, & de hostibus triumphandi, suis sequenda exempla monstravit. Per quem majestatem &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui sic tribuis, Ecclesiam tuam Sanctorum commemoratione proficere, ut eam semper illorum & festivitate lætifices, & exemplo piæ conversationis exerceas, grataque tibi supplicatione tuearis. Per Christum Dominum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, quia tu in nostra semper faciens infirmitate virtutem, Ecclesiam tuam inter adversa crescere tribuisti, ut quum putaretur oppressa, tunc potius prævaleret exaltata; dum simul & experientiam Fidei declarat afflictio, & victoriosissima semper perseverat, te adjuvante, devotio. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, & in præsenti festivitate sancti Martyris tui (*illius*) tibi confitendo, laudis hostias immolare, tuamque immensam pietatem implorare, ut sicut illi dedisti cœlestis palmam triumphi, sic eo suffragante nobis emundationem ac veniam concedas peccati, ut in te exsultemus in misericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per Christum &c.

IN NATALE PLURIMORUM MARTYRUM.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, teque in Sanctorum tuorum confessionibus laudare, in cujus facti sunt virtute victores. Quando enim humana fragilitas vel passionem æquanimiter ferre sufficeret, vel hostis aerii nequitias vinceret, nisi tu ei firmitatis subsidium ministrares, & sæva furentis inimici potenter arma contereres? Per Christum Dominum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui nos assiduis Martyrum passionibus consolaris, & eorum sanguinem triumphalem, quem pro confessione nominis tui infidelibus præbuere fundendum, ad tuorum facis auxilium transire fidelium. Per Christum Dominum nostrum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, quoniam a te constantiam Fides, a te virtutem sumit infirmitas, & quidquid in persecutionibus sævum est, quidquid in morte terribile, nominis tui facis confessione superari. Unde benedicimus te, Domine, in operibus tuis, teque in Sanctorum tuorum (*illorum* & *illorum*) provectione laudamus. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, apud quem semper est præclara vita Sanctorum, quorum nos mors pretiosa lætificat & tuetur. Quapropter Martyrum tuorum (*illorum* & *illorum*) gloriosa recensentes Natalitia, laudes tibi referimus, & magnificentiam tuam supplices exoramus, ut quorum sumus martyria venerantes, beatitudinis mereamur esse consortes. Per Dominum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, & clementiam tuam suppliciter exorare, ut cum exsultantibus Sanctis in cœlestis Regni cubilibus gaudia nostra subjungas, & quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitæ venerationis contingamus affectu. Per Christum &c.

IN NATALE CONFESSORUM.

VEre dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & in hac die, quam tranſitu ſacro beati Confeſſoris tui (*illius*) conſecraſti. Quæſumus ergo clementiam, ut des nobis illam ſequi doctrinam, quam ille & verbo docuit & opere complevit, quatenus nos adjuvari apud miſericordiam tuam & exemplis ejus ſentiamus & meritis. Per Chriſtum Dominum &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & te in Sanctorum tuorum virtute laudare, quibus pro meritis ſuis beatitudinis præmia contuliſti; quoniam ſemper in manu tua ſunt, & non tanget illos tormentum mortis, quos, te cuſtodiente, beatitudinis ſinus intercludit, ubi perpetua ſemper exſultatione lætantur, quibus etiam beatus ſummus Confeſſor (*ille*) tuus ſociatus exſultat. Per Chriſtum Dominum &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & majeſtatem tuam ſupplici devotione exorare, ut beatorum Confeſſorum tuorum (*illorum*) quorum hodie feſta celebramus, obtentu mereamur tuum obtinere auxilium. Per Chriſtum &c.

IN NATALE UNIUS VIRGINIS.

VEre dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, qui inter felicium Martyrum palmas ineffabili bonitate (*illam*) quoque beatiſſimam Virginem victrici patientia clariſſime coronaſti; quæ nec blandimentis illecta, nec minis territa, nec ſuppliciis ſuperata, de Diaboli ſævitia triumphavit. Per Chriſtum &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & in hac ſolemnitate tibi laudis hoſtias immolare; qua beatæ Virginis & Martyris tuæ paſſionem venerando recolimus, & tui nominis gloriam debitis præconiis magnificamus. Per &c.

DE PLURIBUS VIRGINIBUS.

VEre dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, quoniam tuo dono actum eſt, ut poſtquam Virgo de Virgine prodiit, ſexus fragilis eſſet fortis, & in quo fuit peccandi facilitas, eſſet vincendi felicitas, antiquuſque hoſtis, qui per antiquam virginem genus humanum ſe viciſſe gloriabatur, per ſanctas nunc Virgines, ſequaces potius Mariæ, quam Evæ, vincatur, & in eo major ei confuſio creſcat, quo de eo etiam ſexus fragilis jam triumphat. Per Chriſtum &c.

INCIPIUNT PRÆFATIONES DOMINICALES.

VEre dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & immenſam bonitatis tuæ pietatem humiliter exorare, ut ignorantiam noſtræ mortalitatis attendens, & tua inſpiratione nos facias poſtulare, quod rectum eſt, & tua clementia tribuas impetrare, quod poſcimus. Per Chriſtum &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & tuam ſuppliciter exorare clementiam, ut quia magnum tuæ pietatis indicium eſt, ſi tibi nos facias toto corde ſubjectos, tu ſpiritum nobis tantæ devotionis infundas, ut propitius largiaris conſequenter auxilium. Per Chriſtum &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, qui cum Unigenito Filio tuo & Sancto Spiritu unus es Deus,

Deus, unus es Dominus, non in unius ſingularitate Perſonæ, ſed in unius Trinitate ſubſtantiæ. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sancto, ſine differentiæ diſcretione ſentimus, ut in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur æqualitas. Quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, cujus hoc mirificum opus, ac ſalutare myſterium fuit, ut perditi dudum atque proſtrati, de Diabolo & mortis aculeo ad hanc gloriam vocaremur, qua nunc genus electum, Sacerdotiumque regale, Populus acquiſitionis, & gens ſancta vocaremur. Agentes igitur indefeſſas gratias, ſanctamque munificentiam tuam prædicantes, majeſtati tuæ hæc ſacra deferimus, quæ nobis ipſe ſalutis Auctor inſtituit. Per quem majeſtatem &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum, quia in te vivimus & movemur & ſumus, & nullum tempus, nullumque momentum eſt, quod a beneficiis pietatis tuæ vacuum tranſigamus. Et ideo &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, majeſtatem tuam ſuppliciter deprecantes, ut qui rei ſumus meritis, non efficiamur noſtra duritia contumaces, nec te protervis ſenſibus accuſare nitamur, ſi tua nobis, quæ non meremur, beneficia retardentur; ſed hinc potius & noſtras cognoſcamus offenſas. Et opem tuam jugiter imploramus, quia multo amplius continuata ſubſidia devotis mentibus miniſtrabis, qui eadem largiris indignis. Per &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & tuam miſericordiam totis niſibus exorare, ne pro noſtra nos iniquitate condemnes, ſed pro tua pietate in via recta ſemper diſponas, nec ſicut meremur, delinquentibus iraſcaris, ſed fragilitati noſtræ invicta bonitate ſubvenias. Per Chriſtum &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, & tibi debitam ſervitutem per miniſterii hujus impletionem perſolvere. Qui non ſolum peccantibus veniam tribuis, ſed etiam petentibus non præteris, & quod perpeti malis operibus promeremur, magnifica pietate depellis, ut nos ad tuæ reverentiæ cultum & terrore cogas, & amore perducas. Per Chriſtum &c.

Alia.

Vere dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, quia quum laude noſtra non egeas, grata tibi tamen eſt tuorum devotio famulorum; nec te augent noſtra præconia, ſed nobis proficiunt ad ſalutem. Quoniam ſicut fontem vitæ præterire, cauſa moriendi eſt, ſic eodem jugiter redundare, effectus eſt ſine fine vivendi. Et ideo &c.

IN ADVENTUM DOMINI.

VEre dignum & juſtum eſt &c. æterne Deus, cui proprium eſt ac ſingulare, quod bonus es, & nulla unquam a te es commotione diverſus. Propitiare, quæſumus, ſupplicationibus noſtris, & Eccleſiæ tuæ miſericordiam tuam, quam precatur, oſtende: manifeſtans plebi tuæ Unigeniti tui & Incarnationis myſterium, & Adventus admirabile ſacramentum; ut in univerſitate nationum conſtet eſſe perfectum, quod Vatum oraculis fuit ante promiſſum: percipiantque dignitatem adoptionis,

quos

quos exornat confessio veritatis. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, & majestatem tuam humiliter exposcere, ut ita nos Unigeniti tui in præsenti seculo illustret respectus, qualiter culpis omnibus emundatos inveniat secundus ejus adventus. Per quem majestatem &c.

IN JEJUNIO MENSIS DECIMI.

VEre dignum & justum est &c. per Christum Dominum nostrum, quem pro salute hominum nasciturum Gabriel Archangelus nuntiavit, Virgo Maria Spiritus Sancti operatione concepit; ut quod Angelica nuntiavit sublimitas, Virginea crederet puritas, ineffabilis perficeret Deitas. Illius, quæsumus, fac nos cernere faciem sine (*a*) confessione, omnipotens Deus, cujus Incarnationis gaudemus solemnitate; quatenus purificati jejuniis, a cunctis purgati vitiis, Natalis ejus interesse mereamur solemnibus festis. Per quem majestatem &c.

DE JEJUNIO MENSIS QUARTI, vel SEPTIMI.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus, qui sanctificator & institutor es abstinentiæ; cujus nullus finis, nullusque est numerus. Effunde, quæsumus, super nos in diebus Jejuniorum nostrorum spiritum gratiæ salutaris, & ab omnibus nos perturbationibus seculi hujus tua defensione conserva. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui ob animarum medelam Jejunii observatione castigari corpora præcepisti: concede, quæsumus, ut corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, ut ad tua mereamur, te opitulante, pervenire promissa. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui corporali Jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia. Per Christum &c.

IN LETANIIS PRO QUACUMQUE TRIBULATIONE.

VEre dignum & justum est &c. æterne Deus; te toto corde prostrati suppliciter exorantes, ut & præteritorum nobis concedas veniam delictorum, & ab omni mortalitatis incursu continua nos miseratione protegas, quia tunc defensionem tuam non diffidimus affuturam, quum a nobis ea, quibus te offendimus, dignanter expuleris. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui fragilitatem nostram non solum misericorditer donis temporalibus consolaris, ut nos ad æterna provehas, sed etiam ipsis adversitatibus seculi benignus erudis, ut ad cœlestia regna perducas. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui ideo malis præsentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas; ideo bonis temporalibus consolaris, ut de sempiternis efficias certiores, quo te & in prosperis & in adversis pia semper confessione laudemus. Per &c.

TEM-

a lege confusione

TEMPORE BELLI.

Vere dignum & justum &c. æterne Deus, qui subjectas tibi glorificas potestates, suscipe, quæsumus, propitius preces nostras, & vires adde Principibus, ut qui se dextera tua expetunt protegi, nulla possint adversitate superari. Fidelem quoque Populum tuum potentiæ tuæ muniat invicta defensio, ut pio semper tibi devotus affectu, & ab infestis liberetur inimicis, & in tua jugiter gratia perseveret. Per Christum &c.

IN MISSA VOTIVA.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, cujus omnipotentia deprecanda est, misericordia exoranda, pietas amplectenda; cujus majestatem humili prece deposcimus, ut famulo tuo (*illi*), intercedente sancto tuo (*illo*), remissionem peccatorum tribuas, ejusque viam in voluntate tua dirigas, & eum a cunctis malis eripias; quatenus ab omnibus adversitatibus liberatus, in tuis bonis confirmatus, & ad bonorum desideriorum vota perveniat, & quæ juste postulat, te largiente, percipiat. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, clementiam tuam pronis mentibus obsecrantes, ut famulos tuos, quos sanctæ dilectionis nobis familiaritate junxisti, tibi facias toto corde subjectos, ut tuæ caritatis spiritu repleti, a terrenis mundentur cupiditatibus, & cœlesti beatitudine, te donante, digni efficiantur. Per Christum &c.

PRO INFIRMIS.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant, potenter ostendens, quod sit pietatis tuæ præclara salvatio, dum præstas, ut operetur nobis etiam ipsa infirmitas medicinam. Per Christum &c.

PRO UNO DEFUNCTO.

Vere dignum & justum est &c. per Christum Dominum nostrum, per quem salus Mundi, per quem vita omnium, per quem resurrectio Mortuorum. Per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis parte restituas. Per quem majestatem &c.

PRO PLURIBUS DEFUNCTIS.

Vere dignum & justum est &c. æterne Deus, quia misericordiæ tuæ munere fidelibus vita mutatur, non tollitur, & in timoris tui observatione defunctis domicilium perpetuæ felicitatis acquiritur. Tibi igitur, clementissime Pater, preces supplices fundimus, & majestatem tuam devotis mentibus exoramus, ut Animæ famulorum famularumque tuarum, quorum diem commemorationis celebramus, mortis vinculis absolutæ, transitum mereantur ad vitam, & in ovium tibi placitarum benedictione æternum numerentur ad regnum. Per Christum &c.

QUÆ SEQUUNTR PRÆFATIONES, ex uno Codice OTHOBONIANO depromtæ fuerunt.

Heic studiose perscriptæ sequuntur Præfationes in Dominicis, & in diebus festis, vel in solemnitatibus Sanctorum, sive in cæteris Ecclesiasticis canendo Officiis. Quas si prudens Lector

ctor diligenter, solicite, curioseque inspexerit, suis in locis ordinatas atque correctas perfacile invenire poterit.

IN VIGILIA NATALIS DOMINI ad Nonam.

VEre dignum, æquum, & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, cujus hodie faciem in confessione prævenimus, & voce supplici exoramus, ut superventuræ noctis Officiis nos ita pervigiles reddat, ut sinceris mentibus ejus percipere mereamur Natale venturum, in quo invisibilis ex substantia tua visibilis per carnem apparuit in nostra; tecumque unus, non tempore genitus, non natura inferior, ad nos venit ex tempore natus. Per quem &c.

IN VIGILIA DOMINI in nocte.

VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum. Cujus divinæ Nativitatis potentiam ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo. Quem semper Filium, & ante tempora æterna genitum, quia tibi plene atque perfecte æterni Patris nomen non defuit, prædicamus, & honore, majestate, atque virtute æqualem tibi cum Sancto Spiritu confitemur, & in trino vocabulo unicam credimus majestatem. Et ideo.

IN NATALE SANCTI STEPHANI.

VEre dignum, *usque* æterne Deus, beati Stephani Levitæ simul, & Martyris Natalitia recolentes, qui Fidei, qui sacræ militiæ, qui dispensationis & castitatis egregiæ, qui prædicationis, mirabilisque constantiæ, qui confessionis ac patientiæ nobis exempla veneranda proposuit. Et ideo Nativitatem Filii tui merito præ cæteris, passionis suæ festivitate prosequitur, cujus gloriæ sempiternæ primus Martyr occurrit. Per Christum &c.

IN NATALI S. JOHANNIS EVANGELISTÆ.

VEre dignum, *usque* æterne Deus, beati Apostoli tui & Evangelistæ Johannis veneranda Natalitia recensentes, qui Domini nostri Jesu Christi Filii tui vocatione suscepta, terrenum respuit patrem, ut posset invenire cœlestem: adeptus in regno cœlorum Sedem Apostolici culminis. Qui tantum retia carnalia contemserat genitoris, quique ab Unigenito tuo sic familiariter est dilectus, & immensæ gratiæ muneribus approbatus, ut cum idem Dominus, in Cruce jam positus, Vicarium suæ Matri Virgini Filium subrogaret, quatenus beatæ Genitricis integritati probati dilectique Discipuli Virginitas deserviret. Nam & in Cœnæ mysticæ sacrosancto convivio super ipsum vitæ fontem, æternum scilicet pectus, recubuerat Salvatoris, de quo perenniter manantia cœlestis hauriens fluenta doctrinæ, tam profundis ac mysticis revelationibus est imbutus, ut omnem transgrediens creaturam, excelsa mente conspiceret, & Evangelica voce proferret, quod *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et ideo &c.

IN NATALE INNOCENTUM.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Et in pretiosis mortibus Parvulorum, quos propter nostri Sal-

vatoris infantiam bestiali sævitia Herodes funestus occidit: immensæ clementiæ tuæ dona prædicare. In quibus fulget sola magis gratia, quam voluntas; & clara est prius confessio, quam loquela, ante passio, quam membra idonea passioni. Exsistunt testes Christi, qui ejus nondum fuerant agnitores. O infinita benignitas! o ineffabilis misericordia, quæ pro suo nomine trucidatis meritum gloriæ perire non patitur, sed proprio cruore perfusis & salus regenerationis adhibetur, & imputatur corona martyrii. Et ideo &c.

DOMINICA PRIMA POST NATALE DOMINI.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Et sursum cordibus erectis divinum adorare mysterium, ut quod magno Dei munere geritur, magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur; quoniam humana conditio veteri terrenaque Lege cessante, nova cœlestique substantia mirabiliter restaurata profertur. Per Christum &c.

IN OCTAVA DOMINI.

VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum, cujus hodie Circumcisionis diem & Nativitatis octavum celebrantes, tua, Domine, mirabilia veneramur. Quia quæ peperit, & Mater & Virgo est, qui natus est, & Infans & Deus est. Merito Cœli loquuti sunt, Angeli gratulati, Pastores lætati, Magi mutati (*fort.* invitati), Reges turbati, Parvuli gloriosa passione coronati. Et ideo &c.

DOMINICA SECUNDA POST NATALE DOMINI.

VEre dignum, *usque* æterne Deus, Qui peccato primi parentis hominem a salutis finibus exsulantem, pietatis indulgentia ad veniam vitamque revocasti, mittendo nobis Unigenitum Filium tuum Dominum & Salvatorem nostrum. Per quem majestatem &c.

IN VIGILIA THEOPHANIÆ.

VEre dignum, *usque* æterne Deus, & te laudare mirabilem Deum in omnibus operibus tuis, quibus sacratissima regni tui mysteria revelasti. Hanc etenim festivitatem Dominicæ Apparitionis index stella præcessit, quæ natum in terra cœli Deum Magis stupentibus nuntiaret, ut manifestandus Mundo Deus & cœlesti denuntiaretur indicio, & temporaliter procreatus, signorum temporalium ministerio panderetur. Et ideo &c.

IN DIE.

VEre dignum, *usque* æterne Deus: Quia notam fecisti in Populis misericordiam tuam, & salutare tuum cunctis gentibus declarasti, hodiernum eligens diem, in quo ad adorandam veri Regis infantiam excitatos de remotis partibus Magos, clarior cæteris sideribus, stella perduceret, & cœli ac terræ Dominum, corporaliter natum, radio suæ lucis ostenderet. Et ideo &c.

DOMINICA PRIMA POST THEOPHANIAM.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Quia quum Unigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, in novam nos immortalitatis suæ lucem reparavit. Et ideo &c.

DECIMO NONO KALENDAS FEBRUARII.

NATALE S. FELICIS IN PINEIS.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Et confessionem Sancti Felicis memorabilem non tacere, qui nec hæreticis pravitatibus, nec seculi blandimentis a sui status rectitudine potuit immutari, sed inter utraque discrimina veritatis assertor firmitatem tuæ Fidei non reliquit. Per Christum Dominum &c.

DOMINICA SECUNDA POST THEOPHANIAM.

VEre dignum, *usque* æterne Deus; semperque virtutes & laudes tuas labiis exsultationis effari, qui nobis ad relevandos istius vitæ labores, diversa donorum tuorum solatia, & munerum salutarium gaudia contulisti, mittendo nobis Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Per quem &c.

DECIMO SEPTIMO KALENDAS FEBRUARII.

NATALE S. MARCELLI.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Qui glorificaris in tuorum confessione Sanctorum, & non solum excellentioribus præmiis Martyrum tuorum merita gloriosa prosequeris, sed etiam sacro ministerio competentibus servitiis exsequentes, gaudium Domini sui tribuis benignus intrare. Per Christum &c.

DECIMO TERTIO KALENDAS FEBRUARII.

NATALE S. SEBASTIANI MARTYRIS.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Quoniam Martyris beati Sebastiani pro confessione nominis tui, venerabilis sanguis effusus simul & tua mirabilia manifestat, quo perficis in infirmitate virtutem; & nostris studiis dat profectum, & infirmis apud te præstat auxilium. Per Christum &c.

DUODECIMO KALENDAS FEBRUARII.

NATALE S. AGNETIS.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Et diem beatæ Agnetis martyrio consecratam solemniter recensere; quæ terrenæ generositatis oblectamenta despiciens, cœlestem meruit dignitatem. Societatis humanæ vota contemnens, æterni Regis est sociata consortio, & pretiosam mortem, sexus fragilitate calcata, pro Christi confessione suscipiens, simul est facta conformis & sempiternitatis ejus & gloriæ. Per quem &c.

UNDECIMO KALEND. FEBR.

NATALE S. VINCENTII.

(*a*) VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum. Pro cujus nomine gloriosus Levita Vincentius & miles invictus, rabidi hostis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse ut resiste-

a Hanc Præfationem retulit Codex Vaticanus sub titulo: *In natale unius Martyris*.

ſteret, neſciens elatus eſſe, quod vinceret, in utroque Domini ac Magiſtri ſui veſtigia ſequens, qui & humilitatis cuſtodiendæ, & de hoſtibus triumphandi, ſuis ſequenda exempla monſtravit. Per quem &c.

DOMINICA TERTIA

POST THEOPHANIAM.

VEre dignum &c. æterne Deus, & te in omni tempore collaudare & benedicere, quia in te vivimus & movemur & ſumus, nullumque momentum eſt, quod a beneficiis pietatis tuæ vacuum tranſigamus (*a*). Variis etenim ſolemnitatum cauſis ſalutarium nobis operum tuorum & munerum memoria, præſentis vitæ tempora exornat. Unde & nos vel innovante lætitia præteriti gaudii, vel permanentis boni tempus agnoſcentes, indefeſſas majeſtati tuæ grates exſolvimus. Per Chriſtum &c.

OCTAVO KALENDAS FEBR.

NATALE S. PROJECTI.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et tuam miſericordiam deprecari, ut mentibus noſtris beati Martyris tui Projecti repetita ſolemnitate, ſpiritalis lætitiæ tribuas jugiter ſuavitatem; concedaſque nobis, ut venerando paſſionis ejus triumphum, obtentu illius, & peccatorum remiſſionem, & Sanctorum mereamur adipiſci conſortium. Per Chriſtum &c.

EODEM DIE

CONVERSIO S. PAULI.

VEre dignum &c. æterne Deus, & majeſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut Eccleſiam tuam, beati Pauli Apoſtoli tui prædicatione edoctam, nulla ſinas fallacia violari. Et ſicut nihil in vera Religione manere dignoſcitur, quod non ejus condierit diſciplina, ita ad peragenda ea, quæ docuit, ejus obtentu fidelibus tribuatur efficacia; ſentiatque credentium multitudo eum pro ſe apud te interceſſorem, quem habere cognovit magiſtrum atque doctorem. Per Chriſtum &c.

DOMINICA QUARTA

POST THEOPHANIAM.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui genus humanum prævaricatione ſua in ipſius origine damnatum, per florem Virginalis uteri reddere dignatus es abſolutum, ut hominem, quem unigenitum creaveras, per Filium tuum Deum & Hominem recreares; ut Diabolus, qui Adam in fragili carne devicerat, conſervata juſtitia a Deo carne vinceretur aſſumta. Per Quem &c.

QVARTO NONAS FEBRUARII.

IN PURIFICATIONE S. MARIÆ.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus. Quia per incarnati Verbi myſterium nova mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis effulſit, ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc inviſibilium amore rapiamur. Per Chriſt. &c.

NO-

a Prima pars hujus Præfationis habetur inter *Præfationes Dominicales* Codicis Vaticani.

b Totidem verbis habes hanc Præfationem in Codice Vaticano ſub eodem titulo.

NONIS FEBRUARII.

NATALE SANCTÆ AGATHÆ.

VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Pro cujus nomine pœnarum, mortisque contemtum in utroque sexu fidelium cunctis ætatibus contulisti, ut (*a*) inter felicium Martyrum palmas Agathen quoque beatissimam Virginem victrici patientia coronares, quæ nec minis territa, nec suppliciis superata, de Diaboli sævitia triumphavit, quia in tuæ Deitatis confessione permansit. Et ideo &c.

DOMINICA QUINCTA POST THEOPHANIAM.

VEre dignum &c. æterne Deus, & tibi hanc immolationis hostiam offerre, quæ est salutifera, & ineffabile divinæ gratiæ Sacramentum. Quæ offertur a plurimis, & unum Corpus Christi Sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Propterea ipsi, qui sumimus communionem hujus sancti Panis & Calicis, unum Corpus Christi efficimur. Per ipsius itaque majestatem te supplices exoramus, ut nos ab omnibus emundes contagiis vetustatis, & in novitate vitæ perseverare concedas. Per quem majestatem &c.

DOMINICA SEXTA POST THEOPHANIAM.

VEre dignum &c. æterne Deus; ad cujus immensam pertinet gloriam, ut non solum mortalibus tua pietate succureres, sed de ipsa etiam mortalitate nostra nobis remedium provideres, & perditos quosque, unde perierant, inde salvares, Per Christum &c.

OCTAVO KALENDAS MARTII.

CATHEDRA SANCTI PETRI.

VEre dignum &c. æterne Deus; & te laudare mirabilem Deum in Sanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer, per quos Unigeniti tui sacrum Corpus exornas, & in quibus Ecclesiæ tuæ fundamenta constituisti, quam in Patriarchis fundasti, in Prophetis præparasti, in Apostolis condidisti. Ex quibus beatum Petrum Apostolorum Principem, ob confessionem Unigeniti Filii tui, per os ejusdem Verbi confirmatum, in fundamento Domus tuæ, mutato nomine, cœlestium claustrorum Præsulem custodemque fecisti; divino ei jure concessum, ut quæ statuisset in terris, servarentur in cœlis. In cujus veneratione hodierna die majestati tuæ hæc festa persolvimus, & gratiarum ac laudis hostiam immolamus. Per quem &c.

TERTIO IDUS MARTII.

NATALE S. GREGORII PAPÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Quia sic tribuis, Ecclesiam tuam Sancti Gregorii Pontificis tui commemoratione gaudere, ut eam illius & festivitate lætifices, & exemplo piæ conversationis exerceas, & verbo prædicationis erudias, grataque tibi supplicatione tuearis. Per Christum &c.

IN

a Quæ heic sequuntur, si pauca excipias, profert Codex Vaticanus *in Natale unius Virginis*.

IN SEPTUAGESIMA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Quia per ea, quæ conſpiciuntur, inſtruimur, quibus modis ad inviſibilia tendere debeamus. Denique commonemur, anni ducente ſucceſſu, de præteritis ad futura, de vetuſtate in novitatem vitæ tranſire, ut terrenis ſuſtentationibus expediti, cœleſtis doni capiamus deſiderabilius ubertatem, & per eum cibum, qui beneficiis prorogatur alternis, perveniamus ad victum ſine fine manſurum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem &c.

IN SEXAGESIMA.

VEre dignum &c. æterne Deus; qui rationabilem creaturam, ne temporalibus dedita bonis, ad præmia ſempiterna non tendat, ea diſpenſatione dignaris erudire, ut nec caſtigatione deficiat, nec proſperitatibus inſoleſcat; ſed hoc potius fiat ejus glorioſa devotio, quo nullis adverſitatibus obruta ſuperetur. Per Chriſtum &c.

IN QUINQUAGESIMA.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus, & majeſtatem tuam cernua devotione exorare, ut modulum terrenæ fragilitatis aſpiciens, non in ira tua pro noſtra pravitate nos arguas, ſed immenſa clementia purifices, erudias, conſoleris. Qui quum ſine te nihil poſſumus facere, quod tibi ſit placitum, tua nobis gratia ſola præſtabit, ut ſalubri converſatione vivamus. Per Chriſtum &c.

FERIA QUARTA IN CAPITE JEJUNII.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus, qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia. Per Chriſtum &c.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

VEre dignum &c. per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui continuatis quadraginta diebus & noctibus hoc Jejunium, non eſuriens, dedicavit. Poſtea enim eſuriit non tam cibum hominum, quam ſalutem, nec eſca ſecularium epulas concupivit, ſed animarum deſideravit potius ſanctitatem. Cibus namque ejus eſt redemptio Populorum, cibus ejus eſt totus bonæ voluntatis affectus. Qui nos docuit operari non ſolum cibum, qui terrenis dapibus apparatur, ſed etiam eum, qui Divinarum Scripturarum lectione percipitur. Per quem &c.

FERIA SECUNDA.

VEre dignum &c. æterne Deus; qui das eſcam omni carni, & non ſolum carnalibus, ſed etiam ſpiritalibus eſcis reficis, ut non in ſolo pane vivamus, ſed in omni verbo tuo vitalem habeamus alimoniam; nec tantum epulando, ſed etiam jejunando paſcamur: nam ut dapibus & poculis corpora, ſic jejuniis & virtutibus animæ ſaginantur. Magnam in hoc munere ſalubritatem mentis & corporis contuliſti, quia jejunium nobis venerabile dedicaſti, ut ad Paradiſum, de quo non abſtinendo cecidimus, jejunando ſolemnius redeamus. Per Chriſtum &c.

FE-

a Hæc Præfatio nihil differt ab ea, quæ in Vaticano Codice viſitur *In Quinquageſima*.

b Sub eadem rubrica Codex Vaticanus habet hanc Præfatiunculam.

FERIA TERTIA.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. In quo jejunantium Fides additur, Spes provehitur, Caritas roboratur. Ipse est enim Patris vivus & verus, qui substantia æternitatis, & esca virtutis est. Verbum enim tuum, per quod facta sunt omnia, non solum humanarum mentium, sed ipse Panis est Angelorum. Hunc Panem ministrare nobis non desinis, & ut eum indesinenter esuriamus, hortaris, cujus Carne dum pascimur, roboramur, & Sanguine, dum potamur, abluimur. Per quem &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui in alimentum corporis humani frugum copiam producere jussisti, & in alimentum animarum Jejunii nobis medicinam indidisti. Te itaque supplices invocamus, ut tibi sit acceptabile Jejunium nostrum, & nos a cibis jejunantes, a peccatis absolvas. Per Christum &c.

FERIA QUINTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Quia competenter atque salubriter religiosa sunt nobis instituta jejunia, ut corporeæ jucunditatis immoderatas coerceamus illecebras, & terrenæ delectationis insolentia refrænata purior atque tranquillior appetitus ad cœlestia contemplanda mysteria fidelium reddatur animarum. Per Christum &c.

FERIA SEXTA.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Qui Jejunii observatione, & eleemosynarum gratissima largitione, nos docuisti nostrorum consequi remedia peccatorum. Unde tuam imploramus clementiam, ut his observationibus, & cæteris bonorum operum exhibitionibus muniti, ea operemur, quibus ad æterna gaudia consequenda & spes nobis suppetat & facultas. Per Christum &c.

IN SABBATO.

VEre dignum &c. æterne Deus, illuminator & redemtor animarum nostrarum. Qui nos per primum Adam, abstinentiæ lege violata, Paradiso ejectos fortioris Jejunii remedio ad antiquæ patriæ beatitudinem per gratiam revocasti, nosque pia institutione docuisti, quibus observationibus a peccatis omnibus liberemur. Per Christum &c.

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

(*a*) VEre dignum &c æterne Deus. Et majestatem tuam suppliciter exorare, ut mentibus nostris medicinalis observantiæ munus infundas; & qui negligentibus etiam subsidium ferre non desinis, beneficia præbeas potiora devotis. Per Christum &c.

FERIA SECUNDA.

VEre dignum &c. æterne Deus, & pietatem tuam supplici devotione deposcere, ut Jejunii nostri oblatione placatus, & peccatorum nobis concedas veniam, & nos a noxiis liberes insidiis. Per Christum Dominum &c.

FE-

a Codex Vaticanus recenset hanc Præfstionem inter dicendas *quocumque die infra Quadragesimam*; eamque repetit *de Jejunio Mensis Quarti vel Septimi*.

FERIA TERTIA.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus. Qui ob animarum medelam Jejunii devotione castigari corpora præcepisti. Concede, quæsumus, ut corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, ut ad tua mereamur, te opitulante, pervenire promissa. Per Christum &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Per Christum Dominum nostrum, per quem humani generis reconciliationem mirabili dispensatione operatus es. Præsta, quæsumus, ut sancto purificati Jejunio, & tibi toto corde simus subjecti, & inter mundanæ pravitatis insidias, te miserante perseveremus illæsi. Per quem majestatem &c.

FERIA QUINTA.

VEre dignum &c. æterne Deus, & tuam cum celebratione Jejunii pietatem devotis mentibus obsecrare, ut qui peccatis ingruentibus malorum pondere premimur, & a peccatis omnibus liberemur, & libera tibi mente famulemur. Per Christum &c.

FERIA SEXTA.

VEre dignum &c. æterne Deus, qui delinquentes perire non pateris, sed ut ad te convertantur & vivant, hortaris. Poscimus itaque pietatem tuam, ut a peccatis nostris tuæ severitatis suspendas vindictam, & nobis optatam misericordiæ tribuas veniam. Nec iniquitatum nostrarum molestia te provocet ad ultionem, sed jejunii observatio & morum emendatio te flectat ad peccatorum nostrorum remissionem. Per Christum &c.

SABBATO.

VEre dignum &c. æterne Deus, & tuam suppliciter exorare clementiam, ut mentes nostras, quas conspicis terrenis affectibus prægravari, medicinalibus tribuas jejuniis exonerari, & per afflictionem corporum proveniat nobis robur animarum. Per Christum &c.

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

VEre dignum &c. æterne Deus, & te suppliciter exorare, ut cum abstinentia corporalis mens quoque nostra sensus declinet illicitos, & quæ terrena delectatione carnalibus epulis abnegamus, humanæ voluntatis pravis intentionibus amputemus, quatenus ad sancta sanctorum fideliter salubriterque capienda, competenti jejunio valeamus aptari, tanto nobis certi propensius jugiter adfutura, quanto fuerimus eorum institutionibus gratiores. Per Christum Dominum &c.

FERIA SECUNDA.

VEre dignum &c. æterne Deus, & clementiam tuam cum omni supplicatione precari, ut per hanc Jejuniorum observantiam crescat nostræ devotionis affectus, & nostras actiones religiosus exornet effectus; quatenus te auxiliante & ab humanis semper retrahamur excessibus, & monitis inhærere valeamus, te largiente, cœlestibus. Per Christum &c.

FE-

a Præfationibus identidem recitandis *quocumque die infra Quadragesimam* adscribuntur a Codice Vaticano Præfationes *Feriæ Tertiæ*, *Quartæ*, *Quintæ*, *Sextæ*, & *Sabbati*, quæ heic leguntur.

FERIA TERTIA.

VEre dignum &c. æterne Deus, qui peccantium non vis animas perire, sed culpas, & peccantes non semper continuo judicas, sed ad pœnitentiam provocatos exspectas: averte, quæsumus, a nobis, quam meremur iram, & quam optamus, super nos effunde clementiam tuam, ut sacro purificati Jejunio, electorum tuorum adscisci mereamur collegio. Per Christum Dominum &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus, tuamque misericordiam suppliciter exorare, ut Jejuniorum nostrorum sacrosancta mysteria tuæ sint pietati semper accepta: concedasque ut quorum corpora abstinentiæ observatione macerantur, mentes quoque virtutibus & cœlestibus institutis exornentur. Per Christum &c.

FERIA QUINTA.

VEre dignum &c. æterne Deus, & tuam immensam clementiam supplici voto deposcere, ut nos famulos tuos & Jejunii maceratione castigatos, ac cæteris bonorum operum exhibitionibus eruditos, in mandatis tuis facias perseverare sinceros, & ad Paschalia festa pervenire illæsos; sicque præsentibus subsidiis consolemur, quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur. Per Christum &c.

FERIA SEXTA.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Qui ad insinuandum humilitatis suæ mysterium, fatigatus resedit ad puteum; qui a muliere Samaritana aquæ sibi petiit porrigi potum, qui in ea creverat Fidei donum, & ita ejus sitire dignatus est fidem, ut dum ab ea aquam peteret, in ea ignem divini amoris accenderet. Imploramus itaque tuam immensam clementiam, ut contemnentes tenebrosam profunditatem vitiorum, & relinquentes noxiarum hydriam cupiditatum, & te, qui fons vitæ & origo bonitatis es, semper sitiamus, & jejuniorum nostrorum observatione tibi placeamus. Per quem &c.

SABBATO.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui Jejunii Quadragesimalis observationem in Moyse, & Helia dedicasti, & in Unigenito Filio tuo, Legis & Prophetarum, nostrorumque omnium Domino exornasti. Tuam igitur immensam bonitatem supplices exposcimus, ut quod ille jugi jejuniorum complevit continuatione, nos adimplere valeamus, illius adjuti largissima miseratione, & adimplentes ea, quæ præcepit, dona percipere mereamur, quæ promisit. Per quem &c.

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te Creatorem omnium de præteritis fructibus glorificare, & de venturis suppliciter exorare, ut quum de perceptis non invenimur ingrati, de percipiendis non judicemur indigni; sed exhibita toties solemni devotione jejunia cum subsidiis corporalibus profectum quoque capiamus animarum. Per Christum Dominum nostrum &c.

FERIA SECUNDA.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Et tuam suppliciter misericordiam implorare, ut exercitatio veneranda Jejunii salutaris nos a peccatorum nostrorum maculis purgatos reddat, & ad supernorum civium societatem perducat; ut heic devotorum actuum sumamus augmentum, & illic æternæ beatitudinis percipiamus emolumentum. Per Christum &c.

FERIA TERTIA.

VEre dignum, *usque* æterne Deus. Per mediatorem Dei & hominum Jesum Christum Dominum nostrum, qui mediante die festo ascendit in Templum docere, qui de cœlo descendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare. Cujus descensus genus humanum doctrina salutari instruit, mors a perpetua morte redemit, Ascensio ad cœlestia regna perducit. Per quem te, summe Pater, poscimus, ut ejus institutione edocti, salutaris parsimoniæ devotione purificati, ad tua perveniamus promissa securi. Per quem &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum, qui illuminatione suæ Fidei, tenebras expulit Mundi, & genus humanum, quod primæ Matris uterus profuderat cæcum, Incarnationis suæ mysterio reddidit illuminatum, fecitque filios adoptionis, qui tenebantur vinculis justæ damnationis. Per ipsum te petimus, ut tales in ejus inveniamur justissima examinatione, quales facti sumus in Lavacri salutaris felicissima regeneratione; ut ejus Incarnationis medicamine imbuti, sacrosancti Lavacri ablutione loti, parsimoniæ devotione ornati, ad æterna gaudia perveniamus illæsi. Per quem &c.

FERIA QUINCTA.

VEre dignum &c. æterne Deus, cujus bonitas hominem condidit, justitia damnavit, misericordia redemit, te humiliter exoramus, ut sicut per illicitos appetitus a beata regione decidimus, sic ad æternam patriam per abstinentiam redeamus. Sicque moderetur tua miseratione nostra fragilitas, ut & transitoriis subsidiis nostra sustentetur mortalitas, & per bonorum operum incrementa beata acquiratur immortalitas. Per Christum &c.

FERIA SEXTA.

VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum, qui est dies æternus, lux indeficiens, claritas sempiterna; qui sic sequaces suos in luce præcepit ambulare, ut noctis æternæ valeant caliginem evadere, & ad lucis patriam feliciter pervenire; qui per humilitatem assumtæ humanitatis Lazarum flevit, per Divinitatis potentiam vitæ reddidit, genusque humanum quadrifida peccatorum mole obrutum ad vitam reducit. Per quem petimus Jejunii observatione a peccatorum nostrorum nexibus solvi, æternæ vitæ felicitati reddi, & Sanctorum cœtibus connumerari. Per quem majestatem &c.

IN SABBATO.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus, misericordiæ dator, & totius bonitatis auctor; qui jejuniis, orationibus, & eleemosynis peccatorum remedia, & virtutum omnium tribuis incrementa: te humili devotione precamur, ut qui ad hæc agenda saluberrimam dedisti doctrinam, ad complendum indefessam tribuas efficaciam, ut obedienter tua exsequentes præcepta, feliciter tua capiamus promissa. Per Christum &c.

DOMINICA QUINCTA IN QUADRAESIMA.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus; majestatem tuam propensius implorantes, ut quanto magis dies salutiferæ festivitatis accedit, tanto devotius ad ejus digne celebrandum proficiamus Paschale mysterium. Per Christum &c.

FERIA SECUNDA.

VEre dignum &c. æterne Deus: te suppliciter exorantes, ut sic nostra sanctificentur jejunia, quo cunctorum nobis peccatorum proveniat indulgentia; quatenus appropinquante Unigeniti Filii tui Passione, bonorum operum tibi placere valeamus exhibitione. Per quem majestatem &c.

FERIA TERTIA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te devotis mentibus supplicare, ut nos interius exteriusque restaures, & parsimonia salutari a peccatorum sordibus purges; & quos illecebrosis delectationibus non vis impediri, spiritalium virtutum facias vigore muniri, & sic in rebus transitoriis foveas, ut perpetuis inhærere concedas. Per Christum Dominum &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te supplici devotione exorare, ut per Jejunia, quæ sacris institutis exsequimur, a cunctis reatibus emundari mereamur, tuamque percipere valeamus propitiationem, qui præparamur ad celebrandam Unigeniti Filii tui Passionem. Per quem majestatem &c.

FERIA QUINCTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui sic nos tribuis solemne tibi deferre Jejunium, ut indulgentiæ tuæ speremus nos percipere subsidium. Sic nos instituis ad celebranda Paschalia festa, ut per hæc acquiramus gaudia sempiterna. Per Christum Dominum &c.

FERIA SEXTA.

VEre dignum &c. æterne Deus; cujus nos misericordia prævenit, ut bene agamus; subsequitur, ne frustra agamus; accendit intentionem, qua ad bona opera peragenda inardescamus; tribuit efficaciam, qua hæc ad perfectum perducere valeamus. Tuam ergo clementiam indefessis vicibus obsecramus, ut nos Jejunii victimis a peccatis mundatos ad celebrandam Unigeniti Filii tui Domini nostri Passionem facias esse devotos. Per quem majestatem &c.

SAB-

a Præfationibus legendis *quocumque die infra Quadragesimam* adscribit hanc postremo loco Codex Vaticanus.

b Sub rubrica *de Passione Domini* Præfetionem hanc descriptam invenies in Codice Vaticano.

SABBATO.

VEre dignum &c. æterne Deus; cujus nos Fides excitat, Spes erigit, Caritas jungit: cujus miseratio gratuita purificat, quos conscientiæ reatus accusat. Te igitur cum interno rugitu deprecamur, ut carnalis alimoniæ refrænatione castigati, ad celebrandum Paschale mysterium inveniamur idonei. Per Christum &c.

DOMINICA SEXTA IN PALMIS.

STATIO AD S. JOHANNEM AD LATERANOS.

VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum. Per quem nobis indulgentia largitur, & pax per omne seculum prædicatur. Traditur cunctis credentibus disciplina, ut sanctificatos nos possit dies venturus excipere. Per quem majestatem &c.

FERIA SECUNDA.

(*a*) VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum. Cujus nos humanitas colligit, humilitas erigit, traditio absolvit, pœna redimit, Crux salvificat, Sanguis emaculat, Caro saginat. Per quem te, summe Pater, cum Jejuniorum obsequiis obsecramus, ut ad ejus celebrandam Passionem purificatis mentibus accedamus. Per &c.

FERIA TERTIA.

VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum. Cujus salutiferæ Passionis, & gloriosæ Resurrectionis dies appropinquare noscuntur, in quibus & antiqui hostis superbia triumphatur, & nostræ redemtionis mysterium celebratur. Unde poscimus tuam immensam clementiam, ut sicut in eo solo consistit totius nostræ salvationis summa, ita per eum tibi sit Jejuniorum & actuum nostrorum semper victima grata. Per quem &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum, *usque* per Christum Dominum nostrum. Qui innocens pro impiis voluit pati, & pro sceleratis indebite condemnari: cujus mors delicta nostra detersit, & resurrectio justificationem nobis exhibuit (*b*). Per quem tuam pietatem supplices exoramus, ut sicut nos hodie a peccatis emacules, ut cras venerabilis Cœnæ dapibus saties. Hodie acceptes confessionem nostrorum peccaminum, & cras tribuas spiritalium incrementa donorum. Hodie jejuniorum nostrorum vota suscipias, & creas nos ad sacratissimæ Cœnæ convivium introducas. Per quem majestatem &c.

FERIA QUINCTA IN COENA DOMINI.

VEre dignum &c. æterne Deus, & clementiam tuam suppliciter obsecrare, ut spiritalis lavacri Baptismo renovandis creaturam Chrismatis in sacramentum perfectæ salutis, vitæque confirmes, ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ innocens odor redolescat; ut secundum constitutionis tuæ sa-

a Præfatio hæc *Feriæ Secundæ*, uti & altera *Feriæ Tertiæ* exhibentur similiter a Codice Vaticano inter Præfationes *de Passione Domini*.

b Non ultra progreditur Codex Vaticanus in Præfatione sua *de Passione Domini*. Reliqua quæ supersunt heic, redundant in Othoboniano.

ſacramentum regio & ſacerdotali prophetico honore perfuſi, veſtimento incorrupti muneris induantur. Per Chriſtum &c.

Item alia.

Vere dignum, *uſque* per Chriſtum Dominum noſtrum. Quem in hac nocte inter ſacras epulas increpantem mens ſibi conſcia traditoris ferre non potuit, ſed Apoſtolorum relicto conſortio, ſanguinis pretium a Judæis accepit, ut vitam perderet, quam diſtraxit. Cœnavit hodie proditor mortem ſuam, & cruentis manibus panem de manu Salvatoris exiturus accepit, ut ſaginatum cibo major pœna contingeret, quem nec ſacrati cibi collatio a ſcelere revocaret. Patitur itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus cum hoſte noviſſimum participare convivium, a quo ſe noverat continuo eſſe tradendum, ut exemplum innocentiæ Mundo relinqueret, & Paſſionem ſuam pro ſeculi redemtione ſuppleret. Paſcit igitur mitis Deus immitem Judam, & ſuſtinet prius crudelem convivam, qui merito laqueo ſuo periturus erat, quia de Magiſtri ſanguine cogitarat. O Deum per omnia patientem! o magnum inter ſuas epulas mitem! cibum ejus Judas in ore ferebat, & quibus eum traderet, perſecutores advocabat. Sed Filius tuus Dominus noſter, tamquam pia hoſtia & immolari ſe tibi pro nobis patienter permiſit, & peccatum, quod Mundus commiſerat, relaxavit. Per &c.

IN SABBATO.

VEre dignum &c. æterne Deus, te quidem in omni tempore, ſed in hac potiſſimum nocte glorioſius collaudare & prædicare, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui inferorum clauſtra dirumpens, victoriæ ſuæ clara vexilla ſuſcepit, & triumphato Diabolo victor a mortuis reſurrexit. O noctem, quæ finem tenebris ponit, & æternæ lucis viam pandit! O noctem, quæ videre meruit, & vinci Diabolum, & reſurgere Chriſtum! O noctem, in qua tartara ſpoliantur, Sancti ab inferis liberantur, cœleſtis Patriæ aditus aperitur! in qua in Baptiſmate delictorum turba perimitur, filii lucis oriuntur, quos exemplo dominicæ Matris ſine corruptione ſancta mater Eccleſia concipit, ſine dolore parit, & cum gaudio ad meliora provehit. Et ideo &c.

DOMINICA IN PASCHA.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus, te quidem omni tempore, ſed in hoc præcipue die laudare, benedicere, prædicare, quo Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Per quem ad æternam vitam filii lucis oriuntur, fidelibus regni cœleſtis atria reſerantur, & beati lege commercii divinis humana mutantur; quia noſtrorum omnium mors Cruce Chriſti peremta eſt, & in Reſurrectione ejus omnium vita reſurrexit. Quem in ſuſceptione mortalitatis Deum majeſtatis agnoſcimus, & in Divinitatis gloria Deum & Hominem confitemur. Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reſtituit. Et ideo &c.

FERIA SECUNDA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te ſuppliciter exorare, ut fidelibus tuis dignanter impendas, quo & Paſchalia capiant ſacramenta, & deſideranter exſpectent ventura; ut in myſteriis, quibus renati ſunt, permanentes, ad novam vitam, his operantibus, perducantur. Per &c.

FE-

a Similiter procedit Codex Vaticanus in hac Præfatione.

FERIA TERTIA.

(*a*) VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum, qui oblatione sui Corporis, remotis sacrificiorum carnalium observationibus, se ipsum tibi sacram hostiam, agnumque immaculatum Summus Sacerdos pro salute nostra immolavit. Per quem majestatem &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus, & pietatem tuam indefessis precibus implorare, ut qui Paschalis festivitatis solemnia colimus, in tua semper sanctificatione vivamus; quo per temporalis festi observationem pervenire mereamur ad æternorum gaudiorum continuationem. Per Christum &c.

FERIA QUINCTA.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Qui nos per Paschale mysterium edocuit, veritatem (*for.* vetustat.) vitæ derelinquere, & in novitate spiritus ambulare, a quo perpetuæ mortis superatur acerbitas, & æternæ vitæ fidelibus tribuitur integritas. Per quem &c.

FERIA SEXTA.

(*b*) VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Qui secundum promissionis tuæ incommutabilem veritatem, cœlestis Pontifex factus in æternum, solus omnium Sacerdotum peccati remissione non eguit, sed potius peccatum Mundi idem verus Agnus abstersit. Per quem majestatem &c.

IN SABBATO.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Per quem supplices exposcimus, ut cujus muneris pignus accepimus, manifesta dona comprehendere valeamus; & quæ nobis fideliter speranda Paschale contulit Sacramentum, per Resurrectionis ejus attingere mereamur ineffabile mysterium. Per quem majestatem &c.

IN DOMINICUM OCTAVUM PASCHÆ.

(*c*) VEre dignum &c. æterne Deus, & te suppliciter obsecrare, ne nos ad illum sinas redire actum, cui jure dominatur inimicus, sed in hac potius facias absolutione persistere, per quam Diabolus extitit, Filio tuo vincente, captivus. Et ideo &c.

IN PASCHA ANNOTINA.

VEre dignum &c. æterne Deus, & redemtionis nostræ festa recolere, quibus humana substantia, vinculis prævaricationis exuta, spem resurrectionis per renovatam originis dignitatem assumsit. Et ideo &c.

OCTAVO KALENDAS APRILIS.

ANNUNTIATIO SANCTÆ MARIÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui per beatæ Mariæ Virginis partum Ecclesiæ tuæ tribuisti celebrare mysterium, & inenarrabile sacramentum, in qua manet intacta castitas, pudor integer, firma constan-

a Sub titulo *aliis diebus de Resurrectione* habetur hæc Præfatio in Codice Vaticano, contextu tamen, non sensu, aliquantulum diversa ab Othoboniana.

b Non differt hæc Præfatio ab ea, quam Codex Vaticanus assignat dicendam *aliis diebus de Resurrectione*.

c Inter alias Præfationes legendas *diebus de Resurrectione*, hanc eisdem verbis refert Codex Vaticanus.

ſtantia; quæ lætatur, quod Virgo concepit, quod Cœli Dominum caſtis portavit viſceribus, quod Virgo edidit partum. O admirandam divinæ diſpenſationis operationem! Quæ virum non cognovit, & Mater eſt, & poſt Filium Virgo eſt. Duobus enim gaviſa eſt muneribus. Miratur, quod Virgo peperit, lætatur, quod Redemtorem Mundi edidit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem &c.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVUM PASCHÆ.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus, & immenſam bonitatis tuæ pietatem humiliter exorare, ut ignorantiam noſtræ mortalitatis attendens, ex tua inſpiratione nos facias poſtulare, quod rectum eſt, & tua clementia tribuas impetrare, quod poſcimus. Per Chriſt. &c.

IDIBUS APRILIS.

NATALE SANCTÆ EUPHEMIÆ.

(*b*) VEre dignum, &c. æterne Deus, & in hac ſolemnitate tibi laudis hoſtias immolare, qua beatæ Euphemiæ Martyris tuæ paſſionem venerando recolimus, & tui nominis gloriam debitis præconiis magnificamus. Per Chriſt. &c.

DECIMO OCTAVO KALENDAS MAJI.

NATALE SANCTORUM VALERIANI, ET MAXIMI.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te in ſanctorum Martyrum tuorum feſtivitate laudare, qui ſemper es mirabilis in tuorum commemoratione Sanctorum, & magnæ Fidei largiris affectum, & tolerantiam tribuis paſſionum, & antiqui hoſtis facis ſuperare machinamentum: quo egregii Martyres tui ad capiendam ſupernorum beatitudinem præmiorum, nullis impediantur retinaculis blandimentorum. Et ideo.

DOMINICA SECUNDA POST OCTAVUM PASCHÆ.

VEre dignum &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui de Virgine naſci dignatus, per Paſſionem & Mortem a perpetua morte nos liberavit, & Reſurrectione ſua nobis vitam contulit. Per quem &c.

OCTAVO KALENDAS MAJI.

NATALE SANCTI GEORGII.

VEre dignum &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Pro cujus nominis veneranda confeſſione beatus Martyr Georgius diverſa ſupplicia ſuſtinuit, & ea devincens coronam perpetuitatis promeruit. Per quem &c.

SEPTIMO KALENDAS MAJI.

IN LETANIA MAJORE.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te auctorem & ſanctificatorem jejunii collaudare, per quod nos liberas a noſtrorum debitis peccatorum. Ergo ſuſcipe jejunantium preces, atque ut nos a malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates noſtras, quibus merito affligimur, placatus abſolve. Per Chriſtum &c.

FE-

a *Præfantionum Dominicalium* prima hæc eſt in Codice Vaticano.

b His formulis conceptam perhibet Codex Vaticanus hanc Præfationem *in natale Unius Virginis*.

FERIA TERTIA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et majeſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut non noſtræ malitiæ; ſed indulgentiæ tuæ præveniat ſemper affectus, qui nos a noxiis voluptatibus indeſinenter expediat, & a mundanis cladibus dignanter eripiat. Per Chriſtum &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Ut quia tui eſt operis, ſi quod tibi placitum eſt, aut cogitemus aut agamus, tu nobis ſemper & intelligendi quæ recta ſunt, & exſequendi tribuas facultatem. Per Chriſtum &c.

DOMINICA TERTIA. POST OCVAVUM PASCHÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et tui miſericordiam muneris poſtulare, ut tempora, quibus poſt reſurrectionem ſuam Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum diſcipulis corporaliter habitavit, ſic ipſo opitulante, pia devotione tractemus, quatenus in his omnium vitiorum ſordibus careamus. Per quem majeſtatem &c.

KALENDIS MAJI.

NATALE APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui Eccleſiam tuam in Apoſtolica ſoliditate firmaſti; de quorum conſortio ſunt beatus Philippus & Jacobus, quorum paſſionis hodie feſta veneramur, poſcentes, ut ſicut eorum doctrinis inſtituimur, ita exemplis muniamur, & precibus adjuvemur. Per Chriſtum &c.

QUINCTO NONAS MAJI.

INVENTIO S. CRUCIS.

VEre dignum &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui per paſſionem Crucis Mundum redemit, & antiquæ arboris amariſſimum guſtum, Crucis medicamine indulcavit, mortemque, quæ per lignum vetitum venerat, per ligni trophæum devicit, ut mirabili ſuæ pietatis diſpenſatione, qui per ligni guſtum a florigera ſede diſceſſeramus, per Crucis lignum ad Paradiſi gaudia redeamus. Per quem majeſtatem &c.

DOMINICA QUARTA POST OCTAVUM PASCHÆ.

(a) VEre dignum &c. æterne Deus. Et majeſtatem tuam indefeſſis precibus exorare, ut mentes noſtras bonis operibus ſemper informes, quia ſic erimus præclari muneris promta ſinceritate cultores, ſi ad meliora jugiter tranſeuntes, Paſchale myſterium ſtudeamus habere perpetuum. Per Chriſtum &c.

QUARTO IDUS MAJI.

NATALE SS. NEREI, & ACHILLEI, & PANCRATII.

(b) VEre dignum &c. æterne Deus. Quoniam a te conſcientiam Fides, a te virtutem ſumit infirmitas, & quidquid in perſequutionibus ſævum eſt, quidquid in morte terribile, nominis tui

a Ad rubricam *aliis diebus de Reſurrectione* hanc Præfationem ſuppeditat Codex Vaticanus.

b Vide conſimilem huic Præfationi in Codice Vaticano ad *natale plurimorum Martyrum*.

tui facis confessione superari. Unde benedicimus te, Domine, in operibus tuis, teque in Sanctorum tuorum Nerei & Achillei, & Pancratii provectione laudamus. Per Christum &c.

IN ASCENSA DOMINI.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et in hac præcipue die, qua Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, divini consummato fine mysterii, dispositionis antiquæ munus explevit, ut scilicet & Diabolum cœlestis operis inimicum, per hominem, quem subjugaverat, elideret, & humanam reduceret ad superna dona substantiam. Et ideo &c.

DOMINICA PRIMA POST ASCENSA DOMINI.

(*a*) VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Qui generi humano nascendo subvenit, quum per mortem Passionis Mundum devicit, per gloriam Resurrectionis vitæ æternæ aditum patefecit, & per suam Ascensionem ad Cœlos nobis spem ascendendi donavit. Per quem &c.

IN SABBATO PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui sacramentum Paschale consummans, quibus per Unigeniti tui consortium filios adoptionis esse tribuisti, per Spiritum Sanctum largiris dona gratiarum, & suis coheredibus Redemtoris jam nunc supernæ pignus hereditatis impendis, ut tanto se certius ad eum confidant esse venturos, quanto se sciunt ab eo redemtos, & Sancti Spiritus infusione ditatos. Et ideo &c.

FERIA SECUNDA.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Qui promissum Spiritum Paraclitum super Discipulos misit, qui principio nascentis Ecclesiæ cunctis gentibus imbuendis, & Deitatis scientiam inderet, & Linguarum diversitatem in unius Fidei confessione sociaret. Per quem majestatem tuam supplices exoramus, ut cujus celebramus adventum, ejus multimodæ gratiæ capiamus effectum. Per quem majestatem tuam &c.

FERIA TERTIA.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Qui Spiritus Sancti infusione replevit corda fidelium, qui sui admirabili operatione, & sui amoris in eis ignem accenderet, & per diversitatem Linguarum gentes in unitate Fidei solidaret: cujus dono petimus, & illecebrosas a nobis excludi voluptates, & spiritales in nobis exstrui plantarique virtutes. Per quem majestatem &c.

FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Per quem Discipulis Spiritus Sanctus in terra datur ob dilectionem proximi, & de cœlo mittitur propter dilectionem tui; cujus infusio, petimus, ut in nobis peccatorum sordes exurat, tui amoris ignem nutriat, & nos ad amorem fraternitatis accendat. Per quem &c.

a Diversa est hæc a Præfatione Vaticani sub *die Dominica post Ascensionem Domini.*

FERIA QUINTA.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Per quem pietatem tuam suppliciter petimus, ut Spiritus Sanctus corda nostra clementer expurget, & sui luminis irradiatione perlustret, ut in eo, qui gratiarum largitor est, recta sapiamus, & de ejus consolatione in perpetuum gaudeamus. Per quem &c.

FERIA SEXTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et majestatem tuam suppliciter exorare, ut Spiritus Paraclitus ad nos veniat, & nos inhabitando, templum suæ majestatis efficiat, quod cum Unigenito Filio tuo clementi respectu semper digneris invisere, & tuæ inhabitationis fulgore in perpetuum perlustrare. Per quem &c.

IN SABBATO.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et tuam omnipotentiam devotis precibus implorare, ut nos Spiritus tui lumen infundat, cujus nos sapientia creat, pietas recreat, & providentia gubernat. Qui quum a tua substantia nullo modo sit diversus, sed tibi & Unigenito tuo consubstantialis & coæternus, diversitate tamen donorum replet tuorum corda fidelium. Et ideo &c.

DOMINICA OCTAVÆ PENTECOSTEN.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus. Qui cum Unigenito Filio tuo, & Sancto Spiritu unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personæ; sed in unius Trinitatis substantia. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentiæ discretione sentimus; ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in Personis proprietas, & in majestate adoretur æqualitas. Quem laudant Angeli &c.

QUARTO NONAS JULII.

NATALE SANCTORUM MARCELINI ET PETRI.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus. Apud quem semper est præclara vita Sanctorum, quorum nos mors pretiosa lætificat & tuetur. Quapropter Martyrum tuorum Marcellini & Petri gloriosa recensentes Natalitia, laudes tibi referimus, & magnificentiam tuam supplices exoramus, ut quorum sumus martyria venerantes, beatitudinis mereamur esse consortes. Per Christum &c.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus; qui Ecclesiæ tuæ filios sicut non cessas erudire, ita non desinis adjuvare, ut & scientiam, te miserante, recte faciendi, & possibilitatem capiant exsequendi. Per Christum &c.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

(*c*) VEre dignum &c. æterne Deus: cujus hoc mirificum opus ad salutare mysterium fuit,

a Hæc occurrit inter *Præfationes Dominicales* Codicis Vaticani.

b Idem Codex Præfationem hanc exaravit cum aliis *in natali plurimorum Martyrum*.

c *Præfationibus Dominicalibus* hanc adtexuit Codex Vaticanus.

fuit, ut perditi dudum atque prostrati, de Diabolo & mortis aculeo ad hanc gloriam vocaremur, qua nunc genus electum, Sacerdotiumque regale, Populus acquisitionis, & gens sancta vocaremur. Agentes igitur indefessas gratias, sanctamque munificentiam tuam prædicantes, Majestati tuæ hæc sacra deferimus, quæ nobis ipse salutis nostræ auctor Christus instituit. Per Christum &c.

MENSE QUARTO, FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui apud illos lætitiæ dies, quos in honore Domini a mortuis resurgentis, & in cœlos ascendentis exegimus, postque perceptum Sancti Spiritus donum, necessaria nobis jejunia sancta provisa sunt, ut pura conversatione viventibus, quæ divinitus sunt Ecclesiæ collata permaneant. Per Christum &c.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus. Quoniam illa festa remanent, quibus nostræ mortalitati procuratur immortale commercium, ac temporali vitæ subrogatur æternitas, & de peccati pœna peccata mundantur, mirificisque modis conficitur de perditione salvatio, ut status conditionis humanæ, qui per felicitatis insolentiam venit ad tristitiam, humilis & modestus ad æterna gaudia redeat per mœrorem. Per Christum &c.

DECIMO TERTIO KALENDAS JULII.

NATALE SANCTORUM GERVASII ET PROTASII.

VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Pro cujus nominis confessione beati Martyres Gervasius & Protasius passi, in cœlesti regione æternis perfruuntur gaudiis, & pro eorum solemni recordatione Ecclesia religiosis exsultat officiis. Per quem &c.

DOMINICA QUINCTA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus, & omnipotentiam tuam jugiter implorare, ut nobis & præsentis vitæ subsidium, & æternæ tribuas præmium sempiternum; quo sic mutabilia bona capiamus, ut per hæc ad incommutabilia dona pervenire valeamus. Sic temporalis lætitiæ tempora transeant, ut eis gaudia sempiterna succedant. Per Christum &c.

IN VIGILIA S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Exhibentes solemne jejunium, quo beati Johannis Baptistæ Natalitia prævenimus. Cujus genitor, dum eum dubitat nasciturum, sermonis amisit officium, & eo nascente, & sermonis usum & Prophetiæ suscepit donum. Cujusque genitrix senio confecta, sterilitate mutata, in ejus conceptu non solum sterilitatem amisit, fœcunditatem acquisivit, sed etiam Spiritum sanctum, quo Matrem Domini & Salvatoris agnosceret, accepit: Per Christum Dominum nostrum &c.

IN DIE AD MISSAM.

(a) VEre dignum &c. æterne Deus. Et in die festivitatis hodiernæ, qua beatus Johannes exortus est, tuam magnificentiam collaudare. Qui vocem Matris Domini nondum editus sensit, & adhuc clausus utero, adventum salutis humanæ prophetica exsultatione significavit. Qui genitricis sterilitatem conceptus abstulit, & Patris linguam natus absolvit; solusque omnium Prophetarum Redemtorem Mundi, quem prænuntiavit, ostendit. Et ut sacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanis fluentis ipsum baptismo Baptismatis lavit Auctorem. Et ideo &c.

QUINCTO KALENDAS JULII.

NATALE SS. JOHANNIS ET PAULI.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum, pro cujus amore gloriosi Martyres Johannes & Paulus martyrium non sunt cunctati subire: quos in nascendi lege junxit germanitas, in gremio matris Ecclesiæ fidei unitas, in passionis acerbitate ferenda unius amoris societas. Per quem nos petimus eorum precibus adjuvari, quorum festa noscimur venerari. Per quem &c.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus, majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut opem tuam petentibus dignanter impendas, & desiderantibus benignus tribuas profuturam. Per Christum &c.

IN NATALE S. PETRI.

VEre dignum &c. æterne Deus, apud quem quum beatorum Apostolorum continuata festivitas, triumphique cœlestis perpetua & æterna sit celebritas, nobis tamen eorum festa annuis recursibus tribuis frequentare; ut & illorum passioni sit veneratio ex nostra devotione, & nobis auxilium proveniat de eorum sanctissima intercessione. Per Christum &c.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum, verum, æternumque Pontificem, & solum sine peccati macula Secerdotem. Cujus Sanguine omnium fidelium corda mundantur; cujus institutione placationis tibi hostias non solum pro delictis populi, sed etiam pro nostris offensionibus immolamus. Tuam poscentes clementiam, ut omne peccatum, quod carnis fragilitate contraximus, ipso summo pro nobis Antistite interveniente solvatur. Per quem &c.

SEXTO IDUS JULII.

NATALE SEPTEM FRATRUM.

VEre dignum &c. æterne Deus; donari nobis suppliciter exorantes, ut sicut Sancti tui Mundum in tua virtute vicerunt, ita nobis a mundanis erroribus postulent expediri. Per Christum &c.

DO-

a Hanc Præfationem habemus etiam in Codice Vaticano ad *Natale Sancti Johannis Baptistæ*.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus, ut tibi vovere contriti ſacrificium cordis, tibi libare humiliati victimam pectoris, a quo omne bonum ſumimus, omne jucunditatem haurimus. Precamur itaque, ut tibi conſcientia noſtra famuletur, & ut in te de die in diem meliorata proficiat, tuæ gratiæ intemerata ſubdatur. Noſtris nos, Domine, quæſumus, evacua malis, tuiſque reple per omnia bonis, ut percepta gratia, quam noſtra non exigunt merita, a cunctis adverſitatibus liberati, in bonis omnibus confirmati, ſupernis civibus mereamur conjungi. Per Chriſtum &c.

QUINCTO IDUS JULII.

NATALE S. BENEDICTI.

VEre dignum &c. æterne Deus, & gloriam tuam profuſis precibus exorare, ut qui beati Benedicti Confeſſoris tui veneramur feſta, te opitulante, ejus ſanctitatis imitari valeamus exempla, & cujus meritis nequaquam poſſumus coæquari, ejus precibus mereamur adjuvari. Per Chriſtum &c.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus; & tuam miſericordiam totis niſibus exorare, ne pro noſtra nos iniquitate condemnes, ſed pro tua pietate in via recta ſemper diſponas, nec, ſicut meremur, delinquentibus iraſcaris, ſed fragilitati noſtræ invicta bonitate ſubvenias. Per Chriſtum &c.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus, & tuam miſericordiam exorare, ut, te annuente, valeamus, quæ mala ſunt, declinare, & quæ bona ſunt, explere conſequenter. Et quia nos feciſti ad tua ſacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare. Per Chriſtum &c.

OCTAVO KALENDAS AUGUS.

NATALE S. JACOBI APOSTOLI.

VEre dignum &c. æterne Deus; quia licet nobis ſemper ſalutem operetur divini celebratio Sacramenti, propenſius tamen nobis confidimus profuturam, ſi beati Apoſtoli tui Jacobi interceſſionibus adjuvemur. Per Chriſtum &c.

TERTIO KALENDAS AUGUSTI.

NATALE SANCTORUM ABDON ET SENNES.

VEre dignum &c. æterne Deus, & te laudare mirabilem Deum in Sanctis tuis, quos ante conſtitutionem Mundi in æternam tibi gloriam præparaſti; ut per eos huic Mundo veritatis tuæ lumen oſtenderes. Quos ita ſpiritu veritatis armaſti, ut formidinem mortis per infirmitatem carnis evincerent. De quorum collegio ſunt Martyres tui Abdon & Sennes, qui in Eccleſiæ tuæ prato, ſicut roſæ & lilia, floruerunt. Quos Unigeniti tui Sanguis in prælio confeſſionis roſeo colore perfudit, & ob præmium paſſionis niveo liliorum ſplendore veſtivit. Per Chriſtum &c.

DO-

a Hæc conſimilis eſt Præfationi Codicis Vaticani ſub titulo *Præfationum Dominicalium*.

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus, & tibi debitam ſervitutem per miniſterii hujus impletionem perſolvere, quia non ſolum peccantibus veniam tribuis, ſed etiam præmia petentibus impertiris; & quod perpeti malis operibus promeremur, magnifica pietate depellis, ut nos ad tuæ reverentiæ cultum & terrore cogas, & amore perducas. Per Chriſtum &c.

KALENDIS AUGUSTI. NATALE MACHABÆORUM.

VEre dignum &c. æterne Deus. Quia licet in omnium Sanctorum tuorum tu ſis, Domine, protectione mirabilis, in his tamen ſpeciale munus tuum agnoſcimus, quos fratres ſorte naſcendi, magnifica præſtitiſti paſſione germanos, ut ſimul eſſet & veneranda gloria genitricis, & florentiſſima proles Eccleſiæ. Per Chriſtum &c.

NONIS AUGUSTI. NATALE S. SIXTI.

VEre dignum &c. æterne Deus, & in die feſtivitatis hodiernæ, qua beatus Sixtus pariter Sacerdos & Martyr devotum tibi ſanguinem exſultanter effudit; qui ad eamdem gloriam promerendam doctrinæ ſuæ filios incitavit, & quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo. Per Chriſtum &c.

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

(*b*) VEre dignum &c. per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus primum tuæ pietatis indicium eſt, ſi tibi facias toto corde ſubjectos, & ſpiritum in nobis tantæ devotionis infundas, ut propitius largiaris conſequenter auxilium. Per Chriſtum &c.

QUINTO IDUS AUGUSTI.

VIGILIA S. LAURENTII.

VEre dignum &c. æterne Deus, & devotis mentibus Natale beati Martyris tui Laurentii prævenire, qui Levita ſimul Martyrque venerandus, & proprio claruit glorioſus officio, & memorandæ paſſionis refulſit martyrio. Per Chriſtum &c.

IN DIE AD MISSAM.

VEre dignum &c. æterne Deus, & in die ſolemnitatis hodiernæ, qua beatus Laurentius, hoſtia ſancta, viva, tibi placens, oblatus eſt, qui igne accenſus tui amoris conſtanter ignem ſuſtinuit paſſionis, & per immanitatem tormentorum pervenit ad ſocietatem civium ſupernorum. Per Chriſtum &c.

TERTIO IDUS AUGUSTI.

NATALE S. TIBURTII.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui dum beati Tiburtii Martyris merita glorioſa veneramur, auxilium nobis tuæ propitiationis adfore deprecamur; quoniam credimus

a Ejuſdem claſſis in Vaticano Codice eſt hæc Præfatio.

b Conſonat cum Præfatione Codicis Vaticani in ſerie *Dominicalium*.

dimus nos per eorum interceſſionem, qui tibi placuere, peccatorum noſtrorum veniam impetrare. Per Chriſtum &c.

IDIBUS AUGUSTI.

NATALE S. HIPPOLYTHI.

VEre dignum &c. æterne Deus, & tuam clementiam vocibus ſupplicibus implorare, ut beati Hippolythi interceſſio peccatorum noſtrorum obtineat veniam, qui per tormenta paſſionis æternam pervenit ad veniam. Per Chriſtum &c.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus, qui nos caſtigando ſanas, & refovendo benignus erudis, dum magis vis ſalutis eſſe correctos, quam perire dejectos. Per Chriſtum &c.

DECIMONONO KALENDAS SEPTEMBRIS. NATALE S. EUSEBII.

VEre dignum &c. æterne Deus; & clementiam tuam pronis mentibus implorare, ut per beati Euſebii Confeſſoris interceſſionem ſalutiferam in noſtris mentibus firmes devotionem, concedaſque, ut ſicut te ſolum credimus auctorem, & veneramur Salvatorem, ſic in perpetuum, ejus interventu, habeamus adjutorem. Per Chriſtum.

DECIMO OCTAVO KALENDAS SEPTEMBRIS. ASSUMTIO S. MARIÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te in veneratione ſacrarum Virginum exſultantibus animis laudare, benedicere, & prædicare. Inter quas intemerata Dei Genitrix Virgo Maria, cujus Aſſumtionis diem celebramus, glorioſa effulſit, quæ & Unigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit, & virginitatis gloria permanente Mundo lumen æternum effudit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem &c.

DECIMO SEXTO KALENDAS SEPTEMBRIS.

OCTAVA S. LAURENTII.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus, beati Laurentii Natalitia repetentes, cui Fidem, confeſſionemque ignis paſſionis ingeſtus non abſtulit, ſed eum, ut magis luceret, accendit: quoniam ſicut aurum flammis non uritur ſed probatur; ſic beatus Martyr non conſumitur tormentorum incendiis, ſed aptatur cœleſtibus ornamentis. Per Chriſtum &c.

Item alia ejuſdem Feſtivitatis inlatio.

Vere dignum &c. æterne Deus; quoniam tanto jucunda ſunt, Domine, beati Laurentii Martyris crebrius repetita ſolemnia, quanto nobis ejus ſine ceſſatione prædicanda ſunt merita. Per Chriſtum &c.

DOMINICA DECIMAQUARTA POST PENTECOSTEN.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus. Quia tu in noſtra ſemper faciens infirmitate virtutem, Eccleſiam tuam inter adverſa creſcere tribuiſti, ut quum pu-

a Natali Sancti Laurentii adſcribit hanc Præfationem Codex Vaticanus.

b Hæc eſt tertia ex Præfationbus Codicis Vaticani *in Natali unius Martyris*.

putaretur oppressa, tunc potius prævaleret exaltata, dum simul & experientiam Fidei declarat afflictio, & victoriosissima semper perseverat te adjuvante devotio. Per Christum.

NONO KALENDAS SEPTEMB.

NATALE S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

VEre dignum &c. æterne Deus, qui Ecclesiam tuam sempiterna pietate non deseris, sed per Apostolos tuos jugiter erudis, & sine fine custodis. Per Christum &c.

SEXTO KALENDAS SEPTEMB.

NATALE S. RUFI.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui supplicationibus nostris misericordiam tuam confidimus adfuturam, quam beati Rufi poscimus interventu nobis & confessione præstari. Per Christum &c.

QUINCTO KALENDAS SEPTEMBRIS.

NATALE S. HERMETIS.

VEre dignum &c. æterne Deus; quoniam fiducialiter laudis tibi immolamus hostias, quas sancti Hermetis Martyris tui precibus tibi esse petimus acceptas. Per Christum &c.

EODEM DIE.

NATALE S. AUGUSTINI.

(a) Vere dignum &c. æterne Deus; qui beatum Augustinum Confessorem tuum & scientiæ documentis replesti, & virtutum ornamentis ditasti, quem ita multimodo genere pietatis imbuisti, ut ipse tibi & ara & sacrificium & Sacerdos esset & templum. Per Christum &c.

DOMINICA DECIMAQUINTA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus, qui nos de donis bonorum temporalium ad perceptionem provehis æternorum, & hæc tribuis, & illa largiris, & ut mansuris jam incipiamus inseri, & prætereuntibus non teneri: tuum est enim, quod vivimus; quia licet peccati vulnere natura sit vitiata, tui tamen est operis, ut terreni generati ad cœlestia transeamus. Per Christum &c.

QUARTO KALENDAS SEPT.

PASSIO S. JOHANNIS BAPTIST.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui Præcursorem Filii tui tanto munere ditasti, ut pro veritatis præconio capite plecteretur, & qui Christum aqua baptizaverat, ab ipso in spiritu baptizatus, pro eodem proprio sanguine tingeretur. Præco quippe veritatis, quæ Christus est, Herodem a fraternis thalamis prohibendo, carceris obscuritate detruditur, ubi solius divinitatis tuæ lumine frueretur, deinde capitalem sententiam subit, & ad inferna Dominum præcursurus descendit, & quem in Mundo digito demonstravit, ad inferos pretiosa morte præcessit. Et ideo &c.

KA-

b Similem habes in Codice Vaticano ad *Natale Sancti Augustini*.

KALENDIS SEPTEMBRIS.

NATALE S. PRISCÆ.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus. Qui sic tribuis, Ecclesiam tuam Sanctorum commemoratione proficere, ut eam semper illorum & festivitate lætifices, & exemplo piæ conversationis exerceas, grataque tibi supplicatione tuearis. Per Christum &c.

DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Qui æternitate Sacerdotii tui omnes tibi servientes sanctificat Sacerdotes, quoniam mortali carne circumdati, ita quotidianis peccatorum remissionibus indigemus, ut non solum pro populo, sed etiam pro nobis ejusdem te Pontificis sanguis exoret. Per quem &c.

SEXTO IDUS SEPTEMBRIS.

IN NATIVITATE S. MARIÆ.

VEre dignum &c. Nos tibi in omnium Sanctorum tuorum provectu gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & præcipue pro meritis beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare & benedicere & prædicare. Per Christum &c.

QUINCTO IDUS SEPTEMBRIS.

NATALE S. GEORGII.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus; teque in Sanctorum tuorum confessionibus laudare, in cujus facti sunt virtute victores. Quando enim humana fragilitas vel passionem æquanimiter ferre sufficeret, vel hostis aerii nequitias vinceret, nisi tuæ firmitatis subsidium ministrares, & sæva furentis inimici potenter arma contereres? Per Christum &c.

DOMINICA DECIMASEPTIMA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te incessanter precari, ut qui, te auctore, subsistimus, te dispensante, dirigamur; non nostris sensibus relinquamur, sed ad tuæ reducti semper tramitem veritatis, hæc studeamus exercere, quæ præcipis, ut possimus dona percipere, quæ promittis. Per Christum &c.

DECIMO OCTAVO KALENDAS OCTOBRIS.

IN EXALTATIONE S. CRUCIS.

Eadem inlatio dicenda, quæ & in Inventione Sanctæ Crucis. (*c*)

EODEM DIE

NATALE SANCTORUM CORNELII ET CYPRIANI.

(*d*) VEre dignum &c. æterne Deus; tuamque in Sancto-

a Hanc præfationem exaratam habes ad *Natale unius Martyris* in Codice Vaticano.

b Codex Vaticanus hanc Præfationem attribuit *Natali plurimorum Martyrum*.

c Vide supra, si lubet, *Quincto Nonas Maji*.

d Heic concordant ambo Codices.

ctorum tuorum Cornelii simul & Cypriani festivitate prædicare virtutem, quos diversis terrarum partibus greges sacros divino pane pascentes una Fide, eademque die pari nominis tui confessione coronasti. Per Christum &c.

ITEM ALIA SPECIALIS

IN FESTIVITATE S. CYPRIANI.

(a) Vere dignum &c. æterne Deus; beati Cypriani Natalitia recensentes, ut qui in conspectu tuo clarus exstitit dignitate Sacerdotii & palma Martyrii, & in præsenti seculo sua nos intercessione foveat, & ad misericordiam sempiternam pius interventor perducat. Per Christum &c.

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

(b) VEre dignum &c. æterne Deus. Quia quum laude nostra non egeas, grata tibi tamen est tuorum devotio famulorum. Nec te augent nostra præconia, sed nobis proficiunt ad salutem. Quoniam sicut fontem vitæ præterire causa moriendi est, sic eodem jugiter redundare, effectus est sine fine vivendi. Et ideo &c.

UNDECIMO KALENDAS OCTOBRIS.

NATALE SANCTI MATTHÆI EVANGELISTÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui Ecclesiam tuam in tuis fidelibus ubique pollentem Apostolicis facis constare doctrinis, præsta, quæsumus, ut per quos initium divinæ cognitionis accepit, per eos usque in finem seculi capiat regni cœlestis augmentum. Per Christ. &c.

MENSE SEPTIMO. FERIA QUARTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui nos ideo collectis terræ fructibus per abstinentiam tibi gratias agere voluisti, ut ex ipso devotionis genere nosceremus, non hæc ad exuberantiam corporalem, sed ad fragilitatis sustentationem nos percepisse; ut quod ex his parcius sumeremus, egentium proficeret alimentis, & ut salutaris castigatio mortalitatis insolentiam mitigaret, & pietas largitoris nos tuæ benignitati commendatos efficeret. Sicque donis uteremur transitoriis, ut disceremus inhiare perpetuis. Per Christum &c.

FERIA SEXTA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui justo pioque moderamine & pro peccatis flagella irrogas, & post flagella, vitam potius volens, quam mortem, non eos ad interitum condemnas, sed ut corrigantur, miseratus exspectas. Per Christum &c.

SABBATO,

IN DUODECIM LECTIONES.

VEre dignum &c. æterne Deus, & tibi sanctificare jejunia; quod nos ob ædificationem animarum & castigationem corporum servare docuisti. Quia restrictis corporibus animæ saginantur; in quo homo noster exterior affligitur, dilata-

a Similiter habet Codex Vaticanus. *Præfationum Dominicalium.*
b In Codice Vaticano hæc est postrema

latatur interior. Memento, quæsumus, Domine, jejuniorum nostrorum, & misericordiarum tuarum, quas peccatoribus pie semper jejunantibus contulisti; & præsta, ut non solum a cibis, sed a peccatis omnibus abstinentes, devotionis tibi jejunio placeamus. Per Christum &c.

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum, qui vicit Diabolum & Mundum, hominemque Paradiso restituit, & vitæ januas credentibus patefecit. Per quem &c.

QUINTO KALENDAS OCTOB.

NATALE SANCTORUM COSMÆ ET DAMIANI.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus. Et clementiam tuam suppliciter exorare, ut cum exsultantibus sanctis in cœlestis regni cubilibus gaudia nostra subjungas; & quos virtutis imitatione non possumus sequi, debitæ venerationis contingamus affectu. Per Christum &c.

TERTIO KALENDAS OCTOB.

IN FESTIVITATE S. MICHAELIS ARCHANGELI.

VEre dignum &c. æterne Deus; sancti Michaelis Archangeli merita prædicantes. Quamvis enim nobis sit omnis Angelica veneranda sublimitas, quæ in majestatis tuæ consistit conspectu: illa tamen est propensius honoranda, quæ in ejus ordinis dignitate cœlestis militiæ meruit principatum. Per Christum &c.

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te suppliciter exorare, ut sic nos bonis tuis instruas sempiternis, ut temporalibus quoque consolari digneris, sic præsentis . . . resovere, ut ad gaudia nos mansura perducas. Per Christum &c.

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui propterea jure punis errantes, & clementer resoves castigatos, ut nos a malis operibus abstrahas, & ad bona facienda convertas; quia non vis invenire quod damnes, sed esse potius quod corones. Qui, quum pro nostris meritis jugiter mereamur affligi, tu tamen judicium ad correctionem temporis non perpetuum exerces ad pœnam. Juste enim corrigis, & clementer ignoscis. In utroque verax, in utroque misericors. Qui nos ea lege disponis, ut coercendo in æternum perire non sinas, & parcendo spatium tribuas corrigendi. (*b*) Qui ideo malis præsentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas; ideo bonis temporalibus consolaris, ut de sempiternis facias certiores, quo te & in prosperis & in adversis pia semper confessione laudemus. Per Christum &c.

QUIN-

a Hæc claudit agmen Præfationum Codicis Vaticani *In Natale plurimorum Martyrum*.

b Postrema pars hujus Præfationis congruit cum ultima Præfatione Codicis Vaticani *in Letaniis pro quacumque Tribulatione*.

QUINTO KALENDAS NOVEMBRIS.

NATALE S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus. Et te in Sanctorum tuorum meritis gloriosis collaudare, benedicere, & prædicare. Qui eos dimicantes contra antiqui serpentis machinamenta & proprii corporis blandimenta, inexpugnabili virtute, Rex gloriæ, roborasti. Ex quibus beatus Lucas Evangelista tuus, assumto scuto Fidei, & galea salutis, & gladio Spiritus sancti, & viriliter contra vitiorum (*b*) hostes pugnavit, & Evangelicæ nobis dulcedinis fluenta manavit. (*c*) Unde petimus, Domine, immensam pietatem tuam, ut qui eum tot meritorum donasti prærogativis, nos ejus informes exemplis, & adjuves meritis. Per Christum &c.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

(*d*) VEre dignum &c. æterne Deus; & nos clementiam tuam suppliciter exorare, ut Filius tuus Jesus Christus Dominus noster, qui se usque in finem seculi sui promisit fidelibus adfuturum, & præsentiæ corporalis mysteriis non deserat quod redemit, & majestatis suæ beneficiis non relinquat. Per quem &c.

SEXTO KALENDAS NOVEMBR.

VIGILIA APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Quia tu es mirabilis in omnibus Sanctis tuis, quos & nominis tui confessione præclaros, & suscepta pro te fecisti passione gloriosos. Unde sicut illi jejunando, orandoque certaverunt, ut hanc possent obtinere victoriam; ita nos eorum exemplis informemur, ut ad celebranda ventura festa idonei inveniamur, & ad æterna percipienda, eorum interventu, digni judicemur. Per Christum &c.

ITEM IN DIE.

(*e*) VEre dignum &c. æterne Deus; te in tuorum Apostolorum glorificantes honore, qui & illis tribuisti beatitudinem sempiternam, & infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia, per quæ tua possimus adipisci subsidia, & pervenire ad præmia repromissa. Per Christum &c.

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

(*f*) VEre dignum &c. æterne Deus: majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut expulsis azimis vetustatis illius Agni cibo satiemur & poculo, qui & nostram imaginem reparavit, & suam nobis gratiam repromisit, Jesus Christus

a Hujusmodi est in Codice Vaticano Præfatio *in Natale Sancti Lucæ Evangelistæ*.

b lege: *vitiorum sectatores*, vel *vitiosos hostes*.

c Quæ heic supersunt, addita leguntur in Othoboniano, & in Vaticano Codice desiderantur.

d Codex Vaticanus hanc eamdem Præfationem assignat *Diei Dominicæ post Ascensionem Domini*.

e Hæc Præfatio recensetur a Codice Vaticano *in Natale plurimorum Apostolorum*.

f In eodem Codice hæc Præfatio concludit seriem earum, quæ *in Pascha* recitandæ sunt.

ſtus Dominus noſter. Per quem &c.

DOMINICA VIGESIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem ſanctum & benedictum nomen Majeſtatis tuæ ubique veneratur, adoratur, prædicatur & colitur; qui eſt origo ſalutis, via virtutis, & tuæ propitiatio majeſtatis. Per quem.

QUINTO IDUS NOVEMBRIS.

NATALE SANCTORUM QUATUOR CORONATORUM.

VEre dignum &c. æterne Deus, celebrantes Sanctorum Natalitia Coronatorum, quia dum tui nominis per eos gloriam frequentamus, in noſtræ Fidei augmento ſuccreſcimus. Per Chriſtum &c.

TERTIO IDUS NOVEMBRIS.

NATALE S. MARTINI CONFESORIS.

VEre dignum &c. æterne Deus. Cujus munere beatus Martinus Confeſſor pariter & Sacerdos, & bonorum operum incrementis excrevit, & variis virtutum donis exuberavit, & miraculis coruſcavit. Qui quod verbis edocuit, operum exhibitione complevit, & documento ſimul & exemplo ſubditis ad cœleſtia regna pergendi ducatum præbuit. Unde tuam clementiam petimus, ut ejus, qui tibi placuit, exemplis, ad bene agendum informemur, meritis muniamur, interceſſionibus adjuvemur, qualiter ad cœleſte Regnum, illo interveniente, te opitulante, pervenire mereamur. Per Chriſtum &c.

DOMINICA VIGEMASEXTA POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus; & tibi debitas laudes pio honore deferre, & mirabilium tuorum inenarrabilia præconia devotæ mentis veneratione celebrare, teque ineffabilem atque inviſibilem Deum laudare, benedicere, adorare. Per Chriſtum &c.

DOMINICA VIGESIMASEPT. POST PENTECOSTEN.

VEre dignum &c. æterne Deus. Cujus operis eſt, quod conditi ſumus; muneris, quod vivimus; pietatis, quod tua erga nos dona cognoſcimus. Quamvis enim natura noſtra peccati vitiata ſit vulnere, a terrenis tamen ad cœleſtia provehitur tuo inenarrabili munere. Per Chriſtum &c.

UNDECIMO KALENDAS DECEMBRIS.

VIGILIA SANCTÆ CÆCILIÆ.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et te, beatæ Cæciliæ Natalitia præveniendo, laudare, benedicere, & prædicare; quam tanto munere ſublimaſti, ut ei conferres & virginitatis coronam & martyrii palmam; ſicque virtute Fidei & decore pudicitiæ polleret, ut cœleſtia regna Virgo pariter & Martyr intraret. Per Chriſtum &c.

IN DIE.

VEre dignum &c. æterne Deus, qui in infirmitate virtutem perficis, & humani generis inimicum non ſolum per viros, ſed etiam per fœminas vincis. Cujus munere beata Cæcilia & in virginitatis propo-

ſito

ſito & in confeſſione Fidei roboratur, ut nec ætatis lubrico ab intentione mutetur, nec ſexus fragilitate deterreatur, nec tormentorum immanitate vincatur, ſed ſervando corporis ac mentis integritatem cum virginitatis & martyrii palma æternam mereatur adipiſci beatitudinem. Per Chriſtum &c.

NONO KALENDAS DECEMBRIS.

NATALE SANCTI CLEMENTIS.

VEre dignum &c. æterne Deus; & in hac die, quam beati Clementis paſſio conſecravit, & nobis venerabilem exhibuit, quia Apoſtolica prædicatione imbutus, doctrinis cœleſtibus educatus, ſucceſſionis dignitate conſpicuus, & Martyr inſignis & Sacerdos refulſit egregius. Per Chriſtum &c.

OCTAVO KALENDAS DECEMRBIS.

NATALE SANCTI CHRYSOGONI.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus; qui nos aſſiduis Martyrum paſſionibus conſolaris, & eorum ſanguinem triumphalem, quem pro confeſſione nominis tui infidelibus præbuere fundendum, ad tuorum facis auxilium tranſire fidelium. Per Chriſtum &c.

DOMINICA QUINCTA ANTE NATALE DOMINI.

VEre dignum &c. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus primi Adventus myſterium ita nos facias dignis laudibus & officiis celebrare, præſentemque vitam inculpabilem ducere, ut ſecundum valeamus interriti exſpectare. Per quem majeſtatem &c.

TERTIO KALENDAS DECEMB. NATALE S. SATURNINI.

VEre dignum &c. per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus gratia beatum Saturninum in Sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perſeverandum confirmavit, ut per Sacerdotalem infulam perveniret ad martyrii palmam; docenſque ſubditos prædicando, inſtruens vivendi exemplo, confirmans patiendo, ut ad te coronandus perveniret, qui perſequutorum minas intrepidus ſuperaſſet. Cujus interventu nos, quæſumus, a noſtris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogativis. Per quem &c.

EODEM DIE

VIGILIA S. ANDREÆ APOST.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus, & majeſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut qui beati Andreæ Apoſtoli tui feſtum ſolemnibus jejuniis & devotis prævenimus officiis, illius apud majeſtatem tuam & adjuvemur meritis, & inſtruamur exemplis. Per Chriſtum &c.

IN DIE.

VEre dignum &c. æterne Deus: Quoniam adeſt nobis dies magnifici votiva myſterii, qua venerandus Andreas Apoſtolus germanum ſe glorioſi Apoſtoli tui Petri tam prædicatione Chriſti tui, quam converſatione monſtravi. Ut id, quod

a In claſſe Præfationum *in Natale plurimorum Martyrum* hanc poſuit Codex Vaticanus.

b Hanc præfationem Codex Vaticanus ſuppeditat *in Vigilia unius Apoſtoli*.

quod libera prædicaverat voce, nec pendens taceret in Cruce, Auctoremque vitæ perennis tam in hac vita sequi, quam in mortis genere meruit imitari. Ut cujus præcepto terrena in semetipso crucifixerat desideria, ejus exemplo ipse patibulo figeretur. Utrique igitur germani piscatores, ambo Cruce elevantur ad cœlum, ut quos in hujus vitæ cursu gratia tua tot vinculis pietatis obstrinxerat, hos immarcescibilis in regno cœlorum necteret & corona; & quibus erat una causa certaminis, una retributio esset & præmii. Per Christum &c.

DOMINICA QUARTA ANTE NATALE DOMINI.

(a) VEre dignum &c. æterne Deus. Cui proprium est ac singulare, quod bonus es, & nulla unquam a te es commutatione diversus: propitiare, quæsumus, supplicationibus nostris, & Ecclesiæ tuæ misericordiam tuam, quam deprecatur, ostende, manifestans plebi tuæ Unigeniti tui & Incarnationis mysterium, & Adventus mirabile Sacramentum; ut in universitate nationum constet esse perfectum, quod Vatum oraculis fuit ante promissum, percipiantque dignitatem adoptionis, quos exornat confessio veritatis. Per quem &c.

IN ADVENTU DOMINI QUOTIDIANIS DIEBUS.

VEre dignum &c. æterne Deus, & majestatem tuam humiliter exposcere, ut ita nos Unigeniti tui in præsenti seculo illustret respectus, qualiter nos culpis omnibus emendatos inveniat secundus ejus Adventus. Per quem &c.

Alia.

Vere dignum &c. æterne Deus, & immensam pietatem tuam indefessis precibus exorare, ut Unigenitus tuus semper maneat in cordibus nostris, qui nasci dignatus est de utero Virginis Matris, faciatque idoneos ad celebranda Natalis sui festa, & ad percipienda gaudia sempiterna. Per quem &c.

Alia.

Vere dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Qui ab antiquis Patribus exspectatus, ab Angelo nuntiatus, a virginitate conceptus, in fine seculorum hominibus est præsentatus. Qui appropinquante Nativitatis suæ festo, ita, quæsumus, sit nobis placatus, qualiter tecum & cum Spiritu tuo ad nos veniat, nobiscum perpetim permansurus. Per quem &c.

DOMINICA TERTIA ANTE NATALE DOMINI.

VEre dignum &c. æterne Deus: Qui tuo inenarrabili munere præstitisti, ut natura humana ad similitudinem tui condita, dissimilis per peccatum & mortem effecta, nequaquam in æterna damnatione periret, sed unde peccatum mortem contraxerat, inde vitam tua pietas immensa repararet, & antiquæ Virginis facinus nova & intemerata Virgo Maria piaret, quæ ab Angelo salutata, a Spiritu sancto obumbrata, illum gignere meruit, qui cuncta nasci suo nutu concessit. Quæ mirabatur & corporis integritatem, & conceptus fœcunditatem, gaudebatque suum paritura parentem, Jesum Christum &c.

DO-

a Hæc tribuitur ab eodem Codice *Adventui Domini*. Ita quoque alia Præfatio, quæ heic sequitur.

DOMINICA SECUNDA ANTE NATALE DOMINI.

VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Cujus Incarnatione salus facta est mundi, & Passione redemtio procurata est hominis procreati. Ipse nos, quæsumus, ad æternum perducat præmium, qui redemit de tenebris infernorum, justificetque in Adventu secundo, qui nos redemit in primo; quatenus illius nos a malis omnibus defendat sublimitas, cujus nos ad vitam erexit humilitas. Per quem &c.

MENSE DECIMO.

FERIA QUARTA.

(*a*) VEre dignum &c. Per Christum Dominum nostrum. Quem pro salute hominum nasciturum Gabriel Archangelus nuntiavit, Virgo Maria Spiritus Sancti cooperatione concepit; ut quod Angelica nuntiavit sublimitas, Virginea crederet puritas, ineffabilis perficeret Deitas. Illius itaque optamus, te opitulante, cernere faciem sine confusione, cujus Incarnationis gaudemus solemnitate; quatenus purificati jejuniis, cunctis purgati a vitiis, Natalis ejus interesse mereamur solemnibus festis. Per quem &c.

FERIA SEXTA.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus. Qui sanctificator & institutor es abstinentiæ, cujus nullus finis, nullusque est numerus: effunde super nos, quæsumus, in diebus jejuniorum nostrorum spiritum gratiæ salutaris, & ab omnibus nos perturbationibus seculi hujus tua defensione conserva; ut qui Unigeniti tui celebramus Adventum, continuum ejus sentiamus auxilium. Per quem &c.

SABBATO

IN DUODECIM LECTIONES.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam justificas peccatores, & reis non tantum pœnas relaxas, sed dona largiris & præmia. Cujus nos pietatem supplices exoramus, ut qui jejuniis & votis solemnibus Nativitatem Unigeniti tui prævenimus, illius dono & præsentis vitæ perturbationibus careamus, & æterna munera capiamus. Per quem &c.

DOMINICA PRIMA

ANTE NATALE DOMINI.

VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Quem Johannes præcessit nascendo, & in desertis eremi prædicando, & in fluentis Jordanicis baptizando, & ad inferna descendendo. Cujus venerandæ Nativitatis proxime ventura solemnitas ita nos, quæsumus, tibi placitos reddat, ut cum fructu bonorum operum ad regna cœlestia introducat. Ut parando in cordibus nostris viam Domino, fructusque dignos pœnitentiæ faciendo, per prædicationem Johannis, obtemperemus monitis nostri Salvatoris, sicque perveniamus per Filium sterilis ad Filium Virginis, per Johannem hominem magnum ad eumdem Dominum nostrum Hominem Deum; qui

a Heic cum Othoboniano convenit Codex Vaticanus.

b Sub rubrica *de Jejunio Mensis Quarti, vel Septimi* occurrit in Vaticano Codice hæc Præfatio.

qui ſicut venit ad nos redimendum occultus, ita juſtificet, quum ad judicandum venerit manifeſtus. Per quem &c.

UNDECIMO KALENDAS JANUARII.

NATALE S. THOMÆ.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus. Qui Eccleſiam tuam in Apoſtolicis tribuiſti conſiſtere fundamentis; de quorum Collegio beati Thomæ Apoſtoli tui ſolemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non tacemus. Et ideo &c.

IN VIGILIA UNIUS MARTYRIS.

VEre dignum &c. æterne Deus. Et glorioſi illius Martyris pia certamina venerando prævenire, cujus honorabilis annua recurſione ſolemnitas & perpetua ſemper & nova eſt; quia & in conſpectu tuæ Majeſtatis permanet mors tuorum pretioſa juſtorum, & reſtauras incrementa juſtitiæ, quum felicitatis æternæ recoluntur exordia. Per Chriſtum Dominum &c.

IN NATALE UNIUS MARTYRIS.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus. Et in præſenti feſtivitate ſancti martyris tui (*illius*) tibi confitendo, laudis hoſtias immolare, tuamque immenſam pietatem implorare, ut ſicut illi dediſti cœleſtis palmam triumphi, ſic, eo ſuffragante, nobis emundationem ac veniam concedas peccati; ut in te exſultemus in miſericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per Chriſtum.

Alia.

Vere dignum &c. æterne Deus; & te in omnium martyrum tuorum triumphis laudare; quoniam tuis donis atque muneribus, beati martyris tui (*illius*) paſſionem hodierna ſolemnitate veneramur, qui pro confeſſione Jeſu Chriſti Filii tui Domini noſtri diverſa ſupplicia ſuſtinuit, & eadem vincens, coronam perpetuitatis promeruit. Per Chriſtum &c.

IN NATALE PLURIMORUM MARTYRUM.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui ſanctorum martyrum tuorum pia certamina ad copioſam perducis victoriam, atque perpetuum eis largiris triumphum, ut Eccleſiæ tuæ ſemper ſint in exemplum: præſta nobis, quæſumus, ut per eorum interceſſionem, quorum feſta celebramus, pietatis tuæ munera capiamus. Per Chriſtum &c.

IN NATALE UNIUS CONFESSORIS.

(*c*) VEre dignum &c. æterne Deus. Et in hac die, quam tranſitu ſacro beati Confeſſoris tui (*illius*) conſecraſti. Quæſumus ergo clementiam tuam, ut des nobis illam ſequi doctrinam, quam ille & verbo docuit, & opere complevit; quatenus nos adjuvari apud miſericordiam tuam & exemplis ejus ſentiamus & meritis. Per Chriſtum &c.

Alia.

Vere dignum &c. æterne Deus. Et te in Sanctorum tuorum virtute laudare, quibus pro meritis ſuis beatitudinis præmia contuliſti, quoniam ſemper in manu tua ſunt, & non

Rr 2

a Vaticanus habet *in Die unius Apoſtoli ad Miſſam.*

b Poſtrema hæc eſt Præfationum Codicis Vaticani *in natale unius Martyris.*

c Hæc nihil differt a Præfatione *in Natale Confeſſorum* in Codice Vaticano.

non tanget illos tormentum mortis, quos, te custodiente, beatitudinis sinus intercludit, ubi perpetua semper exsultatione lætantur; ubi etiam beatus summus Confessor tuus ille sociatus exsultat (*a*). Petimus ergo ut memor sit miseriarum nostrarum, & de tua misericordia nobis impetret beatitudinis suæ consortium. Per Christum &c.

IN NATALE PLURIMORUM CONFESSORUM.

(*b*) VEre dignum &c. & majestatem tuam supplici devotione exorare, ut beatorum Confessorum tuorum (*illorum*) quorum hodie festa celebramus, obtentu mereamur tuum obtinere auxilium. Per Christum &c.

IN NATALE UNIUS VIRGINIS.

VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Quem beata Virgo pariter & Martyr (*illa*) & diligendo timuit, & timendo dilexit; illique conjuncta est moriendo, cui se consecraverat caste vivendo; & pro eo temporalem studuit sustinere pœnam, ut ab eo perciperet gloriam sempiternam. Quæ dum duplicem vult sumere palmam in sacri certaminis agone, & de corporis integritate, & de fidei puritate laboriosius duxit longa antiqui hostis sustinere tentamenta, quam vitam præsentem cito amittere per tormenta. Quoniam quum in martyrio proponantur ea, quæ terreant, in carnis vero delectamentis ea, quæ mulceant, molestius sustinetur hostis occultus, quam superetur infestus. Quum ergo in utroque tui sit muneris, quod vicit, quia nihil valet humana fragilitas, nisi tua hanc adjuvet pietas: pro nobis, quæsumus, tuam pietatem exoret, quæ a te accepit, ut vinceret, & quæ Unigeniti tui intrare meruit thalamum, intercessione sua, inter Mundi hujus adversa nobis præstet auxilium. Per quem majestatem &c.

IN NATALE VIRGINUM.

VEre dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Pro cujus caritatis ardore istæ, & omnes sanctæ Virgines a beata Maria exemplum Virginitatis accipientes, præsentis seculi voluptates ac delicias contemserunt (*c*). Quoniam tuo dono actum est, ut postquam Virgo de Virgine prodiit, sexus fragilis esset fortis, & in quo fuit peccandi facilitas, esset vincendi felicitas, antiquusque hostis, qui per antiquam Virginem genus humanum se vicisse gloriabatur, per sanctas nunc Virgines, sequaces potius Mariæ, quam Evæ, vincatur, & in eo major confusio crescat, quod de eo etiam sexus fragilis jam triumphat. Quapropter immensam pietatem tuam humiliter exposcimus, ut per earum intercessionem, quæ & sexum vicerunt & seculum, tibique placuerunt & virginitatis decore, & passionis suæ vigore, nos mereamur, & invisibilem hostem superare, & Unigenito tuo Domino nostro adhærere. Per quem &c.

MISSA VOTIVA PRO REGE.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui es fons immarcescibilis lucis & origo perpetuæ bonitatis, Re-

a Hucusque concordant ambo Codices. Reliquum, quod superest, additamentum est Codicis Othoboniani.

b Hæc Præfatiuncula consonat cum alia Codicis Vaticani *in Natale Confessorum*.

c Insertam heic vides integram Codicis Vaticani *de pluribus Virginibus* Præfationem, quæ incipit *Quoniam tuo dono*, ac desinit *fragilis jam triumphat*.

Regum consecrator, honorum omnium adtributor, dignitatumque largitor. Cujus ineffabilem clementiam votis omnibus exoramus, ut famulum tuum (*illum*), quem Regalis dignitatis fastigio voluisti sublimari, sapientia, cæterarumque virtutum ornamentis facias decorari. Et quia, quod tui est muneris, quod regnat, tuæ sit pietatis, quod feliciter agat, quatenus in fundamento Spei, Fidei, Caritatisque fundatus, peccatorum labe absterfus, de visibilibus & invisibilibus hostibus triumphator effectus, subjecti Populi augmento, prosperitate & securitate exhilaratus, cum eis mutua dilectione connexus, & transitorii Regni gubernacula inculpabiliter teneat, & ad æterna infinita gaudia te miserante perveniat. Per Christum &c.

PRÆFATIO PRO REGE, TEMPORE SYNODI DICENDA.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui es fons vitæ, origo luminis, & auctor totius bonitatis, & majestatem tuam totis nisibus implorare, ut famulo tuo (*illi*), cui concessisti regendi Populi curam, tribuas id secundum tuam voluntatem exsequendi efficaciam; & quibus tuo dono imperat, eis tua opitulatione fultus salubriter prosit, ut pariter ab omnibus vitæ periculis exuti, & virtutum spiritalium ornamentis induti, Spei, Fidei, Caritatisque gemmis ornati, & Mundi cursus pacifico eis tuo ordine dirigatur, & in sanctis operibus, te auxiliante perseverent, beatorumque Spirituum coheredes effici mereantur. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum &c. æterne Deus, tuamque immensam clementiam devotis mentibus & immensis precibus implorare, ut qui diversitatem gentium unius sacræ Fidei confessione Paracliti Spiritus dono voluisti congregare, congregatam Cleri ac Populi multitudinem una cum prælato Principe jubeas conservari; idque in hoc Conventu, te opitulante deliberent, quod nequaquam a tua voluntate discordet; quatenus tuis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, & in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & æternorum civium consortia adipisci mereantur. Per Christum &c.

IN MISSA VOTIVA.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus. Cujus omnipotentia deprecanda est, misericordia exoranda, pietas amplectenda: cujus majestatem humili prece deposcimus; ut famulo tuo (*illi*), intercedente Sancto tuo (*illo*), remissionem peccatorum tribuas, eique viam in voluntate tua dirigas, eumque a cunctis malis eripias; quatenus a cunctis adversitatibus liberatus, intus bonis confirmatus, & ad bonorum desideriorum vota perveniat, & quæ juste postulat, te largiente, percipiat. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum &c. æterne Deus. Et pietatem tuam supplici devotione exposcere, ut hæc oblatio, quam tibi pro famulo tuo (*illo*) offerimus, sit in oculis tuis accepta, ut sicut Sanctos tuos Fides recta provexit ad coronam, ita eum devotio perducat ad veniam; qualiter hac oblatione placatus a cunctis eum emundes sordibus delictorum, & dites fructu operum bonorum. Per Christum &c.

Alia.

a Habes consimilem huic in Codice Vaticano.

Alia.

Vere dignum &c. æterne Deus; implorantes tuæ majestatis misericordiam, ut famulo tuo (*illi*) veniam suorum largiri digneris peccatorum, ut ab omnibus inimici vinculis liberatus, tuis toto corde inhæreat mandatis, & te solum semper tota virtute diligat, & ad tuæ quandoque beatitudinis visionem pervenire mereatur. Per Christum &c.

IN MISSA PRO FAMILIARIBUS.

(*a*) VEre dignum &c. æterne Deus, clementiam tuam pronis mentibus obsecrantes, ut famulos tuos, quos sanctæ dilectionis nobis familiaritate conjunxisti, tibi facias toto corde servire, ut tuæ caritatis spiritu repleti, a terrenis mundentur cupiditatibus, & cœlesti beatitudine, te donante, digni efficiantur. Per Christum &c.

PRO ITER AGENTIBUS.

VEre dignum &c. æterne Deus, a quo deviare, mori, coram quo ambulare, vivere est. Qui fideles tuos in tua via deducis, & miseratione gratissima inducis. Qui Abraham, Isaac, & Jacob, in præsentis viæ, & vitæ curriculo custos, dux, & comes esse voluisti, & famulo tuo Tobiæ Angelum prævium præstitisti. Cujus immensam clementiam humillimis precibus imploramus, ut iter famuli tui (*illius*) cum suis in prosperitate dirigere, eumque inter viæ & vitæ hujus varietates digneris custodire; quatenus Angelorum tuorum præsidio fultus, intercessione quoque Sanctorum munitus, a cunctis adversitatibus tua miseratione defensus, profectionis & reversionis suæ felicitate potitus, & compos reddatur justorum votorum, & de suorum lætetur remissione peccatorum. Per Christum &c.

IN TEMPORE BELLI.

(*b*) VEre dignum &c. æterne Deus. Te toto corde prostrati suppliciter exorantes, ut & præteritorum nobis concedas veniam delictorum, & ab omni mortalitatis incursu continua nos miseratione protegas; quia tunc defensionem tuam non diffidimus affuturam, quum a nobis ea, quibus te offendimus, dignanter expuleris. Per Christum &c.

Alia.

(*c*) Vere dignum &c. æterne Deus. Qui subjectas tibi glorificas potestates: suscipe, quæsumus, preces nostras, & vires adde Principibus nostris, ut qui se dextera tua expetunt protegi, nulla possint adversitate superari. Fidelem quoque populum potentiæ tuæ muniat invicta defensio, ut pio semper tibi devotus affectu, & ab infestis liberemur inimicis, & in tua jugiter gratia perseveret. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum &c. æterne Deus. Sub cujus potestatis arbitrio omnium Regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut Principibus nostris propitius adesse digneris; ut qui tua expetunt se protectione defendi, omnibus sint hostibus fortiores. Per Christum &c.

IN

a In Codice Vaticano hæc est secunda Præfationum dicendarum *in Missa Votiva*.

b Prima hæc est Præfationum ejusdem Codicis sub rubrica *in Letaniis pro quacumque Tribulatione*.

c Unicam hanc Præfationem *tempore belli* proponit Codex Vaticanus.

IN MISSA PRO QUACUMQUE TRIBUL.

(*a*) Vere dignum &c. æterne Deus, qui fragilitatem nostram non solum misericorditer donis temporalibus consolaris, ut nos ad æterna provehas, sed etiam ipsis adversitatibus seculi benignus erudis, ut ad cœlestia regna perducas. Per Christum &c.

PRO PESTE ANIMALIUM.

Vere dignum &c. æterne Deus. Qui ideo malis præsentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas, ideo bonis temporalibus consolaris, ut sempiternis efficias certiores, quo te & in prosperis & in adversis pia semper confessione laudemus. Per Christum &c.

PRO INFIRMIS.

(*b*) Vere dignum &c. æterne Deus. Qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant, potenter ostendens, quod sit pietatis tuæ præclara salvatio, dum præstas, ut operetur nobis etiam ipsa infirmitas salutem. Per Christum &c.

UNIUS DEFUNCTI.

Vere dignum &c. æterne Deus. Quoniam, quamvis humano generi mortis illata conditio pectora nostra contristet, tamen clementiæ tuæ dono spe futuræ immortalitatis erigimur, ac memores salutis æternæ non timemus, lucis hujus sustinere jacturam, quoniam beneficio gratiæ tuæ fidelibus vita non tollitur, sed mutatur; atque animæ corporeo ergastulo liberatæ, horrent mortalia, dum immortalia consequuntur. Unde, quæsumus, ut famulus tuus (*ille*) beatorum tabernaculis constitutus, evasisse se carnales glorietur angustias, diemque judicii cum fiducia voto glorificationis exspectet. Per Christum &c.

Alia.

Vere dignum &c. per Christum Dominum nostrum. In cujus adventu quum geminam jusseris consistere plebem, jubeas famulum tuum illum a numero discernere malorum, quem tribuas evadere flammas pœnæ æternæ, & justæ potius adipisci præmia vitæ, induique jubeas devicta morte vigorem (*c*) semper inextinctam habere luminis auram, dignare, perpetuam præclaro in corpore vitam; nox ubi nulla suas defendit atra tenebras, securus de salute placidis lætetur in horis, semper victurus, semperque in luce futurus. Per quem &c.

IN DIE DEPOSITIONIS DEFUNCTI TERTIO, & SEPTIMO, & TRIGESIMO.

(*d*) Vere dignum &c. per Christum Dominum nostrum. Per quem salus Mundi, per quem vita hominum, per quem resurrectio Mortuorum. Per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui (*illius*), cujus diem (*illum*) celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque contagiis mortalitatis exutam, in æterna salvationis parte restituas. Per quem &c.

PLU-

a Secunda hæc est Præfationum ejusdem Codicis *pro quacumque Tribulatione*.

b Eisdem formulis legitur in Vaticano Codice hæc Præfatio.

c Heic immixtum quidpiam metrici gustus jam sentis, præsertim vero versus, quos solemus Leoninos appellare.

d In Codice Vaticano titulus hujus Præfationis est *Pro uno Defuncto*.

PLURIMORUM DEFUNCTOR.

VEre dignum &c. æterne Deus. Qui es redemtor animarum ſanctarum. Quamvis enim mortis humano generi illata conditio pectora humana menteſque contriſtet, tamen clementiæ tuæ dono, ſpe futuræ immortalitatis erigimur, & memores ſalutis noſtræ non timemus lucis hujus ſubire diſpendium; (*a*) quia miſericordiæ tuæ munere fidelibus vita mutatur, non tollitur, & in timoris tui obſervatione domicilium perpetuæ felicitatis acquiritur. Tibi igitur, clementiſſime Pater, preces ſupplices fundimus, & majeſtatem tuam devotis mentibus exoramus, ut Animæ famulorum famularumque tuarum, quorum diem commemorationis celebramus, mortis vinculis abſolutæ, tranſitum mereantur ad vitam, & in ovium tibi placitarum benedictionem æternam numerentur ad regnum. Per Chriſtum &c.

Alia.

Vere dignum &c. per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus ſacram Paſſionem pro immortalibus & bene quieſcentibus animabus ſine dubio celebramus, pro iis præcipue, quibus ſecundæ nativitatis gratiam præſtitiſti, quo exemplo Jeſu Chriſti Domini noſtri cœperunt eſſe de reſurrectione ſecuri. Quippe qui feciſti, quæ non erant, potes reparare, quæ fuerant, & reſurrectionis futuræ nobis documenta non ſolum per Propheticam & Apoſtolicam doctrinam, ſed ejuſdem Unigeniti tui Redemtoris noſtris reſurrectionem dediſti, ut quod per Prophetas eſt nuntiatum, per Apoſtolos traditum, ipſius Reſurrectionis exemplo ſit firmatum. Per quem &c.

a Heic inſertam legis Præfationem Codicis Vaticani *Pro pluribus Defunctis*.

Expliciunt Præfationes.

BENEDICTIO EPISCOPORUM.

(113) (113) ADesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, & quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum &c.

Alia.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, in eo (*a*) effunde virtutem. Per Dominum &c.

CONSECRATIO.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur Ordinibus, Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet sequutura posteritas. Ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, quum & apud Veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est; & Pontificalem gloriam non jam nobis honos commendat Vestium, sed splendor Animarum, quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipsis erant intelligenda, poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. Comple in Sacerdote tuo mysterii (*b*) tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum cœlestis unguenti flore sanctifica. (*c*) Hoc, Domine, copiose in ejus caput influat. (*d*) Hoc in oris subjecta decurrat. (*e*) Hoc in totius Corporis extrema descendat; ut tui Spiritus virtus & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia Fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Tribuas ei Cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam & plebem universam. Sis ei auctoritas, sis ei firmitas, sis (*f*) potestas. Multiplices super eum benedictionem (*g*) & gratiam tuam, ut ad exorandam misericordiam tuam tuo munere semper idoneus, tua gratiæ possit esse devotus. Per Dominum (*h*)

Super oblata.

Hæc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, & (*i*) Sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per &c.

Præfatio.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ,

a *Codex Othobonianus*: funde.
b ministerii tui.
c sanctifica. ✠ Hoc, Domine.
d influat. ✠ Hoc in oris.
e decurrat. ✠ Hoc in totius.
f sis ei potestas.
g benedictionem ✠ & gratiam.
h Per Dominum nostrum.
i & ad sacrificium.

tuæ, quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo (*illo*) quem ad Episcopatus Ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consequutus est, divinis effectibus exsequatur; diesque nostros &c.

Ad Communionem (a)

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cœlesti remedii faciat esse consortes. Per &c.

ORATIO

AD ORDINANDUM PRESBYTERUM.

ORemus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit & regnat Deus.

Alia.

Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, & super hunc famulum tuum benedictionem Sancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandum, perpetua muneris tui largitate consequaris. Per Dominum.

CONSECRATIO.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum auctor, & distributor omnium dignitatum, per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum; unde & Sacerdotales gradus; atque officia Levitarum, sacramentis mysticis instituta creverunt, ut quum Pontifices summos regendis Populis præfecisses, ad eorum societatis & operis adjumentum sequentis Ordinis Viros (*b*) secundæ dignitatis eligeres. Sic in heremo per septuaginta Virorum prudentium mentem (*c*) Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in Populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro & Ithamar paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares, & frequentioris officii Sacramenta, ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia (*d*), Domine, Apostolis Filii tui Doctores Fidei comites addidisti, quibus illi Orbem totum secundis Prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, hæc adjumenta largire, qui quanto magis fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus (*e*), Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem; innova in visceribus ejus spiritum sanctitatis. Acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuet. Sit probus cooperator Ordinis nostri. Eluceat in eo totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ redditurus æternæ beatitudinis præmia consequatur. Per &c.

ORATIO

AD ORDINANDUM DIACONUM.

ORemus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super

a Ad complendum.
b Viros, & secundæ,
c mentes

d Hanc providentiam, Domine: *sed rectius in Vaticano Codice.*
e quæsumus, Domine, sancte Pater,

per hunc famulum suum, quem (a) in sacrum Ordinem dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eique donum consecrationis indulgeat, per quod eum ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit.

Alia.

Exaudi, Domine, preces nostras, & super hunc famulum tuum, spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditatus & tuæ gratiam possit Majestatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per &c.

CONSECRATIO.

Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, honorum dator, Ordinum distributor, officiorumque dispositor: qui in te manens innovas omnia & cuncta disponis; per Verbum (b), Virtutem, Sapientiamque tuam Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum sempiterna providentia præparas, & singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus Ecclesiam tuam cœlestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam districtione (c) membrorum per legem mirabilem totius compagis unitam in augmentum Templi tui crescere, dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus Ministrorum Nomini tuo militare constituens. Electis ab initio Levi filiis, qui mysticis operationibus Domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hereditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent: super hunc quoque famulum tuum, quæsumus, Domine, placatus intende, quem tuis Sacrariis serviturum in officium Diaconii suppliciter dedicamus. Et nos quidem, tamquam homines divini sensus & summæ rationis ignari, hujus vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, ea, quæ nobis sunt ignota, non transeunt, Te occulta non fallunt; Tu cognitor secretorum, Tu scrutator es cordium, Tu ejus vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, & (d) ammissa purgare, & ea, quæ sunt agenda, concedere. Emitte in eum, Domine, quæsumus, Spiritum Sanctum, quo in opus Ministerii fideliter exsequendi, septiformis gratiæ munere roboretur. Abundet in eo totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & spiritalis observatio disciplinæ. In moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sancta plebs acquirat; & bonum conscientiæ testimonium proferens, in Christo firmus & stabilis perseveret, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora (e) mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.

a quem ad sacrum Ordinem.
b Verbum, Veritatem, Sapientiamque.
c discretione membrorum.
d & admissa purgare,
e potiora mereatur. Per Dominum nostrum &c.

EX Codice Othoboniano desumtæ
(114) sunt subsequentes Benedictiones.
(114)

(*a*) BENEDICTIO

IN VIGILIA NATALIS DOMIN.

OMnipotens Deus, qui Incarnatione Unigeniti sui, Mundi tenebras effugavit, & ejus gloriosa Nativitate hanc sacratissimam noctem irradiavit: effuget a vobis tenebras vitiorum, & irradiet corda vestra luce virtutum. Amen. Quique ejus sacratissimæ Nativitatis gaudium pastoribus ab Angelo voluit nuntiari: ipse super vos gratissimum benedictionis suæ imbrem infundat, atque ipso Pastore vos ad æternorum gaudiorum pascua æterna perducat. Amen. Et qui per ejus Incarnationem terrena cœlestibus sociavit, internæ pacis & bonæ voluntatis vos nectare repleat, & cœlestis militiæ consortes efficiat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus Regnum & Imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, & pax Domini sit semper vobiscum.

(*b*) BENEDICTIO IN DIE NATALIS DOMINI.

BEnedicat vos omnipotens Deus, vestramque ad supernam excitet intentionem, qui hanc sacratissimam Nativitatem Filii sui fecit esse solemnem. Amen. Et qui eum, qui Panis est Angelorum in præsepi Ecclesiæ cibum fecit esse fidelium animalium, ipse vos & in præsenti seculo degustare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, & in futuro perducat ad satietatem æternorum præmiorum. Amen. Quique ejus infantiam vilibus voluit indui pannis, ipse vos cœlestium vestimentorum induat ornamentis. Amen. Benedictio Dei &c.

(*c*) IN NATALE S. STEPHANI.

DEus, qui beatum Stephanum protomartyrem coronavit & confessione Fidei & agone martyrii, mentes vestras circumdet, & in præsenti seculo corona justitiæ, & in futuro perducat vos ad coronam gloriæ. Amen. Illius obtentu tribuat vobis Dei & proximi caritate semper exuberare, qui hanc studuit etiam inter lapidantium impetus obtinere. Amen. Quo ejus

& e.

a Benedictio hæc in Vaticano Codice desideratur; qui suam Benedictionum seriem in hæc verba orditur:

INCIPIUNT BENEDICTIONES EPISCOPALES.

Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: loquere Aaron & filiis ejus. Sic benedicetis Filiis Israel, & dicetis eis &c.

Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Amen. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Amen. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti, & pax Domini sit semper vobiscum. Et cum spiritu tuo.

b Diversa est in eodem Codice.

BENEDICTIO IN NATALE DOMINI.

Respice, omnipotens Deus, de cœlo plebem tuam, pro cujus redemtione dignatus es nasci de Virgine. Amen. Ut pietate sedula in te sit salus hominum, propter quos homo factus es, creator astrorum. Amen. Sit hæc plebs tuis præceptis obediendo, tibi amabilis, sicut est partus Virginis singularis. Amen. Ut quum tui adventus effulserit, invenias in illis, quæ recondas in horreo, pro quibus dignatus es venire de cœlo. Amen. Ipse vero benedicat de cœlis, qui causa nostræ salutis dignatus est venire in terris. Amen. Benedictio Dei Patris &c.

c Cod. Vatican. Benedictio in natale Sancti Stephani Protomartyris.

& exemplo roborati & interceſſione muniti, ab eo, quem ille a dextris Dei vidit ſtantem, mereamini benedici. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & gloriatur Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Benedictio &c.

IN NATALE S. JOHANNIS EVANGELISTÆ.

OMnipotens Deus dignetur vobis per interceſſionem beati Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ benedicere, qui per eum arcana Verbi ſui Eccleſiæ voluit revelare. Amen. Concedat vobis, ut quod ille Spiritus Sancti munere afflatus auribus infudit, ejuſdem Spiritus dono capere mente valeatis. Amen. Quo ejus documento de Divinitate noſtri Redemtoris edocti, & amando quod tradidit, & prædicando quod docuit, & exſequendo quod juſſit, ad dona pervenire mereamini, quæ idem Jeſus Chriſtus Dominus noſter repromiſit. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & gloriatur Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Benedictio Dei &c.

(*a*) IN NATALE INNOCENT.

OMnipotens Deus, pro cujus Unigeniti veneranda infantia Infantum innocentum catervas Herodis funeſti peremit ſævitia: ſuæ vobis benedictionis tribuat dona gratiſſima. Amen. Et qui eis conceſſit, ut unicum Deum Filium ejus Dominum noſtrum, non loquendo, ſed moriendo profiterentur: concedat vobis, ut Fidem veram, quam lingua veſtra fatetur, etiam mores probi, & vita inculpabilis fateatur. Amen. Quique eos primitivum fructum ſanctæ ſuæ ſuſcepit Eccleſiæ: cum fructu bonorum operum vos faciat pervenire ad gaudia æternæ pacis. Amen. Quod ipſe præſtare &c. Benedictio Dei &c.

(*b*) BENEDICTIO IN OCTAVAS DOMINI.

OMnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna die, ne Legem ſolveret, quam adimplere venerat, corporalem ſuſcepit Circumciſionem: ſpirituali circumciſione mentes veſtras ab omnibus vitiorum incentivis expurget, & ſuam in vos infundat benedictionem. Amen. Et qui Legem per Moyſen dedit, ut per Mediatorem noſtrum benedictionem daret: exuat (fort. doceat) vos mortificationem vitiorum, & faciat perſeverare in novitate virtutum. Amen. Quo ſic in ſenarii numeri perfectione in hoc ſeculo vivatis, & in ſeptenario inter beatorum Spirituum agmina requieſcatis, quatenus in octavo reſurrectione renovati jubilæi, remiſſione ditati, ad gaudia ſine fine manſura perveniatis. Amen. Quod ipſe præſtare &c.

(*a*) IN

a Deeſt hæc Benedictio in Codice Vaticano.
b Hujus item nullum veſtigium eſt in eodem Codice.

(*a*) IN THEOPHANIA.

DEus lumen verum, qui Unigenitum ſuum hodierna die, ſtella duce, gentibus voluit revelare: ſua vos dignetur benedictione ditare. Amen. Quo exemplo Magorum myſtica Domino Jeſu Chriſto munera offerentes, ſpreto antiquo hoſte, ſpretiſque contagiis vitiorum ad æternam patriam redire valeatis per viam virtutum. Amen. Detque vobis veram mentium innocentiam, qui ſuper Unigenitum ſuum Spiritum ſanctum demonſtrari voluit per columbam, eaque virtute mentes veſtræ exerceantur ad intelligenda divinæ Legis arcana, qua in Cana Galileæ lympha eſt in vinum converſa. Amen. Quod ipſe, cujus &c.

(*b*) BENEDICTIO

IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

OMnipotens Deus, qui Unigenitum ſuum hodierna die in aſſumta carne in Templo voluiſti præſentari, benedictionis ſuæ vos munere fultos bonis operibus faciat exornari. Amen. Et qui eum, ut Legem adimpleret, Miniſtrum voluit effici Legis, mentes veſtas inſtruat Legis ſuæ ſpiritalibus documentis. Amen. Quo ei & pro turturibus, caſtitatis ſeu caritatis munera offerre valeatis, & pro pullis columbarum, Spiritus ſancti donis exuberetis. Quod ipſe præſtare dignetur, cujus regnum &c.

(*c*) BENEDICTIO

IN INITIO QUADRAGESIMÆ.

BEnedicat vobis omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moyſi, & Heliæ, nec non & Mediatoris noſtri Jejunio conſecravit; concedatque vobis ita tranſigere præſentis vitæ diſpenſationem, ut accepto a patrefamilias remunerationis denario, perveniatis ad peccatorum omnium remiſſionem, & ad glorioſam cum Sanctis omnibus reſurrectionem. Amen. Detque vobis ſpiritalium virtutum victricia arma, quibus exemplo Domini devincere valeatis antiqui hoſtis ſagaciſſimi tentamenta. Amen. Quo non in ſolo pane, ſed in omni verbo, quod de ore ejus procedit, ſpiritalem ſumentes alimoniam per jejuniorum obſervationem, & cæterorum bonorum operum exhibitionem heredum. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur &c.

a Ab Othoboniana diſcors eſt Vaticani Codicis.

BENEDICTIO IN THEOPHANIA.

Deſcendat, Domine, a ſedibus tuis ſuper capita famulorum & famularum tuarum, Spiritus ſanctitatis; ille, qui in Jordane, Johanne Dominum baptizante, in columba corporaliter viſus eſt deſcendiſſe. Amen. Reple animas eorum vino juſtitiæ, qui ſermone tuo hodie aquarum ſaporem in vinum mutaſti. Amen. Qui omnium iniquitatum hujus plebis maculas purget, vitia mundet, corda ſanctificet. Amen. Infunde etiam ſuper eos ſpiritalium dona virtutum, ut nihil in eis inimicus, aut violentia ſubripiat; ſed per bonæ converſationis perſeverantiam hi, qui in adoptionem vocati ſunt filiorum, intrare in poſſeſſionem mereantur

b Hanc prætermiſis Codex Vaticanus:

c In eodem Codice ab hac Benedictione differt.

BENEDICTIO IN QUADRAGESIMA.

Benedicat vos Dominus, & cuſtodiat vos. Amen. Det vobis patientiam, quæ vos in omni tempore, præcipue in his ſanctæ Quadrageſimæ diebus ipſi commendet. Amen. Iram temperet, linguam reprimat, pacem tribuat, diſciplinam teneat. Amen. Avaritiam repellat, libidinis impetum frangat, tumoris violentiam comprimat, incentivum ſtimulatis exſtinguat. Amen. Atque vos in omni opere bono vigiles, caſtos, integros, immaculatoſque conſervet. Quod ipſe præſtare &c.

nem percipere mereamini immarcescibilem gloriæ coronam. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus &c.

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

OMnipotens Deus, Jejunii, cæterarumque virtutum dedicator atque amator, sua vos benedictione sanctificet. Amen. Accendat in vobis piæ devotionis affectum, & præbeat supplicantibus suum benignus auditum. Amen. Quatenus mentes vestræ sinceris purgatæ jejuniis, bonorum omnium exuberent incrementis. Quod ipse præstare &c.

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

OMnipotens Deus, Jejuniorum (a) nostrorum victimas clementer accipiat, & sua vos benedictione dignos efficiat. Amen. Mentes vestras ita parsimoniæ bono contra vitia muniat, præceptorum suorum doctrinis erudiat, caritatis dono repleat, ut vos in omnibus sibi placere concedat. Amen. Quatenus præsentis Quadragesimæ diebus devotissime celebratis, ad Paschalia festa purificatis cordibus accedere valeatis. Amen. Quod ipse præstare &c.

(b) DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

DEus, qui vos ad præsentium Quadragesimalium dierum medietatem dignatus est perducere: ipse vos sua miseratione dignetur benedicere. Amen. Abstinentiam vestram præteritam acceptet, futuram ita sibi placitam reddat, ut sicut ab illicitis cibis, ita vos etiam a vitiis omnibus abstinere concedat. Amen. Quo de præteritis & de futuris spiritalium charismatum frugibus ei grates persolventes, ad sanctum Pascha pervenire possitis. Amen. Quod ipse præstare &c.

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA.

ACcendat in vobis Dominus vim sui amoris, & per Jejuniorum observantiam infundat in vobis donum suæ benedictionis. Amen. Sic ei parsimoniæ victimas offeratis, ut contriti cordis & humilitatis sacrificio placeatis. Amen. Quatenus oratio vestra, Jejunii & eleemosynæ alis subvecta, ita ad aures vestri conditoris ascendat, ut vos æternæ beatitudinis heredes & supernorum civium consortes efficiat. Amen. Quod ipse &c.

(c) BENEDICTIO IN RAMIS PALMARUM.

BEnedicat vobis omnipotens Deus, cui & Jejuniorum maceratione & præsentium dierum observatione placere studetis. Amen. Concedatque vobis, ut sicut ei cum ramis Palmarum, cæterarumve frondium præsentari studuistis: ita cum palma victoriæ, & fructu bonorum operum, ei post obitum apparere valeatis. Amen. Quique Unigeniti Filii ejus Passionem puro corde creditis, mente devota venerari studetis, ad resurrectionis præmia, ipsius

a *Vatican.* vestrorum

b Frustra quæras hanc Benedictionem in Codice Vaticano, apud quem nullam habes distinctionem dierum Dominicalium in Quadragesima.

c *Hæc non legitur in Cod. Vatic.*

ipsius fulti munimine, veniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus &c.

(a) ITEM ALIA BENEDICTIO DE PASSIONE.

OMnipotens Deus, qui Unigeniti sui Passionem (b) tribuit vobis humilitatis exemplum: concedat vobis per eamdem humilitatem percipere suæ benedictionis ineffabile donum. Amen. Ipsius resurrectionis percipiamus (c) consortia, cujus patientiæ veneramini documenta. Amen. Quo ab eo sempiternæ vitæ munus percipiatis, per cujus temporalem mortem æterna (d) vos evadere creditis. Amen. Quod ipse &c.

BENEDICTIO IN COENA DOMINI.

BEnedicat vos Deus, qui per Unigeniti Filii sui Passionem vetus Pascha in novum voluit converti, concedatque vobis, ut expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perseveret conspersio. Amen. Et qui ad celebrandam Redemtoris nostri Cœnam mente devota convenitis, æternarum dapium vobiscum epulas reportetis. Amen. Ipsius quoque opitulante clementia mundemini a sordibus peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis exemplum pedes voluit lavare Discipulorum. Quod ipse &c. qui cum Patre &c.

BENEDICTIO IN SABBATO SANCTO.

DEus, qui de Ecclesiæ suæ intemerato utero novos Populos producens, eam, virginitate manente, nova semper prole fœcundat: Fidei, Spei, & Caritatis vos munere repleat, & suæ in vos benedictionis dona infundat. Amen. Et qui hanc sacratissimam noctem Redemtoris nostri Resurrectione voluit illustrare: mentes vestras, peccatorum tenebris mundatas, virtutum copiis faciat coruscare. Amen. Quo eorum, qui modo renati sunt, innocentiam imitari certetis, & vascula mentium vestrarum, exemplo præsentium luminum illustretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad hujus sponsi thalamum, cujus Resurrectionem celebratis, cum prudentibus virginibus intrare possitis. Amen. Quod ipse præstare &c.

BENEDICTIO IN DIE SANCTO PASCHÆ.

BEnedicat vos omnipotens Deus hodierna interveniente Paschali solemnitate, & ab omni miseratus dignetur defendere pravitate. Amen. Et qui ad æternam vitam in Unigeniti sui Resurrectione vos reparat, in ipsius adventu immortalitatis vos gaudiis vestiat. Amen. Et qui expletis Jejuniorum, sive Passionis Dominicæ diebus, Paschalis festi gaudia celebratis, ad ea festa, quæ non sunt annua, sed continua, ipso opitulante, exsultantibus animis veniatis. Amen. Quod ipse &c.

(a) BE-

a Idem Cod. Benedictio de Passione Domini.
b Passione tribuit.
c percipiatis consortia.
d æternam.

(a) BENEDICTIO IN OCTAVUM PASCHÆ.

DEus, cujus Unigenitus hodierna die Discipulis suis januis clausis dignatus est apparere, suæ vos benedictionis dono locupletare, & cœlestis vobis Regni januas dignetur aperire. Amen. Et qui ab eorum pectoribus, attactu sui corporis, vulnus amputavit dubietatis: concedat, ut per Fidem, qua eum resurrexisse creditis, omnium delictorum maculis careatis. Amen. Et qui eum cum Thoma Deum & Dominum creditis, & cernuis vocibus invocatis: ab eo & in hoc seculo a malis omnibus tueri, & in futuro Sanctorum cœtibus adscisci valeatis. Amen. Quod ipse &c.

BENEDICTIO DE RESURRECTIONE.

BEnedicat vos omnipotens Deus, qui vos gratuita miseratione creavit, & in Resurrectione Unigeniti sui spem vobis resurgendi concessit. Amen. Resurget (b) vos de vitiorum sepulcris, qui eum resuscitavit a mortuis. Amen. Ut cum eo sine fine feliciter vivatis, quem resurrexisse a mortuis veraciter creditis. Amen. Quod ipse præstare &c.

(c) ITEM ALIA BENEDICTIO.

DEus, qui per Resurrectionem Unigeniti sui vobis contulit & bonum redemtionis & decus adoptionis suæ: vobis conferat præmia benedictionis. Amen. Et quo redimente, percepistis donum perpetuæ libertatis: eo largiente consortes efficiamini æternæ hereditatis. Amen. Et cui consurrexistis in Baptismate credendo: adjungi mereamini in cœlesti regione bene vivendo. Amen. Quod ipse &c.

(d) BENEDICTIO DE JEJUNIO.

OMnipotens Deus devotionem nostram dignanter intendat, & suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Indulgeat vobis mala omnia, quæ gessistis, & tribuat veniam, quam ab eo deposcitis. Amen. Sicque jejunii vestri, & precum vota suscipiat, ut a vobis adversa omnia, quæ peccatorum retributione meremini, avertat, & donum in vobis Spiritus Paracliti infundat. Amen. Quod ipse præstare &c.

(e) BENEDICTIO IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

BEnedicat vos omnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna die cœ-

a *Hæc desideratur in Cod. Vatic.*

b *Idem Codex* Resuscitet vos.

c *Diversis formulis conceptum exhibet Codex Vaticanus Benedictionem hanc, inquiens:*

ITEM ALIA.

Deus majestatis immensæ, Deus pietatis ingenitæ, respice, quæsumus, super hos famulos & famulas tuas, ne ulla unquam peccatorum contagione sordescant, quos salutari lavacro spiritaliter in vitam æternam regenerare dignatus es. Amen. Sed omnibus illecebris, pravisque cupiditatibus expulsis, nihil illicitum velint, nihil turpe desiderent. Amen. Innocentiæ pariter ac patientiæ virtute subnixi, non tumescant prosperis, non frangantur adversis, nec tristia eos nec secunda commutent. Amen. Ille vos benedicat de cœlis, qui sanguinem suum pro nobis fudit in terris.

d *Hæc deest in Cod. eodem.*

e *Pro hac Codex Vaticanus habet Benedictionem sequentem:*

BENEDICTIO IN ASCENSA DOMINI.

Deus, qui tartara fregisti resurgens, aperuisti cœlos ascendens, ut Populi illuc ascenderent per Fidem, ubi te Apostoli cum gloria viderunt intrare, respice, ascendens cœlum, propter quos descendere dignatus es ad infernum. Amen. Sit eis, quod te exaltasti, protectio, quibus fuit unicum, quod te humiliasti, remedium. Amen. Ut in die Judicii non sint sinistro in numero, qui te sedere ad Patris dexteram confitentur in regno. Amen. Quod idem ipse præstare &c.

cœlorum alta penetravit, & vobis, ubi ille est, ascendendi aditum patefaciat. Amen. Concedat propitius, ut sicut post Resurrectionem suam Discipulis visus est manifestus: ita vobis in Judicium veniens videatur placatus. Amen. Et qui eum consedere Patri in sua majestate creditis, vobiscum manere usque in finem seculi secundum suam promissionem sentiatis. Amen. Quod ipse præstare &c.

(a) IN VIGILIA PENTECOST.

BEnedicat vos omnipotens Deus, ob cujus Parácliti Spiritus adventum mentes vestras jejunii observantia præparatis, & præsentem diem solemnibus laudibus honoratis. Amen. Instar modo renatorum infantium talem innocentiam habeatis, ut templum Sancti Spiritus, ipso tribuente, esse possitis. Amen. Atque idem Spiritus Sanctus ita vos hodie sua habitatione dignos efficiat, ut cras se vestris mentibus vobiscum perpetim habitaturus infundat, & peracto præsentis vitæ curriculo, vos ad cœlestia regna perducat. Amen. Quod ipse &c.

(b) BENEDICTIO IN DIE.

DEus, qui hodierna die Discipulorum mentes Spiritus Paracliti infusione dignatus es illustrare, faciat vos benedictione sua repleri, & ejusdem Spiritus donis exuberare. Amen. Ille ignis, qui super Discipulos apparuit, peccatorum vestrorum sordes expurget, & sui luminis infusione corda vestra perlustret. Amen. Quique dignatus est, diversitatem Linguarum in unius Fidei confessione adunare, in eadem vos faciat Fide perseverare, & per hanc ab spe ad speciem pervenire. Amen. Quod ipse &c.

IN NATALE S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

BEnedicat vobis omnipotens Deus beati Johannis Baptistæ intercessione, cujus hodie Natalitia celebratis, & cujus solemnia colitis, patrocinia sentiatis. Amen. Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, & bonis omnibus perfruamini; qui adventum Redemtoris Mundi, necdum natus cognovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit. Amen. Quatenus ipsius Agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redemti, ita virtutum lanis vestiri, & innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adjungi. Amen. Quod ipse &c.

(c) BENEDICTIO IN FESTIVITATE SANCTÆ CRUCIS.

BEnedicat vobis omnipotens Deus, qui per Unigeniti sui Domini nostri Jesu Christi Passionem & Crucis patibulum genus redemit humanum. Amen. Concedatque vobis, ut cum omnibus Sanctis, quæ sit ejusdem Crucis longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, mente

a *Hanc omisit Cod. Vatic.*

b *Diversimode procedit in Cod. Vaticano.*

BENEDICTIO IN PENTECOSTEN.

Deus, qui præsentem diem futuræ remissionis munere figurasti, quum gratia Sancti Spiritus inebriati Apostoli mente una loquuti sunt ore diverso: respice hanc Ecclesiam, quam ex gentibus congregandam Linguarum varietate signasti. Amen. Da consolationes inter pressuras seculi, qui nobis æqualem tibi Consolatorem misisti. Amen. Ut te propitiante, sit ipse plebi custodia, qui præbuit beatis Discipulis tunc doctrinam. Amen.

c Deest in eodem Codice.

te devota comprehendere possitis. Amen. Quatenus vosmetipsos abnegando, Crucemque gestando, ita in præsentis vitæ studio Redemtorem nostrum possitis sequi, ut ei inter choros Angelorum post obitum mereamini adsci. Amen. Quod ipse &c.

IN NATALE APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

BEnedicat vobis omnipotens Deus, qui vos beati Petri saluberrima confessione, in Ecclesiasticæ fidei fundavit soliditate. Amen. Et quos beati Pauli sanctissima instruxit prædicatione, sua tueatur gratissima defensione. Amen. Quatenus Petrus clave, Paulus sermone, utrique intercessione, ad illam vos certent patriam introducere, ad quam illi, alter cruce, alter gladio, hodierna die pervenere. Quod ipse præstare &c.

BENEDICTIO IN FESTIVITATE SANCTÆ MARIÆ.

DEus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum genus humanum dignatus est redimere: sua vos dignetur benedictione locupletare. Amen. Ejusque semper & ubique patrocinia sentiatis, ex cujus intemerato utero auctorem vitæ suscipere meruistis. Amen. Et qui ad ejus celebrandam festivitatem hodierna die devotis mentibus convenistis, spiritalium gaudiorum, & æternorum præmiorum vobiscum munera reportetis. Quod ipse &c.

(a) IN FESTIVITATE S. JOHANNIS DE MARTYRIO.

DEus, qui vos beati Johannis Baptistæ concedit solemnia frequentare, tribuat vobis, & eadem devotis mentibus celebrare, & suæ benedictionis dona percipere. Amen. Et qui pro Legis ejus præconio carceralibus est retrusus in tenebris, intercessione sua a tenebrosorum operum vos liberet incentivis. Amen. Et qui pro veritate, quæ Deus est, caput non est cunctatus amittere, suo interventu ad caput nostrum, quod Christus est, vos faciat pervenire. Amen Quod ipse &c.

BENEDICTIO IN ADVENTU DOMINI.

OMnipotens Deus, cujus Unigeniti Adventum, & præteritum creditis, & futurum exspectatis: ejusdem Adventus vos illustratione sanctificet, & sua benedictione locupletet. Amen. In præsentis vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, & se vobis in Judicio placabilem ostendat. Amen. Quo a cunctis peccatorum contagiis liberati, illius tremendi examinis diem exspectetis interriti. Amen. Quod ipse &c.

(b) *Alia.*

Omnipotens Deus vos placido vultu respiciat, & in vos suæ benedictionis donum infundat. Amen. Et qui hos dies Incarnatione Uni-

 ge-

a Benedictionis hujus nulla mentio est in Cod. Vatic.

b *In Cod. Vaticano dissimilis est Benedictio* ALIA IN ADVENTU DOMINI.

Dominus Jesus Christus, qui sacratissimo Adventu suo subvenire dignatus est Mundo: animas vestras corporaque sanctificet. Amen. Det vobis Legis suæ præcepta virtute Spiritus Sancti apprehendere, ut possitis Adventum ejus interriti præstolari. Amen. Sicque vos ab omni reatu immunes efficiat, ut quum advenerit, non in terrore discutiat, sed in gloria remunerandos assumat. Amen. Quod ipse præstare &c.

geniti sui fecit solemnes, a cunctis præsentis & futuræ vitæ adversitatibus vos reddat indemnes. Amen. Ut qui de Adventu Redemtoris nostri secundum carnem devota mente lætamini, in secundo, quum in majestate venerit, præmiis æternæ vitæ ditemini. Amen. Quod ipse &c.

BENEDICTIO

IN NATALE UNIUS APOSTOLI.

DEus, qui vos in Apostolicis tribuit consistere fundamentis: benedicere vobis dignetur beati Apoli sui (*illius*) intercedentibus meritis. Amen. Defendatque vos a cunctis adversis, Apostolicis præsidiis, qui vos eorum voluit ornari & munerari exemplis & documentis. Amen. Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ patriæ hereditatem, per quorum doctrinam tenetis Fidei integritatem. Amen. Quod ipse &c. cujus &c.

BENEDICTIO

IN NATALE UNIUS MARTYRIS.

BEati Martyris (*illius*) intercessione vos Dominus benedicat, & ab omni malo defendat. Amen. Extendat in vos dexteram suæ propitiationis, qui eum suscepit per supplicia passionis. Amen. Quo ejus in cœlo mereamini habere consortium, cujus devotis mentibus in terra celebratis triumphum. Amen. Quod ipse præstare dignetur &c.

IN NATALE PLURIMORUM MARTYRUM.

BEnedicat vobis Dominus beatorum Martyrum suorum (*illorum*) suffragiis, & liberet ab adversitatibus cunctis. Amen. Commendet vos eorum intercessio gloriosa, quorum in conspectu ejus est mors pretiosa. Amen. Et sicut illi per diversa genera tormentorum cœlestis Regni sunt (*a*) sortiti hereditatem: ita vos eorum mereamini consortium per bonorum operum exhibitionem. Amen. Quod ipse &c.

(*b*) BENEDICTIO

IN NATALE UNIUS CONFESSORIS.

OMnipotens Dominus det vobis copiam benedictionis, qui beatum (*illum*) sibi adscivit virtute confessionis. Amen. Et qui illum fecit coruscare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. Amen. Quo ejus & exemplis eruditi, & intercessione muniti, cujus depositionis diem celebratis, illi possitis in cœlesti regione adjungi. Amen. Quod &c.

IN NATALE PLURIMORUM CONFESSORUM.

SAnctorum Confessorum tuorum (*illorum*) meritis vos Dominus faciat benedici, & contra adversa omnia eorum intercessione muniri. Amen. Eorum vos efficiat suffragio felices, quorum festivitatis diem celebratis ovantes. Amen. Quo eorum imitantes exempla, ad cœlestia pervenire possitis promissa. Amen. Quod ipse &c.

IN

a *Vatican.* sunt consequuti.
b *Hæc Benedictio, & quæ subsequitur, desunt in Cod. Vaticano.*

IN NATALE UNIUS VIRGINIS.

BEnedicat vobis Dominus, qui beatæ Virgini (*illi*) concessit & decorem virginitatis, & gloriam passionis. Amen. Et cujus opitulatione illa meruit & sexus fragilitatem & persequentium rabiem devincere: vos possitis & vestrorum corporum illecebras, & antiqui hostis machinamenta superare. Amen. Quo sicut illa sexu fragili virile nisa est certamen adire, & post certamen de hostibus (*a*) triumphare: ita vos, in hac mortalitate viventes, valeatis & antiquum hostem devincere, & ad cœlestia regna pervenire. Quod ipse &c.

(*b*) BENEDICTIO IN NATALE VIRGINUM.

OMnipotens Dominus, intercedentibus sanctis Virginibus suis, vos dignetur benedicere, qui de antiquo hoste non solum per viros, sed etiam per fœminas voluit triumphare. Amen. Et qui illis voluit centesimi fructus donum decore virginitatis, & agone martyrii conferre: vos dignetur & vitiorum squaloribus expurgare, & virtutum lampadibus exornare. Amen. Quatenus virtutum oleo ita pectorum vestrorum lampades possint repleri, ut cum eis cœlestis sponsi thalamum valeatis ingredi. Amen. Quod ipse &c.

(*c*) BENEDICTIO QUOTIDIANIS DIEBUS.

BEnedicat vobis Dominus, & custodiat vos. Amen. Illuminet faciem suam super vos, & misereatur vestri. Amen. Convertat vultum suum ad vos, & donet vobis pacem. Amen. Quod ipse &c.

ALIA.

OMnipotens Deus sua vos clementia benedicat, & sensum in vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen. Catholicæ Fidei vos documentis enutriat, & in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus vestros ab errore convertat, & viam vobis caritatis & pacis ostendat. Amen. Quod ipse &c.

(*d*) *Alia.*

Inclinet Dominus aurem suam ad preces vestræ humilitatis, & det vobis gratiam suæ benedictionis, & præmium sempiternæ salutis. Amen. Semper & ubique Dominum propitium habeatis, & in ejus laudibus exsultetis. Amen. Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, & ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat. Amen. Quod ipse.

Alia.

Multiplicet in vobis Dominus copiam suæ benedictionis, & confirmet vos in spe regni cœlestis. Amen. Actus vestros corrigat, vitam emendet, mores componat, & vos ad cœlestis Paradisi hereditatem perducat. Amen. Quod ipse &c.

a Vatican. de hostibus meruit triumphare.

b Desideratur in eodem Codice.

c Ab Ottoboniana hac Benedictione dissentit in Codice Vaticano prima.

BENEDICTIO IN QUOTIDIANIS DIEBUS.

Agnoscat in vobis Dominus proprium signum, & vobis suæ misericordiæ conferat donum. Amen. Bella comprimat, famem auferat, pacem tribuat, & inimici insidias a vobis longe repellat. Amen. Mœrentium gemitus videat, vocem vestri cordis exaudiat, & lacrymas ab omni facie vestra abstergat. Amen. Quod ipse &c.

d Hanc quoque inter omissas annumeres.

tatem perducat. Amen. Talique intentione repleri valeatis, qua ei in perpetuum placeatis. Amen. Quod ipse &c.

Alia.

Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, & suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Talique vos in præsenti seculo subsidio muniat, ut Paradisi vos in futuro habitatores efficiat. Amen. Sicque corda vestra sanctificando benedicat, & benedicendo sanctificet, ut vobiscum, immo in vobis eum jugiter habitare delectet. Amen. Quod ipse &c.

(*a*) *Alia*.

Det vobis Dominus munus suæ benedictionis, & repleat vos spiritu veritatis & pacis. Amen. Quatenus sic per viam salutis devota mente curratis, ut subripientium delictorum laqueos salubriter evadatis. Amen. Sicque efficiamini in ejus supplicatione devoti, & in mutua dilectione sinceri, ut ad cœleste regnum pervenire possitis securi. Amen. Quod ipse &c.

Alia.

Concedat vobis omnipotens Deus munus suæ benedictionis, qui vestræ est conscius infirmitatis. Amen. Et qui vobis tribuit supplicandi affectum, tribuat consolationis auxilium. Amen. Ut ab eo præsentis & futuræ vitæ subsidium capiatis, cujus vos bonitate creatos esse creditis. Amen. Quod ipse &c.

Alia.

Omnipotens Deus cœlesti vos protectione circumdet, & suæ benedictionis dono locupletet. Amen. Concedatque vobis, ut qui in sola spe gratiæ cœlestis innitimini, cœlesti etiam protectione muniamini. Amen. Quatenus & in præsenti seculo mortalis vitæ solatia capiatis, & sempiterna gaudia comprehendere valeatis. Amen. Quod &c.

Alia.

Omnipotens Deus dexteræ suæ perpetuo vos circumdet auxilio, & benedictionum suarum repleat dono. Amen. Ab omni vos pravitate defendat, & donis cœlestibus exuberare concedat. Amen. Quo corpore mundati ac mente, talem ei exhibeatis servitutem, per quam suam consequi valeatis propitiationem. Amen. Quod ipse &c.

Alia.

Purificet omnipotens Deus vestrorum cordium arcana, & benedictionis suæ vobis tribuat incrementa. Amen. Ab omnibus vitæ præsentis periculis exuamini, & virtutum spiritalium ornamentis induamini. Amen. Quo illius adjutorio fulti, sic ei serviatis in terris, ut ei conjungi valeatis in cœlis. Amen. Quod ipse &c.

Alia.

Omnipotens Deus universa a vobis adversa excludat, & suæ super vos benedictionis dona propitiatus infundat. Amen. Corda vestra efficiat sacris intenta doctrinis, quo possint repleri beneficiis sempiternis. Amen. Quatenus exsequenda intelligentes, & intellecta exsequentes, & inter adversa Mundi inveniamini indemnes, & beatorum Spirituum efficiamini coheredes. Amen. Quod ipse &c.

Alia.

Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, & suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Ab omnibus vos perturbationibus liberet, & mentes vestras in suæ vobis pacis tranquillitate consolidet. Amen. Quatenus Spei, Fidei, & Caritatis gemmis ornati, & præsentem vitam transigatis illæsi, & ad

a Sequentes septem Benedictiones non exstant in Codice Vaticano.

ad æternam perveniatis securi. Amen. Quod ipse &c.

(*a*) BENEDICTIO SUPER REGEM TEMPORE SYNODI.

Benedicat tibi Dominus, custodiensque te, sicut voluit, te super Populum suum constituere Regem, ita & in præsenti seculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen. Clerum ac Populum, quem sua voluit opitulatione tua sanctione congregari, sua dispensatione & tua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen. Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, & in præsenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare dignetur &c.

a In Vaticano Codice desideratur quoque postrema hæc Benedictio.

Expliciunt Benedictiones. Amen.

I N

IN CALCE CODICIS OTHOBONIANI

HABETUR HOC ADDITAMENTUM,

Charactere Undecimi circiter seculi Æræ Vulgaris exaratum.

(115) (115) DIE DOMINICO

MISSA DE S. TRINITATE.

OMnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ Fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare Unitatem: quæsumus, ut ejusdem Fidei firmitate ab omnibus muniamur adversis. Per &c.

Ad Corinthios.

„ Fratres, gratia Domini nostri
„ Jesu Christi, & caritas Dei, &
„ communicatio Sancti Spiritus sit
„ cum omnibus nobis. Amen.

Secundum Johannem.

„ In illo tempore dixit Jesus Di-
„ scipulis suis. Quum venerit Pa-
„ raclitus, quem ego mittam vo-
„ bis a Patre Spiritum veritatis,
„ qui a Patre procedit, ille testi-
„ monium perhibebit de me, &
„ vos testimonium perhibetis, quia
„ ab initio mecum estis. Hæc lo-
„ quutus sum vobis, ut non scan-
„ dalizemini. Absque synagogis in-
„ terficient vos. Sed venit hora,
„ ut omnis, qui interficit vos, ar-
„ bitretur, se obsequium præstare
„ Deo. Et hæc facient, quia non
„ noverunt Patrem, neque me.
„ Sed hæc loquutus sum vobis,
„ ut quum venerit hora eorum,
„ reminiscamini, quia ego dixi vo-
„ bis.

Super oblata.

Sanctifica, quæsumus, Domine Deus, per tui nominis invocationem hujus oblationis hostiam, & per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum.

Præfatio.

Vere dignum &c. æterne Deus: Qui cum Unigenito Filio tuo & Spiritu Sancto, unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitatis substantia. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio, hoc de Spiritu Sancto, sine differentiæ discretione sentimus; ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in Personis proprietas, & in essentia Unitas, & in majestate adoretur æqualitas. Quam laudant Angeli atque Archangeli &c.

Postcommunio.

Proficiat nobis ad salutem corporis & animæ, Domine Deus, hujus Sacramenti susceptio, & sempiternæ sanctæ Trinitatis confessio. Per &c.

Ad complendum.

Domine Deus, Pater omnipotens, famulos tuæ majestati subjectos, per unicum Filium tuum in virtute Sancti Spiritus, benedic, & protege, ut ab omni hoste securi in tua jugiter laude lætentur. Per &c.

ORATIO POST CONFESSIONEM. (116) (116)

COnfessus sum coram te, Domine, & coram Angelis tuis, & coram omnibus Sanctis tuis, & coram sanctum Altare, & coram te, frater, quia peccavi nimis in verbis & in factis & in cogitationibus & in omnibus vitiis innumerabilibus, quæ nequeo recordari. Propterea precor te, frater, ora pro me.

(117) A.R.P.

(117) A. R. P.

(117) Misereatur tibi omnipotes Deus, frater, quia graviter peccasti in conspectu illius. Det tibi Dominus veniam & indulgentiam omnium delictorum tuorum. Auferat a te Mundi cupiditates, & delectationes carnales, pro quibus & in quibus his vitiis te maxime polluisti. Et donet tibi Dominus perfectam voluntatem pœnitendi & confitendi, ut per veram pœnitentiam & ad puram confessionem possis pervenire ad vitam æternam.

(118) *Antequam communicet.*

(118) Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam vivificasti Mundum, libera me per hoc sacrum Corpus & Sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus & universis malis, & fac, me tuis obedire præceptis, & a te nunquam separare in perpetuum. Qui vivis.

Alia.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi Corpus & Sanguinem ita sumere, ut merear per hoc remissionem capere peccatorum, & a Sancto spiritu repleri; quia tu es Deus solus, & præter te non est alter, cujus regnum sine fine permanet.

Alia.

Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod accepi, & sanctus Sanguis, quem potatus sum, inhæreat, obsecro, in visceribus meis, & non mihi veniat ad Judicium, neque ad condemnationem, sed sit ad salutem & remedium animæ meæ, Salvator Mundi, qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti. Per omnia secula seculorum. Amen.

MISSA DE SPIRITU SANCTO.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & nullum latet secretum: purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut perfecte te diligere & digne laudare mereamur. Per &c.

Super oblata.

Hæc oblatio, Domine Deus, cordis nostri maculas emundet, & Sancti Spiritus digna efficiatur habitatio. Per &c.

Postcommunio.

Sacrificium salutis nostræ sumentes, concede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, purificatis mentibus sæpius tuæ pietatis celebrare mysterium. Per &c.

MISSA VOTIVA
IN COMMEMORATIONE SANCTÆ MARIÆ.

FAmulorum tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce, & qui placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri Iesu Christi, intercessione, quæ tibi sunt placita, semper meditantes, mundo corde jugiter & dictis exsequamur & factis. Per eumdem &c.

Super oblata.

Oblationibus, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, intercedente beata Maria semper Virgine, his sacrificiis peccata nostra mundentur; & ad te nostras etiam rebelles compellas propitius voluntates, vitamque nobis largiaris æternam. Per &c.

Postcommunio.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente beata Maria semper Virgine, & præsens nobis remedium esse facias & futurum. Per &c.

(119) (119) MISSA IN VENERATIONE OMNIUM SANCTORUM.

DEus, qui nos beatæ Mariæ semper Virginis, & beatorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum, continua lætificas solemnitate: præsta, quæsumus, ut quos quotidiano veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per &c.

Super oblata.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata sint honore Sanctorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per &c.

Postcommunio.

Præsta nobis, Domine, intercedentibus omnium Sanctorum tuorum meritis, ut quæ ore contingimus, puro corde capiamus. Per.

MISSA PROPRIA SACERDOTIS.

SUppliciter te, piissime Deus, Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut dum me famulum tuum coram omnipotentia majestatis tuæ graviter deliquisse confiteor: manum misericordiæ tuæ mihi porrigas, quatenus, dum hanc oblationem tuæ pietati pro peccatis meis offero, quod nequiter admisi, clementissime digneris absolvere. Per &c.

Super oblata.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge, quæso, & miserere mei, servi tui, & Sacrificium, quod pietati tuæ pro peccatis meis offero, benigne digneris suscipere, & peccata, quæ labentibus vitiis contraxi, pius & propitius ac miseratus indulgeas, & locum pœnitentiæ, ac flumina lacrymarum oculorum meorum, concessa venia a te, merear accipere delictorum. Per &c.

Postcommunio.

Deus, qui vivorum es salvator omnium, qui non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium: te suppliciter deprecor, ut concedas mihi veniam delictorum, ut & admissa defleam, & in postmodum non admittam; ut quum mihi extrema dies finisque vitæ advenerit, emendatum delictis omnibus me Angelus sanctitatis suscipiat. Per &c.

MISSA TAM VIVORUM QUAM DEFUNCTORUM.

OMnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos Fide & opere futuros esse prænoscis; te suppliciter exoro, ut pro quibus effundere preces decrevi, quosque vel præsens adhuc seculum in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, pietatis tuæ clementia delictorum suorum veniam consequantur. Per &c.

Super oblata.

Deus, cui soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus: tribue, quæso, ut universorum, quos in oratione commendatos suscepi, vel omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat. Per &c.

Postcommunio.

Purificent nos, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, Sacramenta, quæ sumsimus, & præsta, ut hoc tui mysterii Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra Mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque

què mortuorum remiſſio omnium delictorum. Per &c.

FERIA SECUNDA.

MISSA AD POSTULANDA SUFFRAGIA SANCTORUM *Angelorum*.

PErpetuum nobis, Domine, tuæ miſerationis præſta ſubſidium, quibus & Angelica præſtitiſti ſuffragia non deeſſe. Per &c.

Super oblata.

Hoſtias tibi, Domine, laudis offerimus, ſuppliciter deprecantes, ut eaſdem Angelico pro nobis interveniente ſuffragio, & placatus accipias, & ad ſalutem noſtram provenire concedas. Per &c.

Poſtcommunio.

Repleti, Domine, benedictione cœleſti, ſuppliciter imploramus, ut quod fragili celebramus officio, Sanctorum Archangelorum nobis prodeſſe ſentiamus auxilio. Per &c.

MISSA SANCTORUM,

QUORUM RELIQUIÆ IBIDEM HABENTUR.

COncede, quæſumus, omnipotens Deus, ut Sancta Dei Genitrix Maria, Sanctique tui Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, atque omnes Sancti, quorum Reliquiæ in iſta continentur Eccleſia, patrocinio nos ubique adjuvent, quatenus heic in illorum præſenti ſuffragio tranquilla pace in tua laude lætemur. Per &c.

Super oblata.

Munera tuæ, miſericors Deus, majeſtati oblata benigno, quæſumus, ſuſcipe intuitu, ut eorum nobis precibus fiant ſalutaria, quorum ſacratiſſimæ in hac Baſilica Reliquiæ ſunt reconditæ. Per &c.

Poſtcommunio.

Divina libantes myſteria, quæſumus, Domine, ut eorum nos ubique interceſſio protegat, quorum heic ſacra gaudemus præſentia. Per &c.

MISSA PRO TENTATIONE CARNIS, ET GRATIA SANCTI SPIRITUS.

URE igne Sancti Spiritus renes noſtros & cor noſtrum, Domine, ut tibi caſte & corpore ſerviamus & corde placeamus. Per &c.

Super oblata.

Diſrumpe, Domine, vincula peccatorum noſtrorum, ut ſacrificare tibi hoſtiam laudis abſoluta libertate poſſimus. Retribue, quæ ante tribuiſti, & ſalva nos per indulgentiam, quos dignatus es ſalvare per gratiam. Per &c.

Poſtcommunio.

Domine, adjutor noſter & protector in tribulationibus, obſecramus immenſam potentiam, & pietatem tuam, ut per auxilium gratiæ tuæ refloreat caro noſtra vigore pudicitiæ & ſanctimoniæ novitate, ut zona Caſtitatis ſuccincta, lorica Fidei circumdata, in reſurrectione juſtorum æterna gaudia, te largiente, percipiat. Per &c.

MISSA PRO PETITIONE LACRYMARUM.

OMnipotens mitiſſime Deus, qui ſitienti populo fontem viventis aquæ de petra produxiſti: educ de cordis noſtri duritia compunctionis lacrymas, ut peccata noſtra plangere valeamus, remiſſionemque, te miſerante, mereamur accipere. Per &c.

Super oblata.

Hanc igitur oblationem, quæſumus, Domine Deus, quam majeſtati tuæ pro peccatis noſtris offerimus, propitius reſpice, & produc

de oculis nostris lacrymarum flumina, quibus debita flammarum incendia valeant exstingui. Per &c.

Postcommunio.

Sacrificium, quod tuæ Domine, obtulimus pietati, nobis ad veniam nostrorum proficiat peccatorum, & tuæ miserationis semper tribuat solatium. Per &c.

FERIA TERTIA.

MISSA IN VENERATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis & corporis prosperitate gaudere, & gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione a præsenti liberari tristitia, & futura perfrui lætitia. Per &c.

Super oblata.

Tua, Domine, propitiatione, & beatæ Mariæ semper Virginis intercessione ad perpetuam atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem. Per &c.

Postcommunio.

Sumtis, Domine, salutis nostræ subsidiis, da, quæsumus, ejus patrociniis nos ubique protegi, in cujus veneratione hæc tuæ obtulimus majestati. Per &c.

MISSA PRO GRATIA SANCTI SPIRITUS.

Adsit nobis, Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis. Per &c.

Super oblata.

Propitius, Domine, quæsumus, hæc dona per virtutem Sancti Spiritus sanctifica, & hostiæ spiritalis oblatione suscepta nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per &c.

Postcommunio.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Spiritus Sanctus divinis reparet sacramentis, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Per &c.

MISSA COMMUNIS SANCTORUM.

Deus, qui nos concedis, omnium Sanctorum tuorum commemorationem agere: da nobis famulis tuis in æterna lætitia de eorum societate gaudere. Per &c.

Super oblata.

Hæc hostia, quæsumus, Domine, quam in omnium Sanctorum tuorum veneratione tuæ offerimus majestati, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per &c.

Postcommunio.

Refecti cibo, potuque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus, ut quia hæc in omnium commemoratione Sanctorum percepimus, eorum semper muniamur & precibus. Per &c.

MISSA PRO PECCATIS.

Deus, refugium pauperum, spes humilium, salusque miserorum, supplicationes Populi tui clementer exaudi, ut quos justitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat consolatos. Per.

Super oblata.

Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius respice, & per hæc sancta commercia vincula peccatorum nostrorum absolve. Per &c.

Postcommunio.

Cœlestia dona capientibus, quæsumus, Domine, non ad Judicium provenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providisti. Per.

MISSA SACERDOTIS.

Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, & omnes conscien-

ſcientiæ paveſcunt, reſpice propitius ad preces gemitus mei, & qui me nullis dignum meritis in loco hujus ſervitutis tuæ ſacris feciſti aſſiſtere Altaribus : ita ſecundum multitudinem miſerationum tuarum da mihi indulgentiam peccatorum meorum, ut mea fragilitas, quæ per ſe proclivis eſt ad labendum, per te ſemper muniatur ad ſtandum, & quæ per ſe prona eſt ad offenſam, per te ſemper reparetur ad veniam. Per &c.

Super oblata.

Sanctifica, Domine, hæc tibi ſacrificia illibata, & ſumentium corda pietate ſolita a malis omnibus placatus emunda, ut mereat tibi Domino inceſſanter ſine offenſione ſervire, & æternæ vitæ hereditatem percipere ſine fine. Per &c.

Poſtcommunio.

Miſericordiam tuam ſuppliciter deprecor, omnipotens Deus, ut me famulum tuum, quem divinis Sacramentis Carne & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui ſatiaſti, ab omnibus inimicorum incurſibus liberare, & carnis immunditiæ, ſeu . . . .

FINIS (120) (120)

EX

EX CODICE VATICANO

SECULI DECIMI.

(121) *Incipit Ordo de Sacris Ordinibus benedicendis.* (121)

(122) HÆc (122) autem singulis
gradibus observanda sunt tem-
(123) pora. Si ab (123) infantia Ec-
clesiasticis ministeriis nomen dede-
rit; si inter Lectores usque in Vi-
cesimum ætatis annum continuata
(124) observatione perdurarit; si (124)
majori ætate jam accesserit, ita ta-
men ut post Baptismum statim Di-
vinæ Militiæ desideraverit manci-
pari; sive inter Lectores, sive in-
ter Exorcistas quinquennio teneat;
exinde Acolythus, vel Subdiaconus
quatuor annis steterit: & sic ad be-
nedictionem Diaconus, si merea-
tur, accedat. In quo Ordine quin-
que annis, si inculpate se gesse-
(125) rit, hærere debet (125) suffra-
gantibus meritis per tot grados
(*a*), datos propriæ fidei docu-
mentis, Presbyterii Sacerdotium po-
(126) terit promereri. De quod (126)
(*b*) loco si ille exactior ad bo-
nos mores vitam perduxerit, sum-
mum Pontificatum sperare debebit.
Hac tamen lege servata, ut ne-
que Digamus, neque Pœnitens
(127) (127) ad hos grados possit ad-
mitti. Sane ut etiam Defensores
(128) Ecclesiæ, qui ex Laicis (128)
(129) fuerint, (129) supradicta obser-
vatione teneantur, si meruerint,
esse in Ordine Clericatus.

Item Benedictiones super eos, qui
(130) *sacris (130) Ordinibus benedi-*
cendi sunt.

Ostiarius, quum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversare (*c*), ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de Altare, dicens ei:

Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ isti (d) clavibus recluduntur.

PRÆFATIO OSTIARII.

„ Deum Patrem omnipotentem
„ suppliciter deprecemur, ut hunc
„ famulum suum, nomine (*illum*),
„ benedicere dignetur, quem in
„ Officium Ostiarii eligere digna-
„ tus est; ut sit ei fidelissima cu-
„ ra diebus ac noctibus ad distin-
„ ctionem (131) horarum cer-
„ tarum ad invocandum nomen (131)
„ Domini. *Per &c.*

BENEDICTIO EJUSDEM.

„ Domine sancte, Pater omni„ potens, æterne Deus, benedice„ re digneris hunc famulum tuum „ Ostiarium, nomine (*illum*) ut „ inter Janitores Ecclesiæ paret „ obsequia, & inter electos tuos „ partem mereatur habere merce„ dis. *Per &c.*

Lector quum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad Plebem, indicans ejus fidem atque ingenium. Post hæc exspectante Plebe tradat ei Codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum:

Accipe, & esto Verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris Officium, partem cum

a gradus, datis.
b De quo loco.
c conversari.
d istis.

cum his, qui Verbum Dei ministraverunt.

PRÆFACTIO LECTORIS.

„ Eligunt te fratres tui, ut sis „ Lector in Domo Dei tui, & „ agnoscas Officium tuum, ut impleas „ illud. Potens est enim „ Deus, ut augeat tibi gratiam. *Per &c.*

BENEDICTIO LECTORIS.

„ Domine sancte, Pater omnipotens, „ æterne Deus, benedicere „ digneris famulum tuum hunc, „ nomine (*illum*) in Officio Lectoris, „ ut assiduitate Lectionum „ distinctus atque ornatus curis „ modulis spiritali devotione resonet „ Ecclesiæ. *Per &c.*

Exorcista, quum ordinatur, accipiat de manu Episcopi Libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo:

Accipe, & commenda, (132)
(132) *& habeto potestatem imponendi manum super Energumenum, sive baptizatum, sive Catechumenum.*

PRÆFATIO EXORCISTÆ.

„ Deum Patrem omnipotentem „ supplices deprecemur, ut hunc „ famulum suum (*illum*) benedicere „ dignetur in Officium Exorcistæ, „ ut sit spiritalis imperator „ ad abjiciendos Dæmones de „ corporibus obsessis cum omni „ nequitia eorum multiformem. (*a*). *Per &c.*

BENEDICTIO EXORCISTÆ.

„ Domine sancte, Pater omnipotens, „ æterne Deus, benedicere „ digneris famulum tuum hunc, „ nomine (*illum*) in Officium „ Exorcistæ. Per impositionis manuum „ & oris Officium, eum „ eligere digneris, & imperium habeat „ Spirituum immundorum;
„ quo ejiciendo (133) (*b*) & proba- (133)
„ bilis sit Medicus Ecclesiæ tuæ, „ gratiæ curationum virtute confirmatus. *Per &c.*

Acolythus, quum ordinatur, ab Episcopo quidam (*c*) doceatur, qualiter in Officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat Ceroferarium cum Cereo, ut sciat, se ad accendenda luminaria Ecclesiæ esse mancipatum. Accipiat & Orciolum (*d*) vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistia (*e*) Corporis Christi.

(134) BENEDICTIO ACOLYTHI. (134)

„ Domine sancte, Pater omnipotens, „ æterne Deus, qui ad „ Moysen & Aaron locutus es, „ ut accenderetur lucerna in Tabernaculis „ testimonii: sic benedicere „ & sanctificare digneris „ hunc famulum tuum (*illum*) „ ut sit Acolythus in Ecclesia tua. *Per &c.*

ITEM COLLECTIO ut supra.

„ Domine sancte, Pater omnipotens, „ æterne Deus, qui per „ Jesum Christum Filium tuum in „ hunc Mundum lumen claritatis „ misisti, (*f*) ut Passionis suæ „ triumcenti.

a multiformi.
b quibus ejiciendis.
c quidem.
d urceolum.
e *τὸ Corporis* videtur additum manu recentì.

f ut Passionis suæ triumpho adfixus Cruci, Sanguinis ex latere cum Aqua fundendi humanum genus non solum pretio liberaret.

,, triumphum adfixus Cruci San-
,, guinem ex latere cum aqua fun-
,, dendum humanum genus non
,, solum petro liberaret, sed etiam
,, a peccatis omnibus lavacro ab-
,, lueret: benedicere digneris hunc
,, Famulum tuum (*illum*) in Of-
,, cio Acolythi; ut ad accendendum
,, claritatis Ecclesiæ tuæ lumen, &
,, ad suggerendum Vinum & A-
,, qua (*a*) ad conficiendum San-
,, guinem Filii tui in offerenda Eu-
,, charistiam (*b*) sanctis Altaribus
,, tuis fideliter subministret. Ac-
,, cende, Domine, ejus mentem,
,, & eum ad amorem cœlestis gra-
,, tiæ miserationis tuæ virtute con-
,, firma. *Per &c.*

Ordo, qualiter in Romana Sedis Apostolicæ Ecclesia, Diaconi, Subdiaconi, vel Presbyteri, ordinandi sunt.

(135) MEnsis (135) primi, quarti, septimi, & decimi, Feria Quarta, & Sexta scrutandi sunt ipsi Electi secundum Canones, si sint digni hoc honore fungi. Sabbatorum die in duodecimam Lectionem ad Sanctum Petrum, ubi Missas (*c*) celebrantur, postquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione adnuntiat Pontifex in Populo, dicens:

,, Auxiliante Domino Deo & Sal-
,, vatore nostro Jesu Christo. *I-*
,, *terum dicit*: Auxiliante Domino
,, Deo, & Salvatore nostro Jesu
,, Christo, eligimus in Ordine Dia-
,, conii, sive Presbyterii (*illum*)
,, Subdiaconum de Titulo (*illo*)
,, (*illum*) Diaconum de Titulo
,, (*illo*). Si quis autem habet a-
,, liquid contra hos Viros, pro
,, Deo, & propter Deum cum fidu-
,, cia exeat & dicat. Verumtamen
,, memor sit communionis suæ.

Et post modicum intervallum mox incipiunt omnes *Kyrie eleison* cum Letania. Hac expleta accedunt ipsi Electi ad sedem Pontificis, & benedicit eos, a quo (136) vocati sunt. Et discedunt stare inter Ordines suos, benedictione percepta. (136)

(137) Subdiaconus, quum ordinatur, quia manus impositionis (*d*) non accipit, Patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi accipiat Urceolum cum aqua, & (138) aquimanile, ac manutergio. (137) (138)

PRÆFATIO ORDINATIONIS SUBDIACONI.

,, Oremus Deum ac Dominum
,, nostrum, ut super servum suum
,, nomine (*illum*) quem ad Sub-
,, diaconatus Officium evocare di-
,, gnatus est, infundat benedictio-
,, nem & gratiam suam, ut in
,, conspectu suo fideliter serviens,
,, destinata Sanctis præmia conse-
,, quatur. Per &c.

BENEDICTIO SUBDIACONI.

,, Domine sancte, Pater omni-
,, potens, æterne Deus, benedice-
,, re digneris famulum tuum hunc,
,, nomine (*illum*) quem ad Sub-
,, diaconatus Officio (*e*) eligere
,, dignatus es; ut eum Sacrario tuo
,, sancto strenuum solicitumque cœ-
,, lesti Militiæ instituas, & sanctis
,, Altaribus fideliter subministret, &
,, requiescat super eum Spiritus sa-
,, pientiæ & intellectus, Spiritus
,, consilii & fortitudinis, Spiritus
,, scien-

a Aquam.
b Eucharistia.
c Missæ.
d impositionem.
e Officium.

,, ſcientiæ & pietatis. Repleas illum ,, Spiritu timoris tui, & eum mi- ,, niſterio divino confirmes, ut o- ,, bediens atque dicto parens tua ,, gratia (*a*) conſequatur. *Per &c.*

AD ORDINANDOS DIACONOS.

,, OREmus, dilectiſſimi, Deum ,, Patrem omnipontem, ut ,, ſuper hos famulos ſuos, quos ad ,, Officium Diaconatus vocare di- ,, gnatur, benedictionem gratiæ ſuæ ,, clementer infundat, & Conſecra- ,, tionis adultæ propitius dona con- ,, ſervet. *Per &c.*

Sequitur Oratio.

,, Domine Deus, preces noſtras ,, clementer exaudi, ut quæ no- ,, ſtro ſunt gerenda ſervitio, tuo ,, benignus proſequaris auxilio. Et ,, quos ſacris miniſteriis exſequen- ,, dis pro noſtra intelligentia credi- ,, mus offerendos, tua potius ele- ,, ctione juſtifices. *Per &c.*

CONSECRATIO.

,, Adeſto, quæſumus, omnipo- ,, tens Deus, honorum dator, or- ,, dinum diſtributor, officiorum- ,, que diſpoſitor, qui in te manens ,, innovas omnia, & cuncta diſpo- ,, nis, per Verbum virtutis, Sa- ,, pientiamque tuam Jeſum Chri- ,, ſtum Dominum noſtrum, ſempi- ,, terna providentia præparas, & ,, ſingulis quibuſque temporibus a- ,, ptanda diſpenſas: cujus Corpus ,, Eccleſiam tuam cœleſti gratia- ,, rum varietate diſtincta, ſuorum- ,, que connexa diſcretione membro- ,, rum per legem totius mirabilem ,, compagis unicam, in augmen- ,, tum Templi tui creſcere dilata- ,, rique largiris, ſacri muneris ſer- ,, vientem trinis gradibus Miniſtro- ,, rum, nomini tuo militare con- ,, ſtituens: Electis ab initio Levi ,, filiis, qui myſticis operationibus ,, domus tuæ fidelibus excubiis per- ,, manentes, hereditatem benedictio- ,, nis æternæ ſorte perpetua poſſi- ,, derent: Super hos quoque fa- ,, mulos tuos, quæſumus, Domi- ,, ne, placatus intende, quos tuis ,, Altaribus ſacris ſervituros in of- ,, ficium Diaconii ſuppliciter dedi- ,, camus. Et nos quidem, tam- ,, quam homines divini ſenſus & ,, ſummæ rationis ignari, horum ,, vitam, quantum poſſumus, æſti- ,, mamus. Te autem, Domine, ,, ea, quæ nobis ſunt ignota, non ,, tranſierunt, Te occulta non fal- ,, lunt. Tu cognitor peccatorum, ,, Tu ſcrutator es animarum, Tu ,, veraciter in eis cœleſte potes ad- ,, hibere judicium, & velut indi- ,, gnis donare, quæ poſcimus. E- ,, mitte in eos, quæſumus, Do- ,, mine, Spiritum Sanctum, quo ,, in opus miniſterii fideliter exſe- ,, quendo (*b*) munere ſeptiformi ,, gratiæ tuæ roborentur. Abun- ,, det in eis totius forma virtutis, ,, auctoritas modeſta, pudor con- ,, ſtans, innocentiæ puritas, & ſpi- ,, ritalis obſervantia diſciplinæ. In ,, moribus præcepta fulgeant, ut ,, ſuæ caſtitatis exemplo imitatio- ,, nem ſanctæ plebis adquirant, & ,, bonum conſcientiæ teſtimonium ,, præſentes (*c*) in Chriſto fir- ,, mi & ſtabiles perſeverent; di- ,, gniſque ſucceſſibus de inferiori ,, gradu per gratiam tuam potiora ,, capere mereantur. *Per &c.*

AD

a tuam gratiam. *b* exſequendi. *c* præferentes.

AD CONSUMMANDUM DIACONUM.

„ Commune votum communis
„ oratio prosequatur, & totius Ec-
„ clesiæ precem, (*a*) qui Dia-
„ conatus ministerio præparatus
„ (*b*), Levitici Ordinis benedictio-
„ ne clarificet, & spiritali conver-
„ satione præfulgens gratiam (*c*)
„ sanctificationis eluceat.

BENEDICTIO SEQUITUR.

„ Domine sancte, Pater Spei,
„ Fidei, Gratiæ, & perfectorum
„ remunerator, qui in cœlestibus,
„ & terrenis Angelorum ministeriis
„ ubique dispositis, per omnia e-
„ lementa voluntatis tuæ effundis
„ effectum: hunc quoque famu-
„ lum tuum (*illum*,) speciali
„ digneris inlustrare aspectum (*d*),
„ ut tuis obsequiis expeditus, san-
„ ctis altaribus Minister strenuus ac
„ purus adolescat, & indulgentia
„ purior (*e*) eorum graduum,
„ quos Apostoli tui in septenario
„ numero, beato Stephano duce
„ ac prævio, Spiritu Sancto aucto-
„ re, elegerunt, dignus exsistat,
„ & virtutibus universis, quibus
„ tibi servire oportet, instructus
„ complaceat. *Per &c.*

Presbyter quum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenentem (*f*), etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manus Episcopi super caput illius teneant.

ALLOCUTIO AD POPULUM.

„ Quoniam, dilectissimi fratres,
„ rectores (*g*) navis, & navi-
„ gium deferentes eadem est vel
„ securitatis ratio, vel timoris,
„ communis eorum debet esse sen-
„ tentia, quorum causa communis
„ exsistit. Nec frustra a Patribus
„ reminiscimur institutum, ut de
„ electione eorum, qui ad regi-
„ men altaris adhibendi sunt, con-
„ sulatur & populus; quia de an-
„ teacta conversatione, quod non-
„ nunquam ignoratur a pluribus,
„ scitur a paucis. Et necesse est,
„ ut facilius quis obedientiam ex-
„ hibeat ordinato, cui assensum
„ præbuerit ordinando. Fratres no-
„ stri & Compresbyteri, conver-
„ satio (*illius*) quantum nosse
„ mihi videor, probata ac Deo pla-
„ cita est, ac digna, ut arbitror,
„ ad Ecclesiastici honoris argumen-
„ tum. Sed ne unum fortasse vel
„ paucos aut decipiat adsensio, aut
„ fallat affectio, sententia est ex-
„ spectanda multorum. Itaque quid
„ de ejus actibus aut moribus no-
„ veritis, quid de merito censea-
„ tis, Deo teste, consulimus. De-
„ bet hanc fidem habere caritas
„ vestra, quam secundum præce-
„ ptum Evangelii, & Deo exhi-
„ beri (*h*) debeatis & proximo;
„ huic (*i*) testimonium Sacerdo-
„ tii magis pro merito, quam pro
„ affectione omnium, exspectamus.
„ Intelligere tacentes non possu-
„ mus. Scimus tamen, quid est
„ acceptabilius Deo. Aderit per Spi-
„ ritum Sanctum consensus unus
„ omnium animarum. Et ideo e-
„ lectionem vestram debetis voce
„ publica profiteri.

Pres-

a prece.
b præparatur.
c gratia.
d aspectu.
e priore.
f tenente.

g Corruptorum verborum hic sensus est: Quoniam rectorem navis, & eos, qui a navigio deferuntur, eadem respicit vel securitatis &c.
h exhibere debetis.
i Hoc testimonium.

Presbyter quum ordinatur, Episcopum (a) eum benedicente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.

(139) AD ORDINANDOS PRESBYTEROS. (139)

„ Oremus, dilectissimi, Deum „ Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad „ Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, & quæ „ ejus dignatione suscipiunt, ejus „ exsequantur auxilio. *Per &c.*

„ Exaudi nos, Deus salutaris „ noster, & super hos famulos „ tuos, benedictionem Sancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ „ pietatis conspectibus offerimus „ consecrandos, perpetua muneris „ tui largitate prosequaris. *Per &c.*

CONSECRATIO.

„ Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum „ omnium & dignitatum (b), „ qui tibi militant, distributor, „ per quem proficiunt universa, „ per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis, per „ ordinem congrua ratione dispositis, unde Sacerdotalis gradus, „ & Officia Levitarum sacramentis „ mysticis instituta creverunt, ut „ cum Pontifices summos gerendis „ Populis præfecisses, ad eorum „ societatis & operis adjumentum „ sequentis Ordinis Viros & secundæ dignitatis eligeres. Sic „ in eremo per septuaginta Virorum prudentium mentes Moysis „ spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic & Eleazaro, & „ Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutaris Sacrificii sacramenta sufficerent merita Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui „ Doctores Fidei comites addidisti, „ quibus illi orbem totum secundis „ prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hæc „ adjumenta largire. Qui quanto „ magis fragiliores sumus, tanto „ his plurius indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos „ famulos tuos Presbyterii dignitatem. Innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis; acceptum a te, Deus, secundum „ meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ „ conversationis insinuent. Sint providi quo operatores (c) nostri „ Ordinis. Luceat in eis totus (d) „ forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationi sibi creditæ „ reddituri, æternæ beatitudinis „ præmia consequantur. *Per &c.*

CONSUMMATIO PRESBYTERI.

„ Sit nobis, fratres, communis „ oratio, ut hi, qui in adjutorium & utilitatem vestræ salutis eliguntur, Presbyteratus benedictonem divini intelligentia muneris consequantur, ut Sancti „ Spiritus sacerdotali (e) dona privilegium virtutum, ne inpares „ loca (f) deprehendantur, obtineant. *Per &c.*

a Episcopo.
b quæ
c cooperatores
d totius forma justitiæ.
e Sacerdotali dono.
f impares loco.

ITEM BENEDICTIO.

„ Deus ſanctificationum auctor, cujus vera conſecratio plena benedictio eſt: ſuper hunc famulum tuum (*illum*) quem Presbyterii honorè dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, ut gravitatem (*a*) actuum & cenſura vivendi probet, ſe eſſe Seniorem (*b*) inſtitutus diſciplina, quæ Tito & Timotheo Paulus expoſuit; ut in Lege tua die ac nocte omnipotens (*c*) meditans, quod legerit credat, quod crediderit doceat, quod docuerit imitetur; per juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendat, exemplum probet, admonitione confirmet, purum atque immaculatum tui donum cuſtodiat, & per obſequium plebis tuæ Corpus & Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transformet, & inviolabilem caritatem in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti Domini in die juſtitiæ æterni Judicii, conſcientiam puram, fidem plenam, Spiritu Sancto plenus perſolvat. *Per &c.*

Hic veſtis (*d*) *eum Planeta his verbis*:

„ Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti deſcendat ſuper te. Et ſis benedictus in Ordine Sacerdotali, & offeras placabiles hoſtias pro peccatis, atque offenſionibus Populi omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum.

CONSECRATIO MANUUM:

„ Conſecrentur manus iſtæ, quæſumus, Domine, & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, & quæcumque benedixerint, benedicta ſint, & quæcumque ſanctificaverint, ſanctificentur per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum.

a gravitate.
b His inſtitutus diſciplinis, quas.

c omni tempore.
d veſtit.

EX

EX PERVETUSTO RITUALI

PONTIFICALI ROMANO MEMBRANACEO,

Quod exſtat apud Equitem Maffejum. Ordo ſeptem Eccleſiaſticorum graduum, & in gradibus ordinandi, ſed ante omnia Clericum faciendum.

Vide vetuſtiſſimum Miſſale Francorum, ubi pleraque ſimilia deprehendes.

(140) (140) ORemus, dilectiſſimi fratres, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, pro famuli ſuo N. qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore feſtinat, ut donet ei Spiritum ſanctum, qui habitum Religionis in eo perpetuum conſervet, & a Mundi impedimento, vel Seculari deſiderio cor ejus defendat, ut ſicut immutatur vultu, ita dextera manus ejus virtutis ei tribuat incrementa, & ab omni cæcitate ſpirituali vel humana oculos ejus aperiat, & æternæ gratiæ lumen ei concedat. Qui vivit &c.

Oremus:

Flectamus genua.

Levate.

Oratio.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum N. benedicere ✠ dignare, cui in tuo nomine habitum Religionis imponimus, ut te auxiliante devotus in Eccleſia tua perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per &c.

Dum tondes eum, dicant:

Tu es, Domine, qui reſtitues hereditatem meam mihi. Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei. *Pſalmus*. Conſerva me *uſque* Tu es: *& repetatur:* Tu es, Domine &c. Hic accipiet benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium eum. *Pſalmus*: Domini eſt terra, *totum dicatur*. Oremus:

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, propitiare peccatis noſtris, & ab omni ſervitute Secularis habitus hunc famulum tuum N. emunda, ut dum ignominiam Secularis habitus deponit, tua ſemper in eum gratia perfruatur. Et ſicut ſimilitudinem cocoronæ tuæ eum geſtare facimus in capite, ſic tua virtute hereditatem ſubſequi mereatur æternam. Per &c.

Poſtquam tonſuratus eſt.

Oratio.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut hic famulus tuus N. cujus hodie (141) coronam capitis (141)
pro amore divino depoſuimus in tua dilectione perpetuo maneat, & eum ſine macula in ſempiternum cuſtodias. Per &c.

(142) *Ad barbam tondendam*. (142)

Deus, cujus providentia omnis creatura adulta congaudet, preces noſtras ſuper hunc famulum tuum N. juvenili ætate decore lætantem, & pri-

& primis auspiciis ad tondendum, exaudi, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, ævoque largiori protectus cœlestem benedictionem ✠ accipiat, & præsentis vitæ præsidiis gaudeat, & futura. Per &c.

(143) (143) *Psalmista, idest Cantor, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, potest absque Episcopi scientia, a sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero:*

Videte, ut quod cantatis ore, corde credatis, & quod corde creditis, opere comprobetis.

(144) (144) DE OFFICIO OSTIARII.

Hæc sedendo dicat, & cum Mitra.
Ostiarium oportet percutere cimbalum, aperire Ecclesiam & Sacrarium, & Librum aperire ei, qui prædicat.

Ostiarius quum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Domini conversari debeat; ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus stans claves Ecclesiæ, de Altari, dicens:
Hæc agite, quia reddituri estis Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.
Et tradat ei Archidiaconus ostium Ecclesiæ, & dicat Episcopus sequentia stans sine Mitra.

PRÆFATIO OSTIARII.

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos benedicere ✠ dignetur, quos in Officium Ostiariorum eligere dignatus est, ut sit eis fidelissima cura diebus ac noctibus ad distinctionem cæterarum * horarum ad invocandum nomen Domini Jesu Christi.

Oremus.
Flectamus genua.
Levate.

Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ dignare hos famulos tuos (*illos*) in Officio Ostiariorum, ut inter janitores Ecclesiæ tuæ tuo pareant obsequio, & inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per &c.

DE OFFICIO LECTORIS.

Hoc sedendo cum Mitra dicat:

(145) Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat, & Lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus novos. (145)
Lector, quum ordinatur, facit Episcopus verbum de illo ad Plebem, indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium. Post hæc exspectante Plebe stans tradat ei Codicem, de quo lecturus est, dicens:
Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter & devote impleveritis Officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei ministraverunt ab initio.

Pronunciatio.

Eligunt vos fratres vestri, ut sitis Lectores in domo Dei vestri & agnoscatis Officium vestrum, & impleatis illud. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus. Per omnia &c.

PRÆ-

* certarum;

PRÆFATIO LECTORIS.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos (*illos*) quos in Ordinem Lectorum dignatur assumere, benedictionem ✠ suam clementer effundat, quatenus distincte legat, quæ in Ecclesia legenda sunt, & ea operibus impleat.

Oremus.

Flectamus genua.
Levate.

Oremus. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ dignare hos famulos tuos in Officio Lectorum, ut assiduitate Lectionis distincti sint atque ordinati; & agenda dicant, & dicta opere compleant, ut in utroque sanctæ Ecclesiæ exemplo sanctitatis suæ consulant. Per &c.

DE OFFICIO EXORCISTÆ.

Hoc sedendo dicat cum Mitra.

Exorcistam oportet abjicere Dæmonem, & dicere Populo: (146)
(146) *Qui non communicat, det locum*; & aquam in mysterio (*a*) fundere.

Exorcista quum ordinatur, accipiat de manu Episcopi stantis Libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo:

Accipite & commendate memoriæ. Et habetote potestatem imponendi manus super Energumenos sive baptizatos sive catechumenos.

PRÆFATIO EXORCISTÆ; *quam dicat stans sine Mitra.*

Deum patrem omnipotentem, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos suos (*illos*) benedicere ✠ dignetur in Officium Exorcistarum, ut sint spirituales Imperatores ad abjiciendos Dæmones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum qui cum eo vivit & regnat Deus in unitate.

Oremus.

Flectamus genua.
Levate.

Oratio:

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ dignare hos famulos tuos in Officium Exorcistarum, ut per impositionem manuum, & oris officium, potestatem & imperium habeant Spiritus immundos coercendi, ut probabiles sint Medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum, virtuteque cœlesti confirmati. Per.

DE OFFICIO ACOLYTHI.

Hoc dicat sedendo cum Mitra.

Acolythum oportet ceroferarium ferre, & luminaria accendere, & vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare.

*Acolythus, quum ordinatur, primum ab Episcopo doceatur, qualiter in Officio suo agere debeat, & accipiat ab (147) eo ceroferarium, (147)
dicente sibi.*

Accipite ceroferarium cum cereo, & sciatis, vos ad accendenda luminaria mancipari.

Ac-

a forte ministerio,

Accipiat & Urceolum vacuum, dicente sibi Episcopo:

Accipite & Urceolum vacuum ad fundendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi.

PRÆFATIO ACOLYTHI.

Quæ sequuntur, Episcopus stans sine Mitra dicat:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos (*illos*) benedicere ✠ dignetur in Ordine Acolythorum, quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant, adjuvante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum eo & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus. Per &c.

Oremus.

Flectamus genua.
Levate.

(148) *Oratio*: (148)

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum, & Apostolos ejus in hunc Mundum lumen claritatis tuæ misisti, quique ut mortis nostræ antiquum aboleres chirographum, gloriosissimæ illum Cruci vexillo affigi, & sanguinem & aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti, benedicere ✠ dignare hos famulos (*illos*) in Officium Acolythorum, ut ad accendendum lumen Ecclesiæ tuæ, & ad suggerendum vinum & aquam ad conficiendum Sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia sacris Altaribus tuis, fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum, & corda ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in Ecclesia deserviant. Per &c.

Alia Oratio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui Moysen & Aaron locutus es, ut accenderetur Lucerna in tabernaculo testimonii, benedicere ✠ & sanctificare dignare hos famulos tuos (*illos*), ut sint Acolythi in Ecclesia tua. Per &c.

Alia Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum lumine verum (*a*) Mundum illuminasti, ejusque Passionis mysterio redemisti: benedicere dignare ✠ hos famulos tuos (*illos*), quos in Officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes & lumine scientiæ illustres, & pietatis tuæ rorem (*b*) irriges; ut ita perceptum Ministerium te auxiliante peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per &c.

DE OFFICIO SUBDIACONI.

Sedendo cum Mitra dicat:

Subdiaconum oportet præparare aquam, administrationem Altaris, & ministrare Diacono.

Subdiaconus, quum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de manu Episcopi stantis vacuam accipiat. Similiter & Calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi accipiat Urceolum cum aquamanili, idest cum bacilibus, ac manutergium, dicente sibi Episcopo:

Vi-

a vero. *b* rore.

Videte, cujus ministerium vobis traditur & Ordinem. Si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles; si usque nunc ebriosi, amodo sobrii; si usque nunc inhonesti, amodo casti. Oblationes, quæ veniunt in Altari, panes propositionis appellantur. De ipsis in oblationibus tantum debet in Altari poni, quantum Populo possit sufficere, ne aliquid putridum in Sacramento remaneat. (149) Pallæ
(149) vero, quæ sunt in substentorio Altaris, in alio vaso (*a*) debent lavari, in alio Corporales. Si autem Corporales, & pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen ibidem debet lavari, & ipsa aqua in Baptisterium debet mergi. Ideo admoneo, ut vos exhibeatis ita ut Deo placere possitis.

Sequitur Oratio
Sequentia dicat stans sine Mitra in modum Præfationis.

Oremus Deum, ac Dominum nostrum, Fratres carissimi, ut super servos suos (*illos*) quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem suam & gratiam, ut in conspectu ejus fideliter servientes, prædestinata Sanctis præmia consequantur, adjuvante Domino Jesu Christo.

Oremus.

Flectamus genua.
Levate.

BENEDICTIO.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere ✠ dignare hos Famulos tuos, quos ad Subdiaconatus Officium eligere dignatus es, ut eos in Sacrario tuo sancto strenuos, solicitosque cœlestis militiæ instituas excubitores, sanctisque Altaribus tuis fideliter subministrent, & requiescat super eos Spiritus Sapientiæ & Intellectus, Spiritus Auxilii & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & pietatis, & repleas eos Spiritu Timoris tui, ut eos ministerio divino confirmes, ut obedientes dicto, atque facto parentes, tuam gratiam consequantur. Per ..... in unitate ejusdem Spiritus Sancti.

Deinde Episcopus det sibi Manipulum, dicens: (150) (150)

Accipite Manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

DE OFFICIO DIACONI.

Hoc sedendo dicat cum Mitra.

Diaconum oportet ministrare ad Altare, & baptizare, & prædicare.

„ Ordo qualiter in Ecclesia Ro-
„ mana Diaconi & Presbyteri eli-
„ gendi sunt. Mense (151)
„ Primo, Quarto, Septimo, De- (151)
„ cimo Sabbatorum die in XII.
„ Lectionibus: Statio ad S. Petrum.
„ Postquam Antiphonam ad introi-
„ tum dixerint, data Oratione,
„ & expletis omnibus ex more
„ ad Alleluja sive Tractum veniat
„ Archidiaconus, & offerat cum
„ Pontifice qui ordinandus est,
„ ita dicendo:

Postulat Mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Subdiaconos ad onus Diaconatus ordinetis.

Pro ordinando in Presbyterum dici debet Presbyterii. *Interrogat Episcopus:*

Scis illos dignos esse?

Respondet offerens:

Quan-

a vase.

Quantum humana fragilitas nosse sinit, scio & testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus Officii.

Tunc annuntiat ante Evangelium Pontifex in Populo, dicens ad omnes:

Auxiliante Domino Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo eligimus hos in Ordinem Diaconii. Si quis autem habet aliquid contra illos, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat: Verumtamen memor sit conditionis suæ.

„ Deinde prosternet se Pontifex, mitratus tamen, cum Archidiacono ante Altare super stramenta cum iis, qui ordinandi
(152) „ sunt. Et Schola imponat (152) „ Letaniam. Qua finita erigant „ se, & ascendant ipsi Electi ad „ sedem Pontificis. Et benedicat „ eos, ad quod vocati sunt. Et „ descendant, & stent in ordine „ suo. Benedictione accepta Archidiaconus imponat Evangelium „ ex more. Et omnes, qui ordinati sunt, oblationes deferant ad „ manum Episcopi, & ab eo consecratas accipiant. Diaconus quum „ ordinatur, solus Episcopus, qui „ eum benedicit, manus super caput ejus imponat. Sed hæc impositio fit, quando dicitur Oratio *Emitte*, quæ est infra; quia „ non ad Sacerdotium, sed ad Ministerium consecratur. Et alloquitur Pontifex stans Populus „ (*a*) iis verbis.

(153) (153) Commune votum communis oratio prosequatur, ut ii (*b*) totius Ecclesiæ prece, qui in Diaconatus ministerio præparantur Leviticæ benedictionis ✠ Ordine clarescant, & spirituali conversatione præfulgentes, gratia sanctificationis eluceant, præstante Domino nostro Jesu Christo. Qui &c.

Heic debet deponere Mitram, & dicere in modum Præfationis.

BENEDICTIO

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos (*illos*) quos ad Officium Diaconatus assumere dignatus est, benedictionis ✠ suæ gratiam clementer infundat, & consecrationis indultæ propitius dona conservet. Et preces nostras clementer exaudiat, ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio. Et quos sacris mysteriis exsequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua benedictione sanctificet.

Oremus

Flectamus genua.

Levate.

ALIA BENEDICTIO.

Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, bonorum datorum (*c*), ordinumque distributorum, atque officiorum dispositorum, qui in te manens innovas omnia, & cuncta disponis, per verbum, virtutem, sapientiamque tuam Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præparans, & singulis quibus temporibus optanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam videlicet tuam, Ecclesiasticarum varietate gratiarum distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum per legem mirabilem compaginis totius unitam, in augmentum Templi tui cresceret dilatareque largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus Ministrorum nomine tuo militare constitues. Electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis opera-

a Populum.
b hi.

c bonorum dator, Ordinum distributor, atque Officiorum dispositor.

rationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes hereditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos (*illos*) quæsumus, Domine, placatus intende, quos tuis Sacrariis servituros in Officium Diaconatus suppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines, divini sensus & summæ rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, ea, quæ nobis sunt ignota, non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum, tu servator (*a*) es cordium, tu eorum vita (*b*) cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, & admissa purgare, & ea, quæ sint agenda, concedere.

Heic ponat solus Episcopus manum super capita eorum.

Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, quo in opus Ministerii fideliter exsequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Habitet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, & spiritualis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, ut suæ auctoritatis exemplo imitationem sanctæ Plebis acquirant, & bonum conscientiæ testimonium præferentes, in Christo firmi & stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per eumdem &c.

Ad consummandum Diaconi Officium cum stola super quemlibet singillatim dicat.

Accipe Stolam candidatam de manu Domini, ab omnibus vitiorum sordibus purificatus in conspectu divinæ Majestatis, ut omnibus vita conversationis tuæ præbeatur exemplum, plebsque dicata Christi nomine, possit imitando te imitationem acquirere justam.

Tunc Stola læva eorum circumdata, det eis Episcopus Evangelium, dicens:

Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.

Benedictio post acceptam Stolam.

Exaudi, Domine, preces nostras. Super hos famulos tuos (*illos*) Spiritum tuæ benedictionis emitte: ut cœlesti munere ditati & tuæ Majestatis gratiam possint acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per &c.

Quum vero consecrandi fuerint, induantur Dalmatica, dicente sibi Episcopo.

Induat te Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circumdet te in Christo Jesu Domino nostro.

Et dat eis Episcopus osculum.

ORDINATIO PRESBYTERI.

Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare.

Post Lectionem autem & Tractum atque Letaniam parato Electo, qui Presbyter ordinandus est, Diaconi solito more cum orario tantum, & præsentantibus eum atque ducentibus duobus Diaconibus, ad dexteram lævamque tenentibus usque ad Presbyteros, duo Presbyteri ducant eum usque ad sedem Pontificis, & Diaconus dicit.

Postulat mater Ecclesia &c.

Ut supra in ordinatione Diaconi. Et ipse se erigens interrogat, si dignus sit: Illis autem attestantibus, eumdem dignum & justum esse Dei gratia, postea dicat:

a scrutator. *b* vitam.

Auxiliante Domino.

Et fiat Letania, ut supra est di-cta in ordinatione Diaconi. Qua completa dicit Pontifex stans:

Commune votum &c. *usque* Oremus.

Eo inclinato imponat manum super caput ejus, & omnes Presbyteri cum eo pariter. Et ille dat sine Mitra orationem super eum tenens manus elevatas, sicut quando dicuntur Orationes in Missa, & omnes alii Sacerdotes similiter.

PRÆFATIO.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos (*illos*), quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, ut quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio.

Oremus.

Flectamus genua.

Levate.

Oratio.

Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, & super hos famulos tuos (*illos*) benedictionem ✠ Sancti Spiritus, & gratiæ spiritualis infunde virtutem, ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris.

Heic elevet Episcopus vocem suam in modum Præfationis.

Per omnia secula seculorum. Amen.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum & justum est.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bonorum dator, & distributor omnium dignitatum, per quem cuncta firmantur, per quem proficiunt universa, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum, unde & Sacerdotales gradus, atque Officia Levitarum Sacramentis mysticis instituta creverunt. Unde quum Pontifices summos regendis Populis præfecisses, ad eorum societatis & operis adjumentum subsequentis Ordinis viros & sedem dignatis (154) (154)
(*a*) eligeres. Sic & in eremo per septuaginta Prudentium Montes (*b*) Moysis spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in Populo, innumerabiles multitudines facile gubernavit, sicut & in Eleazaro, & Ithamas filiis Aaron, paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares, & frequentationis officii Sacramenta Ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctoribus, fidei comites addidisti. Quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hæc adjumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto iis pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Deus, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint providi cooperatores Ordinis nostri. Eluceat in eis totius forma justitiæ,

a & Sacerdotes digneris eligere.

b ministerium.

tiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi conditæ (*a*) reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Per eumdem &c. In unitate ejusdem &c.

Heic flectat orarium super humerum dextrum, dicens ad eum:

Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.

Heic vestit eum Casula, dicens:

Stola innocentiæ induat te Dominus. Accipe vestem Sacerdotalem, per quam caritas intelligitur. Potens enim Deus augere tibi caritatem, & opus perfectum.

Heic debet dici Hymnus:

Veni, creator Spiritus.

Deinde:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster &c. & ne nos &c. Sed libera nos &c. Salvos fac nos &c. Deus meus &c. Nihil proficiat &c. Et filius iniquitatis &c. Dominus vobiscum.

Respondetur Et cum spiritu tuo. Oremus:

Sequitur benedictio. Quidam legunt, quidam dicunt in modum Præfationis.

Deus sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, plenaque benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos (*illos*) quos Presbyterii honore dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, ut gravitate actuum, & censura vivendi, præbeant se esse Seniores, iis instituti disciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus exposuit; ut in Lege tua die & nocte meditantes, quod legerint, credant, quod crediderint, doceant, & imitentur. Justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, cæterasque virtutes in se ostendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, & purum & immaculatum ministerium sui (*b*) domum custodiant, & per obsequium Plebis tuæ panem & vinum in Corpus & Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment, & inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi, in die justi & æterni judicii, conscientia pura, fide plena, Spiritu Sancto pleni persolvant. Per eumdem &c. In unitate ejusdem &c.

Expleta autem oratione, tunc Episcopus de oleo Catechumenorum ungat singulorum manus a pollice dextro usque ad indicem sinistrum, & a pollice sinistro usque ad indicem dexterum in cruce, & totaliter palmas ungat manuum, dicens:

Consecrare & sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, & nostram benedictionem ✠, ut quæcumque consecraverint, consecrentur, & quæcumque benedixerint, ✠, benedicantur ✠ & sanctificentur ✠, in nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, & ponat in manibus ordinati & dicat:

Accipite potestatem offerre (*c*) Sacrificium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini. Amen. (*d*)

Si fuerit Presbyter Cardinalis (155), *dat eis dominus Papa anulum, dicendo.* (155)

Ad honorem Domini nostri Jesu Christi, & Apostolorum Petri & Pau-

a creditæ.

b Tui donum.

c Offerendi Sacrificium Deo, Missamque celebrandi.

d Adduntur hæc in margine, scripta recentiori manu: *Heic ponat Episcopus manus super caput cujuslibet eorum, dicens:* Accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiseris peccata, remissa erunt, & quorum retinueris, retenta erunt. *Quo singulis facto, ad ultimum dicat in generali.* Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, & quorum retinueritis retenta erunt. *Deinde dicat:* Benedictio Dei Patris &c. *ut supra.*

Pauli committimus tibi Ecclesiam (*illam*) cum Clero & Populo suo.

BENEDICTIO.

Benedictio ✠ Dei Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, ut sitis benedicti in Ordine Sacerdotali, & offeratis placabiles hostias pro peccatis atque offensionibus Populi omnipotenti Deo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

„ Hac benedictione & ordinatio„ ne completa qui Presbyter est „ ordinatus a domino Papa, osculatis primum pedibus Pontificis, „ dat osculum pacis tam eidem Pontifici, quam Episcopis & Presbyteris, Diaconibus, & Cardinalibus. Post aliis Prælatis, „ ac cæteris Ministris Altaris, qui „ adfuerunt. Postmodum descendat „ ad locum statutum, & manus „ suas lavet cum mica panis & aqua. Et tunc cantetur *Alleluja*, „ vel ultimus versus Tractus. Consequenter Diaconus legat Evangelium. Si Cardinalis fuerit, qui „ Presbyter ordinatur, postquam „ lavit manus suas jam ordinatus, „ induat omnia Pontificalia cum „ Planeta plicata super scapulas. „ Juxta morem Romanæ Ecclesiæ „ Presbyteri & Diaconi Cardinales, ut alii quilibet, duos cereos „ accensos, & duos panes post Evangelium offerre debent Pontifici, „ & duas amphoras vini. Qua oblatione facta Presbyteri vadant ad „ Altare ad standum ad dexteram „ & lævam Altaris. Diaconi in loco Diaconorum stent, antequam „ Pontifex accedat ad Altare ad „ Sacrificium offerendum. Et sic „ stabunt, donec Pontifex communicaverit. Post Communionem „ vero Pontificis, ordinati sacram „ Communionem de manu Pontificis, recipiendo osculum pacis ab „ eo, Presbyteri scilicet & Diaconi; Sanguinem autem recipient „ de manu Diaconi, qui cantavit „ Evangelium. Completa vero Missa Presbyteri ordinati ter genu „ flectendo, & ter exaltando vocem, tunc coram Domino dicant:

Multos annos.

Ter osculetur eos, dicens:

Pax Domini sit vobiscum.

„ Et commendet se eorum orationibus. Et sic parati Pontificalibus ordinati Presbyteri Cardinales redeant ad domum Pontificis, „ signando, sicut faciunt Episcopi, „ quando consecrantur.

„ Incipit Ordo ad vocandum, „ seu examinandum, vel consecrandum electum Episcopum. Quod „ si fuerit electus de Ecclesia Romana, non examinabitur, prærogativa respectu Ecclesiæ. Sabbati die circa vesperam, sedente „ Domino Apostolico in atrio juxta „ Ecclesiam, venit Archipresbyter „ indutus Casula, cum Clericis illius Ecclesiæ, cujus Electus consecrandus est. Et flectens genua „ ante Apostolicum, benedictionem „ petit, dicens:

Jube, Domne, benedicere.

Respondet Apostolicus:

Deus misereatur nostri, & benedicat nos.

Archipresbyter surgens ante præcedit paululum. Et iterum petens benedictionem, genua flectit, & dicit:

Jube, Domne, benedicere.

Respondet Apostolicus:

Illuminet Deus vultum suum super nos, & misereatur nobis.

Tertia vero vice simili modo benedictionem petit, dicens:

Jube, Domne, benedicere.

Respondet Apostolicus:

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

Be-

Benedictione completa interrogat eos dominus Apostolicus:

Omnia recte. Quid vos fatigastis, Fratres?

Respondent:

Ut Deus & Dominus noster concedat nobis Pastorem.

Interrogant:

Habetis vestrum?

Respondent:

Habemus.

Interrogat:

Est de ipsa Ecclesia, an de alia?

Respondet:

De ipsa.

Interrogat:

Quo honore fungitur?

Respondent:

Presbyteratus.

Interrogant:

Quot annos habet in Presbyteratu?

Respondent:

Decem.

Interrogat:

Habuit conjugium?

Respondent:

Minime.

Interrogat:

Dispofuit domui suæ?

Respondent:

Dispofuit.

Interrogat:

Quid vobis placuit in illo?

Respondent:

Sanctitas, castitas, humilitas, benignitas, & omnia, quæ Deo placibilia sunt.

Interrogat:

Habetis Decretum?

Respondent.

Habemus.

Apostolicus dicit:

Legatur.

Tunc profertur Decretum, & legitur hoc modo:

Beatissimo Papæ (*illi*) Apostolicæ Sedis dignitatem (*a*) conspicuo, Clerus & Populus (*illius*) Ecclesiæ, totius devotionis famulatum.

Credimus, non latere Apostolatus vestri Celsitudinem, quo (*b*) nostra Ecclesia suo sit viduata Pastore, ac propter hoc sit solatio proprio destituta Pastoris. Quapropter ne Pastore absente grex Dominicus perfidorum luporum morsibus pateret, & ne improbi raptoris fieret præda, communi voto atque consensu elegimus in Pontificem (*illum*) Presbyterum nostræ Ecclesiæ, virum utique prudentem, hospitalem, moribus ornatum, castum, sobrium, & mansuetum, Deo & hominibus per omnia placentem. Quem ad Apostolatus vestri dignitatem ducere curavimus, unanimiter postulantes & obsecrantes, a vestra Majestate nobis illum ordinari Pontificem. Quatenus, auctore Domino, nobis vel idoneus Pastor præesse valeat & prodesse, nosque sub sacro ejus regimine Domino semper militare possimus. Ut autem omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic canonico Decreto propriis manibus roborando subscripsimus.

Ego (*ille*) subscripsi.
Ego (*ille*) subscripsi.

Hoc lecto prosequitur Apostolicus, & dicit:

Videte, ne aliquam promissionem vobis fecerit; quia Simoniacum est, & contra Canones.

Respondent:

Absit.

Et dicit Apostolicus:

Ducatur.

Tunc venit ipse Electus Planeta indutus, & benedictionem petit, dicens:

Jube, Domne, benedicere.

Re-

(*a*) dignitate. (*b*) quod.

Respondet Apostolicus:

Spiritus Sancti gratia illuminare dignetur corda nostra.

Et Electus procedens paululum, iterum genu flexo dicit:

Jube, Domne, benedicere.

Respondet Apostolicus:

Ignem suis amoris accendat Deus in cordibus nostris.

Tertia vice similiter dicit.

Jube, Domne, benedicere.

Respondet:

Dominus custodiat introitum & exitum tuum.

Tunc interrogat eum Apostolicus:

Omnia recte. Quid te fatigasti, Frater?

Respondet:

Quod ego dignus non fui. Isti Confratres elegerunt me sibi præesse Pastorem.

Interrogat Apostolicus:

De ipsa Ecclesia, an de alia?

Respondet Electus:

De ipsa.

Interrogat:

Quo honore fungeris?

Respondet:

Presbyteratus.

Interrogat:

Quot annos habes in Presbyteratu?

Respondet:

Decem.

Interrogat:

Habuisti conjugium?

Respondet:

Minime.

Interrogat:

Disposuisti domui tuæ?

Respondet:

Disposui.

Interrogat:

Qui Libri leguntur in Ecclesia tua?

Respondet:

Eptaticus Prophetarum, Evangelium, Apocalypsis, Epistolæ Pauli, & reliqua.

Interrogat:

Nosti Canones?

Respondet:

Doce nos, Domine.

Et Apostolicus dicit:

Vide, ordinationes, si feceris, ut certis temporibus facias, idest Primi, Quarti, Septimi, Decimi Mensis. Bigamos, aut Curiales, aut de Servili conditione, ad Sacros Ordines non promoveas. A Simoniaca vero hæresi omnino te custodias. Tamen dabitur tibi Edictum de Scrinio nostro, qualiter debeas conversari. Vide autem, ne aliquam promissionem pro hac causa feceris; quia Simoniacum est, & contra Canones.

Respondet:

Absit.

Et dicit Papa:

Tu videris. Quia ergo omnium in te vota conveniunt, hodie abstinebis, & cras, Deo annuente, consecraberis.

Respondet:

Præcepisti.

„ Tunc descendunt singuli in loca sua. Dominica vero die, & non in alia Festivitate, progreditur dominus Apostolicus cum Electo, & cuncto Clero & Populo ad Ecclesiam, ubi fieri vult Ordinationem. Et ingressus Sacrarium, induit se vestimenta Pontificalia. Post pusillum procedit de Sacrario cum Diaconibus, & reliquis Ministris, sicut diebus Dominicis mos est procedendi. Et Electus sacris vestibus indutus, scilicet Alba, Stola & Cinctorio, & Pluviali tantum, procedit simul cum eo, & cæteris Episcopis de Sacrario ante Altare. Factoque conventu, antequam fiat Confessio, fiat examinatio talis. Dum ista examinatio legitur, Episcopi & Papa consecrantes, Mitras debent habere in capite, sed Consecrandi nequaquam.

Antiqua Sanctorum Patrum institutio

tutio docet, & præcipit, ut is, qui ad Episcopatus Ordinem eligitur, ante diligentissime examinetur cum omni caritate. Et de Fide Sanctæ Trinitatis interrogetur, & de diversis causis & moribus, quæ huic regimini congruunt, & necessaria sunt retineri secundum Apostoli dictum: *Manus cito nemini imposueris*: ut is, qui est ordinandus, antea erudiatur qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei, & ut irreprehensibiles sint, qui eis manus Ordinationis imponunt. Eadem itaque auctoritate & præcepto interrogamus te, dilectissime Frater, caritate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum capax est tua natura, divinæ Scripturæ sensibus accommodare volueris.

Respondet:

Ita. Ex toto corde volo in omnibus consentire, & obedire.

Interrogat:

Vis, ea, quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, verbis docere & exemplis?

Respondet:

Volo.

Interrogat:

Vis, traditiones orthodoxorum Patrum, ac Decretales sanctæ & Apostolicæ Sedis costitutiones veneranter suscipere, docere, atque servare?

Respondet:

Volo.

Interrogat:

Vis, beato Petro, cui a Deo data est potestas ligandi atque solvendi, mihique ejus Vicario, & ejus Vicario sanctissimo Patri nostro N. summo Pontifici, ejusque Successoribus, Successoribusque meis, fidem & subjectionem per omnia exhibere?

Respondet:

Volo.

Interrogat:

Vis, mores tuos ab omni malo temperare, & quantum poteris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare?

Respondet:

Volo.

Interrogat:

Vis, semper in divinis esse negotiis mancipatus, & a terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus, quantum te humana hæc fragilitas consenserit posse?

Respondet:

Volo.

Interrogat:

Vis, humilitatem & patientiam in te ipso custodire, & alios similiter docere?

Respondet:

Volo.

Interrogat:

Pauperibus & peregrinis, omnibusque indigentibus vis esse, propter nomen Domini, affabilis & misericors?

Respondet:

Volo.

Tunc dicatur ei.

Hæc omnia & cætera bona tribuat tibi Dominus, & custodiat te, atque corroboret in omni bonitate.

Et respondeant omnes:

Amen.

Interrogat:

Credis, secundum intelligentiam & capacitatem sensus tui, Sanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem, coessentialem, & consubstantialem, coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis & majestatis, Creatorem omnium Creaturarum: a quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, quæ sunt in Cœlo & in Terra, visibilia & invisibilia, corporalia & spiritualia?

Respondet:

Assentio, & ita credo.

Interrogat:

Credis singulam quoque in Sancta Trinitate Personam unum verum Deum, plenum & perfectum?

Respondet:

Credo.

Interrogat:

Credis, ipsum Filium Dei Verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in Divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex Matre temporalem: Deum verum & Hominem verum, proprium in utraque Natura atque perfectum; non adoptivum, neque phantasmaticum, sed unicum & unum Filium Dei in duabus & ex duabus Naturis, sed in unius Personæ singularitate impassibilem & immortalem Divinitatem; sed in humanitate pro nobis & pro salute nostra passum vera carnis passione, & sepultum, ac tertia die resurgentem a mortuis vera carnis resurrectione; die quadragesimo post Resurrectionem cum carne qua surrexit & anima ascendisse in cœlum, & sedere ad dexteram Patris: Inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala?

Respondet:

Assentio, & per omnia credo.

Interrogat:

Credis etiam Spiritum Sanctum, plenum & perfectum, verumque Deum, a Patre & Filio procedentem, coæqualem, coessentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio?

Respondet: Credo.

Interrogat:

Credis hanc Sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, & immutabilem?

Respondet:

Credo.

Interrogat:

Credis, sanctam Catholicam & Apostolicam unam esse Ecclesiam, in qua unum datur Baptisma, & vera omnium remissio peccatorum?

Respondet:

Credo.

Interrogat:

Anathematizas etiam omnem Hæresem extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam Catholicam?

Respondet:

Anathematizo.

Interrogat:

Credis etiam veram Resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestas, & vitam æternam?

Respondet:

Credo.

Interrogat:

Credis etiam Novi & Veteris testamenti Legis, & Prophetarum, & Apostolorum, unum esse auctorem Deum omnipotentem?

Respondet:

Credo.

Et dicatur ei:

Hæc tibi Fides augeatur a Domino ad veram & æternam beatitudinem, dilectissime Frater in Christo.

„ Ita igitur examinatus & bene
„ instructus, cum consensu Cleri-
„ corum & Laicorum, ac conven-
„ tu totius Provinciæ Episcoporum,
„ in nomine Domini ordinetur.

DE

DE OFFICIO EPISCOPI.

(*a*) Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, confirmare, & ordinare, offerre, & baptizare.

„ Facto itaque Scrutinio, Dominus Pontifex cum Episcopis & „ Ministris Altaris, & ipso quoque Electo, accedens ad Altare „ facit Confessionem. Et mox, ut „ vult, jubeat cantari; & ille incipit Antiphonam ejusdem Dominicæ ad introitum &c. ex more. Et electus revertitur ad locum, ubi fuit indutus. Sequitur „ Oratio pro electo, quæ dicitur „ vel secundo vel tertio loco inter primas Orationes de Missa.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per &c.

„ Ex more cantentur usque ad „ repetitionem *Alleluja*, vel ad „ ultimum versus, Tractus. Interim, dum hæc fient, egrediatur „ Archidiaconus cum Acolythis & „ Subdiacono. Et induit ipsum electum tunicam dalmaticam, planetam, & ambagos. Et duo Episcopi Casulis induti deducant „ eum superius ante Altare. Et „ convertens se Apostolicus ad circumstantes dicit hanc orationem.

(*b*) Oremus, dilectissimi nobis, ut huic viro, utilitati Ecclesiæ providens benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per &c.

„ Et statim incipit *Kyrie eleison* „ cum Letania. Et prosternat se „ Ordinator simul cum electo, & „ cæteris Episcopis ante Altare super stramenta, usquedum dicit „ Schola *Agnus Dei*. Episcopi debent habere Mitras in capitibus, „ Consecrandi vero non. Ut autem surrexerint, duo Episcopi „ ponunt & tenent Evangeliorum „ Codicem super cervicem ejus & „ inter scapulas clausum, & uno „ super eum fundente benedictionem, ipse prior & reliqui Episcopi, qui adsunt, manibus suis „ caput ejus tangant. Et dicit Ordinator:

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum (*illum*) cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis ✠ tuæ in eum effunde virtutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Et dicat alta voce.

Per omnia secula seculorum.
Amen.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Sursum corda.
Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro.
Dignum & justum est.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ famulantur ordinibus: Deus, qui Moysem famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ de habitu quoque indumenti

(*a*) *Hæc notantur in margine*. Hoc, quod dicitur, *Episcopum* &c. dicitur post Orationem, *Adesto* &c. Et post Epistola, antequam dicatur Oratio, *Oremus*, *dilectissimi* &c. Immediate etiam ex tunc sequitur ut . . . . prosequitur.

(*b*) *Hæc item notantur in margine*. Antequam dicatur hæc Oratio, *Oremus*, *dilectissimi* &c. debet dici, *Episcopum*, *oportet* &c. sicut supra scriptum est.

Sacerdotalis instituens, electum Aaron mirifice amictu (*a*) vestitur sacra jussisti, ut intelligentia sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati; quum & apud Veteres reverentiam ipsam significationum species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendet vestium, sed splendor animarum: quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipsis erant intelligenda poscebant (*b*). Et idcirco huic famulo tuo (*illi*) (quem Apostolica Sedes Præsulem & Primatem omnium, qui in Orbe terrarum sunt, Sacerdotum, ac universalis Ecclesiæ Doctorem dedisti, & ad summi Sacerdotii ministerium elegisti) hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, & quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus, actibusque clarescat. Comple in Sacerdote tuo Mysterii tui summam, & ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti rore sanctifica.

Heic mittit Chrisma in caput ejus in modum Crucis: primo ligato capite panno, dicat:

Ungatur & consecretur caput tuum cœlesti benedictione ✠ in ordine Pontificali; in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠. Amen. Pax tibi. Et cum spiritu tuo.

Nota, quod si plures sunt, qui consecrentur, hoc in persona cujuslibet singulariter repetatur in caput usque: Hoc, Domine, copiose. *Heic iterum incipiat in modum Præfationis:*

Hoc, Domine, copiose in caput ejus influat, hoc in oris subjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministerium reconciliationis in verbis, & in factis, in virtute signorum & prodigiorum. Sit sermo ejus & prædicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Da ei, Domine, claves Regni cœlorum, ut utatur, non glorietur potestate, quam tribuis in ædificationem non in destructionem. Quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum & in cœlis, & quodcumque solverit super terram, erit solutum & in cœlis. Quorum detinuerit peccata, detenta sint, & quod dimiserit, tu dimittas. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus, & qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur. Sit fidelis servus & prudens, quem constituas tu, Domine, super familiam tuam, ut det illis cibum in tempore opportuno, & exhibeat omnem hominem perfectum. Sit solicitudine impiger, sit spiritu fervens. Oderit superbum, humilitatem diligat, nec eam unquam deserat, aut laudibus, aut timore superatus. Non ponat lucem tenebras, in tenebras lucem. Non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus & insipientibus debitor, ut fructum de pro-

a amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiam sensuum de exemplis &c.

b Hæc notantur in margine: Istud heic dicitur, quando Dominus Papa consecratur. *Et idcirco* &c.

profectu omnium consequatur. (*a*) Tribuas ei, Domine, Cathedram Episcopalem ad regendam Ecclesiam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplices super eum benedictionem ✠ & gratiam tuam, ut ad exorandum semper misericordiam tuam tuo munere idoneus, tua gratia possit esse devotus.

Et respondeant omnes:

Amen.

,, Completa benedictione confir- ,, mat (*b*) manum & pollicem, ,, consecrans eum Chrismate, di- ,, cens sine nota; & pro quolibet ,, repetit eam, si sint plures:

Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te Chrismate, & mysticæ delibutionis liquore perfundat, & spiritualis benedictionis ✠ ubertate fœcundet, ut quidquid benedixeris, benedicatur, & quidquid sanctificaveris, sanctificetur, & consecratæ manus tuæ vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. Amen.

Quum datur baculus Episcopalis, dicit:

(*c*) Accipe baculum Pastoralis officii, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens.

Ad Anulum digito imponendum.

Accipe Anulum (*d*) fidei, scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, videlicet Sanctam Ecclesiam, intemerata fide ornatus illibate custodias.

Tunc dat ei Apostolicus Librum Evangeliorum, dicens:

Accipe Evangelium, & vade prædicare Populo (*e*) tibi commisso. Potens est enim Deus augere tibi gratiam suam. Qui vivit &c.

,, Tunc Electus dat osculum Pon- ,, tifici, & Diaconibus omnibus. ,, Et tenens eum Archidiaconus, ,, deportat in Presbyterium. Et dat ,, osculum Episcopis & Presbyte- ,, ris. Et tunc canitur repetitio ,, *Alleluja*, vel ultimus versus Tra- ,, ctus. Deinde canitur Evange- ,, lium.

Secreta pro Electo.

Suscipe, Domine, munera, quæ tibi offerimus pro famulo tuo (*illo*), ut propitius in eodem tua dona custodias. Per &c.

Infra Canonem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo (*illo*) quem ad Episcopatus Ordinem promovere dignatus es, quos (*f*) Domine, ut placatus accipias, & propitius in eo dona tua custodias, ut quæ divino munere consequutus est, divinis effectibus exsequatur; diesque nostros . . .

,, Quum autem Dominus Pon- ,, tifex communicaverit, debet & ,, Consecratus communicare, de ,, manu ipsius recipiendo sacram ,, Hostiam integram, manu ejus ,, prius osculata. Qua recepta Con- ,, secrator recipiat eum ad oscu- ,, lum.

a Nota marginalis: Istud heic dicitur, quando Papa consecratur: *Tribuas ei Cathedram Pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, & plebem tuæ sortis intra Mundi limitem universum. Sis ei auctoritas*, & reliqua.

b consecrat.

c Nota in margine: Et repetitur pro quolibet, si sint plures. Tamen baculus Pastoralis non datur Romano Pontifici.

d In margine: Pro Papa, quum consecratur, additur: *universalem*. Et repetitur *Accipe* pro quolibet, si sint plures.

e Alia nota: Pro Papa additur *universali*. Et repetitur *Accipe*, si sint plures.

f quæsumus.

,, lum. Et tunc Conſecratus acce-
,, dens ad Diaconem, ſuſcipit de
,, manu ipſius Sanguinem Domini
,, noſtri Jeſu Chriſti. Poſt Com-
,, munionem vero Conſecratus trans-
,, ferat ſe ed ſiniſtrum cornu Alta-
,, ris, & ibi ſit uſque ad finem
,, Miſſæ.

Poſt Communionem.

Oratio.

Plenum, quæſumus, Domine, in nobis remedium tuæ miſerationis operare, & tales nos eſſe perfice propitius, & ſic foveri, ut tibi in omnibus placere valeamus. Per &c.

,, Finita Miſſa, & data benedi-
,, ctione, ſtante Pontifice juxta Al-
,, tare, verſo vultu ad ſiniſtrum
,, cornu ipſius Altaris, Conſecra-
,, tus accedens, & genuflectens an-
(156) ,, te ipſum, dicat cum nota: (156)
Multos Annos.

,, Et hoc faciat & dicat ter, ita
,, quod ſecunda vice altius quam
,, prima, & tertia dicat altius quam
,, ſecunda. Deinde oſculetur pedem
,, ejus, ſi Papa fuerit Conſecrator,
,, vel os alterius Conſecrantis. Po-
,, ſtea Conſecratus redeat ad locum
,, ſuum, ubi indutus fuerat. Et de-
,, poſita Planeta, amoto linteo, quo
,, caput ipſius fuerat hucuſque col-
,, ligatum, diligenter abſtergat ca-
,, put ipſius, terſa Corona cum mi-
,, ca panis, quæ mica debet projici
,, in ignem, honeſte pectinetur.
,, Sicque acceptis Chirothecis, &
,, Anulo Pontificali, Pluviali, &
,, Mitra pretioſa, nec non Baculo
,, Paſtorali, aſcendat equum cooper-
,, tum candido panno, ut veniat
,, benedicendo per viam ad Pala-
,, tium Pontificis. Cum quo de-
,, poſitis ſacris veſtibus ipſo die
,, prandium ſumere debet. Si vero
,, immediate poſt Pontificem veniet
,, per eamdem viam, a benedictio-
,, ne danda per viam abſtinere de-
,, bet. Edictum, quod dat Ponti-
,, fex Epiſcopo, cui benedicit, de
,, quo ſuperius mentio facta fuit.

Dilecto nobis fratri (*illi*) Epiſcopo, quem ut credimus, divino nutu vocante, Clerus & Populus Civitatis (*illius*) unanimiter elegerunt Rectorem, & ad nos uſque perducentes, petierunt conſecrari Epiſcopum; & ideo, Deo annuente, per manus noſtræ impoſitionem Epiſcopus conſecratus eſt.

Amodo, frater cariſſime, ſcias, te maximum pondus ſuſcepiſſe laboris, quod eſt ſarcina regiminis Animarum, & commodis deſervire multorum, omniumque fieri minimum atque Miniſtrum, & pro credito tibi talento in die divini examinis rationem redditurum. Nam ſi Salvator noſter dicit: *non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*, & Animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis: quanto magis nos, deſidioſi & ſervi ſummi patrisfamilias, debemus maximo cum ſudore incumbere, oves Dominicas, a ſummo nobis Paſtore conſignatas, ad ovile Dominicum, ſuffragante divina gratia, abſque morbo vel macula perducere? Exhortamur itaque dilectionem tuam, ut Fidem, quam in exordio tuæ Conſecrationis breviter lucideque digeſſimus, illibatam & inviolabilem cuſtodias, quæ Fides eſt omnium Virtutum fundamentum. Scimus autem, quod ab infantia ſacris Literis eruditus, & Canonum inſtitutis edoctus es. Attamen breviter ad te noſter dirigendus eſt ſermo.

Ordinationes ergo, ſi quas feceris, ſecundum Canones atque Apoſtolicam Eccleſiam aptis temporibus fac: ideſt Menſis Primi & Quarti & Septimi & Decimi. Vide, ut nemini cito manus imponas, & ne communices peccatis alienis. Bigamos, aut Curiales, aut Servum cujusli-

juslibet; ad sacrum Ordinem nequaquam promoveas, nec Neophytum, ne secundum Apostoli sententiam elatus, in laqueum vel voraginem incidat Diaboli. Sed eos in sacrosancta Ecclesia ordinare stude, qui ætatem habent maturitatis, & apud Deum & Homines fideliter vixerunt, & deinceps vivere studeant. Et hoc cavendum est tibi, tamquam venenum pestiferum rejiciendum: ne Avaritia subripiat cor tuum, ut per quodlibet munus acceptum manus impositionem alicui tribuas, & per Simoniacam hæresim, quam Salvator noster omnimodis detestatur. In prece tua memento: quæ gratis accepisti, gratis & da, secundum Vatis alloquium:
„ Qui ejicit Avaritiam, & excutit
„ manus suas ab omni munere; hic
„ in excelsis habitabit, & muni-
„ menta saxorum sublimitas ejus.
„ Panis ei datus est, aquæ ipsius
„ fideles sunt. Regem in decore
„ videbunt oculi ejus.

Temetipsum mitem castumque custodi. In habitaculum tuum aut raro aut nunquam mulieris sit ingressus. Omnes Puellas aut Virgines Christi aut æquanimiter ignora, aut æquanimiter dilige. Nec de præterita castitate confidas, quia nec Samsone fortior, neque Salomone poteris esse sapientior. Quando autem ob animarum lucrum visitationis causa in Collegium, vel infra septa ingressus fueris Ancillarum Dei, non solus introeas, sed tecum adhibe tales socios, de quorum contubernio diffameris; quia oportet Episcopum irreprehensibilem esse, & testimonium habere bonum ad omnes, ut ne quis ex eo scandalum sumat. Scandalizanti videlicet unum ex pusillis, scimus quanta animadversione a Domino comparetur (*a*) prædicationi justa. Verbum Dei plebi suæ, tibi commissæ, affluenter & melliflue atque distincte, idest quantum rore cœlesti persusus fueris, prædicare non desinas. Scripturas sæpius lege; immo, si potest fieri, lectio sacra in manibus tuis, maximeque in pectore semper inhæreat. Ipsam vero lectionem oratio interrumpat. Ad vicem namque speculi anima tua in ipsam sedule respiciat, ut vel quæ incorrecta sunt, corrigat, vel quæ pulcra sunt, amplius exornet. Disce quod sapienter doceas eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere, & permanere in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, eloquio divinæ dispensationis. Paratus semper esto ad satisfactionem, ne confundant opera tua sermonem tuum, ne quum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet tibi respondeat: *Cur ergo ipse non facis, quod jubes? Recognosce, Magister, qui turgidum ventrem ferre videris. Modo jejunus* (*b*) *prædicas*. Furta atque perjuria possunt etiam detestari Latrones, & avaritiam cupidi. Vita scilicet tua irreprehensibilis fiat. In ipsa filii tui regulam sumant; in ipsa quidquid diligant, cernant, quod imitari festinent, ut ad exemplum tuum omnes fideli studio vivere compellantur.

Sit erga subjectos tuos solicitudo laudabilis. Exhibeatur cum solicitudine disciplina, cum discretione correctio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat, & ita alterum ex altero condiatur, ut nec immoderata ultio, ultra quam oportet, affligat, nec iterum frangat Rectorem disciplinæ remissio. Itaque boni te dulcem, asperum pravi sentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc esse ordi-

a forte ita emendandum: præparetur punitio justa. *b* jejunium?

dinem novimus observandum: ut personas diligas, & vitia persequaris, ne si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas per inremissam iram, quod emendare per discretionem debueras. Sic enim vulnera te convenit abscindere, ut non possis ulcerare, quod sanum esse videtur, ne, si plusquam res exegerit, ferrum incisionis impresseris, noceas, cui prodesse æstimas. Nec dicimus, quod in delinquentibus non te ostendas ultorem, & vitia nutriri permittas; sed hortamur, ut in judicio semper misericordia misceatur, ut possis cum Propheta fiducialiter dicere: *Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine*. Sit in te oralis pietas, amabilisque dulcedo, & secundum Canonicas regulas severa districtio: videlicet ut innocentes leniter foveas, & inquietos perfidosque feriendo a pravitate compescas.

Nullius faciem in judicio aspicias, ut nec divitem potentia sua apud te extollere possit, nec pauperem propter paupertatem humilitatemque ipsius exasperatio tua de re, quam suggeret, humiliorem reddat. Substantiam Ecclesiæ, quam ad disponendum suscipis, fideliter atque discrete erogare non dissimiles (*a*). Scias, te alienum esse dispensatorem, ut in te Dominicum impleatur eloquium, dicens: *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis escam in tempore*. Hospitalitatem sectare. Misericordem, pro ut vires suppetunt, pauperibus te exhibe; quia qui obturat aurem suam ad clamorem eorum, ut non exaudiat, ipse clamabit, & non exaudietur. Viduæ, orphani, pupilli, pupillæque te benignissimum Pastorem atque Tutorem se habere congaudeant. Oppressis defensio tua subveniat; illis autem, qui opprimunt, vigor tuus efficaciter contradicat. Et ita cuncta, Deo adjuvante, permunias, ut Lupus sæviens, sequacesque illius adhuc in carne vitam agentes, huc illucque debacchantes, & animas innocentium laniare cupientes, in ovile Dominicum ingrediendi, ad prædandas Animas, locum non habeant.

Nullus te favor extollat, nulla adversitas te atterat, (*b*) idem ut nec inspexeris contra tuum elevetur, nec in adversis in aliquo deficiatur (*c*). Sed omnia in omnibus caute & cum discretione agere te volumus, ut absque reprensione ab omnibus vere comproberis.

Oratio.

Sancta Trinitas firmitatem tuam sua protectione incolumem custodiat, ut dum tali moderamine in Deo nostro onus, quod suscepisti, peregeris, in die æternæ retributionis, eo dicente audire merearis: *Euge, serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.*

INCIPIT ORDO,

Qualiter Romanus Pontifex apud Basilicam beati Petri Apostoli debeat ordinari.

„ Primicerius cum Schola sua „ incoat Antiphonam ad introi„ tum. Tum procedit Electus de „ Sacrario cum Ceroferariis septem, „ & cum eo Episcopi & Cardina„ les, & cæteri Clerici induti ritu „ solemni. Et veniunt ad Confes„ sionem beati Petri. Et facta ibi „ Letania, ascendunt pariter ad „ Altare. Tunc Episcopus Alba„ nensis dat orationem primam, di„ cens: *Ora-*

a non dissimules.
b ita ut nec in prosperis cor tuum elevetur.
(*c*) deficiat.

Oratio.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per &c.

Deinde Episcopus Portuensis dat Orationem secundam, dicens cum nota alia:

Oratio:

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum (*illum*) cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per.

„ Post hæc Episcopus Ostiensis „ ponit apertum Librum Evange„ liorum super verticem Consecran„ di, sicut fit in consecratione alio„ rum Episcoporum; tenentibus „ ipsum duobus Diaconibus Cardi„ nalibus usque ad Consecrationem „ finitam. Libro sic imposito, tunc „ Consecrator imponat manum dex„ teram super caput Consecrandi, „ nihil dicendo. Et similiter faciant „ omnes Episcopi Cardinales, ac „ alii Archiepiscopi & Episcopi, „ qui adsistunt. Post hæc ipse Ostien„ sis Episcopus elevata voce dicit „ in modum Præfationis:

Per omnia secula seculorum.

Et prosequitur Præfationem illam:

Deus, honor omnium dignitatum &c. *quæ superius in Consecratione aliorum Episcoporum posita est: excepto, quod ubi dicit:* Et idcirco huic famulo tuo; *in Consecratione Romani Pontificis eleganter fit hæc additio, & dicitur sic:*

Et idcirco huic famulo tuo (*illi*), quem Apostolicæ Sedis Præsulem & Primatem omnium, qui in Orbe terrarum sunt, Sacerdotum, ac universalis Ecclesiæ Doctorem dedisti, & ad summi Sacerdotii ministerium elegisti: hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris.

Totum dicitur similiter. Ubi dicitur circa finem Præfationis: Tribuas ei, Domine &c. *in consecratione Romani Pontificis dicatur sic: item post pauca;*

Tribuas ei, Domine, Cathedram Pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, & Plebem tuæ sortis inter Mundi limites universam. Sis ei auctoritas, *& reliqua.*

Post hæc Archidiaconus imponat ei Mitram & Pallium, dicens:

Accipe plenitudinem scilicet Pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei, & gloriosissimæ Virginis Mariæ Genitricis ejus, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

„ Deinde ascendit Papa ad se„ dem, & recipit ad pedes omnes „ Episcopos, Presbyteros, & Dia„ conos Cardinales, & alios Præ„ latos, & dat pacem omnibus E„ piscopis, Sacerdotibus, & Levi„ tis Cardinalibus. Quo facto di„ cit:

Gloria in excelsis Deo &c.

„ sive *Dominus vobiscum*, secun„ dum quod tempus requirit. Et „ sic peragitur Missa ordine suo. „ Item benedictio Papæ. De Epi„ scopo facto orationem primam „ dat Episcopus Albanensis, dicens:

Deus, qui adesse non dedignaris, ubicumque devota mente invocaris: adesto, quæsumus, invocationibus nostris, ut huic famulo tuo N. quem ad culmen Apostolicum commune judicium tuæ plebis eligit, ubertatem supernæ benedictionis infunde, ut sentiat, se tuo munere ad hunc apicem pervenisse. Per Dominum &c.

Secundam orationem dat Portuensis Episcopus, dicens:

Supplicationibus nostris, omnipotens Deus, effectum consuetæ pietatis impende, & gratia Spiritus Sancti hunc famulum tuum (*illum*) perfunde, ut qui in capite

Ecclesiarum tuæ servitutis ministerio constituitur, tuæ virtutis soliditate roboretur. Per &c.

Tertiam dat orationem Ostiensis Episcopus, vel Archipresbyter, si desit Episcopus, ita dicens:

Deus, qui Apostolum tuum Petrum inter cæteros Coapostolos Primatum tenere voluisti, eique universæ Christianitatis molem superimposuisti, respice propitius hunc famulum tuum (*illum*) quem humili Cathedra violenter sublatum in Thronum ejusdem Apostolorum Principis sublimamus; ut sicut profectibus tantæ dignitatis augetur, ita Virtutum meritis cumuletur, quatenus Ecclesiasticæ Universitatis onus, te adjuvante digne ferat, & a te, qui es beatitudo, suorum meritorum vicem recipiat. Qui vivit &c.

BENEDICTIO ABBATIS VEL ABBATISSÆ.

Oratio.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum, quem ad regimen Animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequatur, & te largiente cum ipsa tibi nos electione placeamus. Per &c.

Alia Oratio.

Cunctorum bonorum institutor Deus, qui Moysem famulum tuum ad gubernandas Ecclesias &c.

Manum (157) super caput ejus
(157) *imponit Episcopus, & dicit hanc Orationem in modum Præfationis.*

Omnipotens sempiterne Deus, affluentem spiritum tuæ benedictionis ✠ super hunc famulum tuum N. nobis orantibus &c.

Deinde Regulam tradit ei, dicens:

Accipe Regulam a Sanctis Patribus traditam, & ad regendum, custodiendumque gregem, tibi a Deo traditum, quantum Deus ipse te confortaverit, & humana fragilitas permiserit.

Subsequenter dat ei Baculum Pastoralem, & ait:

Accipe Baculum Pastoralitatis, quem præferas catervæ tibi commissæ, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens, & quum iratus fueris, misericordiæ memor eris.

Hoc modo fiat de Anulo.

SPIRITUALIS BENEDICTIO ABBATISSÆ POST PRÆDICTA DE ABBATE.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, qui sororem Moysis Mariam per . . . cum cæteris mulieribus &c.

ORDO AD MONACHUM FACIENDUM.

In primis faciat Subdiaconus Letanias, deinde dicat Episcopus hanc orationem:

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in sancto tuo nomine habitum sacræ Religionis imponimus, ut te largiente & devotus in Ecclesia tua persistere, & vitam percipere mereatur æternam. Per Dominum &c.

Alia Oratio.

Deus indulgentiæ pater, qui severitatem tuæ districtionis temperans indulsisti, ne filius portet &c.

Alia Oratio.

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quique Mundum peccatis inveteratum, per Mysterium &c.

Alia Oratio.

Domine Jesu Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus benignissimam clementiam tuam &c.

Alia

Alia Oratio.

Sancte Spiritus, qui te Deum ac Dominum revelare mortalibus dignatus es, postulamus immensam pietatis tuæ gratiam &c.

BENEDICTIO VESTIUM MONACHALIUM.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus &c.

Quum Episcopus exuit eum veste seculari, dicat:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ejus.

Quum induit eum habitum Monasticum, dicit:

Indua te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. Amen.

Alia Oratio.

Deus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil bonum incoatur, nihilque bonum &c.

ORDO

AD VIRGINEM BENEDICENDAM.

Sanctimonialis Virgo quum ad consecrationem sui venerit, in talibus vestimentis veniat, quibus semper usa est, professioni & sanctimoniæ aptis.

BENEDICTIO VESTIMENTORUM VIRGINUM, VEL VIDUARUM.

Oratio.

Deus, æternorum bonorum fidelissime promissor, & certissime persolutor, qui vestimentum salutis æternæ &c.

Alia Oratio.

Domine Deus, beatarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infusor &c.

BENEDICTIO VESTIS TAM VIDUÆ QUAM VIRGINIS.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, omnipotens Deus, preces nostras, & hanc Vestem, quam famula tua N. ad se operiendum &c.

CONSECRATIO VELAMINIS VIRGINIS.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hanc vestem, Ancillæ tuæ capiti imponendam, benedictio ✠ tua benignitate descendat, & sit vestis hæc benedicta ✠ & consecrata, & immaculata ✠ & sancta huic Ancillæ tuæ. Per &c.

„ Tunc induat se Virgo vesti-
„ mentis sacris, & prona se jactet
„ in terram. Et imponatur Leta-
„ nia. Et post Letaniam cantet
„ Antiphonam:

✠ Ancilla Christi sum, ideo me ostendo servilem personam.

Antiphona:

Induit me Dominus cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me.

Et adjiciat Episcopus orationem super eam:

Oratio.

Respice, Domine, super hanc famulam tuam N. propitius, ut virginitatis sacræ propositum, quod te inspirante suscipit, te gubernante custodiat.

Alia Oratio.

Famulam tuam, Domine, tuæ custodia muniat pietatis, ut virginitatis sacræ propositum, quod te inspirante suscepit, illæsum, te protegente, custodiat.

Præfatio.

Per omnia secula seculorum. Amen.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Sursum corda. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum & justum est.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, castorum corporum benignus habitator &c.

Alia Oratio.

Te invocamus, sancte Pater, omnipotens æterne Deus super hanc famulam tuam N. quæ tibi vovit servire pura mente, mundoque corde, ut illam jam sociare digneris inter illas &c.

ORDO AD DANDUM VELAMEN.

Accipe, Virgo, Velamen sanctum, quod præferas sine macula ante tribunal æterni Judicis, cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum. Qui vivit &c.

ITEM ALIA BENEDICTIO VIRGINIS.

Benedicat ✠ te Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus omni benedictione ✠ spirituali, ut maneas semper immaculata sub vestimento sanctæ Matris Domini nostri Jesu Christi. Qui vivit &c.

Et cantetur Antiphona.

Posuit signum in faciem meam, ut nullum propter eum amatorem admittam.

Antiphona.

Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulcritudinem Sol & Luna mirantur.

MISSA EJUSDEM.

Oratio.

Da, quæsumus, Domine, famulæ tuæ N. quam virginitatis honore dignatus es decorare, incoati operis consummatum effectum, & ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem. Per &c.

Secreta oratio.

Oblatis hostiis, quæsumus, Domine, præsenti famulæ tuæ perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda, ut apertis januis, ad summi cœlestis Regis adventum, cum lætitia mereatur intrare. Per &c.

Post commemorationem. (*)

Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super hanc famulam tuam N. & quæ castigationibus assiduis postulat, tua consolatione percipiat. Per &c.

BENEDICTIO VIDUÆ,

quæ fuerit castitatem professa.

Consolare, Domine, hanc famulam tuam N. laboribus viduitatis adstrictam, sicuti consolari dignatus es Sareptanam &c.

Alia Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut hæc famula tua N. quæ pro spe &c.

MISSA IN DIE CONSECRATIONIS EJUSDEM.

Oratio.

Da, quæsumus, Domine, famulæ tuæ N. *ut supra.*

Se-

(*) Post Communionem.

Secreta.

Reſpice, Domine, propitius ad hoſtiam noſtræ ſervitutis tuo conſpectui immolandam, ut hæc famula tua N. viduitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te gubernante cuſtodiat. Per &c.

Poſt Communionem.

Purificent nos, quæſumus, Domine, Sacramenta, quæ ſumſimus, & famulam tuam ab omni culpa &c.

Alia Oratio.

Reſpice, Domine, famulæ tuæ tibi debitam ſervitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta nullis adverſitatibus opprimatur, quæ de tua protectione confidit. Per &c.



DE CORONATIONE IMPERATORIS.

„ QUum Rex in Imperatorem „ electus pervenerit ad Portam „ Collinam, quæ eſt juxta Caſtel- „ lum Creſcentii, recipiatur hono- „ rifice a Clero Urbis cum Cruci- „ bus & thuribulis. Et proceſſio- „ naliter deducatur uſque ad gradus „ Baſilicæ Sancti Petri, cantantibus „ univerſis:

Ecce mitto Angelum meum.

„ Camerariis ejus miſſilia ſpargenti- „ bus, & Præfecto Urbis gladium „ poſtferente *. Quum autem per- „ venerit ante Baſilicam in Platea, „ quæ Cortina vocatur, dexteran- „ dus eſt a Senatoribus uſque ad „ gradus prædictos. Ubi eo deſcen- „ dente, tradendus eſt equus, cui „ Rex inſederat (*ille*). Interim „ ſummus Pontifex cum omnibus „ Ordinibus ſuis præparat ſe in „ Secretario, tamquam celebraturus „ divina. Et proceſſionaliter exiens „ uſque ad ſuggeſtum areæ, quæ „ eſt in capite gradus ſuper faldi- „ ſtorium, ubi ſedeat cum conſe- „ dentibus ſuper gradum a parte „ dextera Epiſcopis & Presbyteris, „ & a ſiniſtra Diaconis Cardinali- „ bus, & in proximiori gradu Sub- „ diaconis & Acolythis, Primicerio „ & Cantoribus adſtantibus circa „ illos cum Magnatibus, & nobili- „ bus Officialibus & Miniſteriali- „ bus Aulæ Papalis. Tunc Rex „ cum Archiepiſcopis & Epiſcopis, „ Principibus, & Magnatibus ſuis „ aſcendens ad ſummum Pontificem, „ reverenter oſculatur pedes ipſius, „ offerens ei aurum, quantum ſibi „ placuerit. Benigne recipiatur ab „ eo ad oſculum & ad amplexum. „ Quo demum ſurgente, Rex ipſe „ a parte dextera, & Prior Dia- „ conorum a parte ſiniſtra, dedu- „ cant eum uſque ad Eccleſiam San- „ ctæ Mariæ in Turribus; ubi ante „ Altare, Subdiacono Evangelii tex- „ tum tenente, Rex ſuper eum „ corporaliter hujuſmodi præſtet „ juramentum.

Ego enim N. Rex Romanorum, annuente Domino, futurus Imperator, promitto, ſpondeo, polliceor, atque juro coram Deo, & beato Petro, me de cætero Protectorem & Defenſorem fore Summi Pontificis, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores, & jura ejus, quantum divino fultus adjutorio ſecundum ſcire & poſſe meum, recte & pura fide. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

„ Deinc ſummus Pontifex cum „ Ordinibus ſuis ad Altare proce- „ dit. Et facta ibi oratione, ad „ ſedem aſcendit, Rege cum ſuis, „ & tribus Epiſcopis, videlicet O- „ ſtienſi, & Portuenſi, & Albanen- „ ſi in Eccleſia Sanctæ Mariæ in „ Turribus remanente. Ubi a Ca- „ nonicis Sancti Petri receptus, „ Imperialibus induatur Inſignibus, „ dato ipſius Pallio Camerario do- „ mini Papæ. Qui præcedentibus „ illum Canonicis cantantibus:

Petre, amas me?

„ quum ad oſtium Baſilicæ Princi- „ pis Apoſtolorum pervenerit, quæ „ Porta argentea nuncupatur, dedu- „ centibus eum hinc inde Comite „ Lateranenſis Palatii, & Primicerio „ Judicum Romanorum, Albanenſis „ Epiſcopus ante ipſam Portam „ Argenteam hanc ſuper eum bene- „ dictionem effundat, cum.

Dominus vobiſcum.

Re-

* *An potius* præferente?

Respondent ;

Et cum spiritu tuo.

Deinde Oratio:

Deus, in cujus manu corda sunt Regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, & Imperatori nostro famulo tuo (*illi*) regimen tuæ appone sapientiæ, ut haustis de tuo fonte consiliis, & tibi placeat, & super omnia Regna præcellat. Per &c.

Quum autem inter Ecclesiam Rotæ perveniunt, Portuensis Episcopus hanc orationem super ipsum decantet:

Dominus vobiscum:

Respondent:

Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Deus inenarrabilis, Auctor Mundi, conditor generis humani, gubernator Imperii, confirmator Regni; qui ex utero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti Regem Seculis profuturum. Tu præsentatum Regem hunc cum exercitu suo, per intercessionem omnium Sanctorum, uberi benedictione ✠ locupleta, & in solium Regium summa stabilitate connecte. Visita eum, sicut visitasti Mosen in rubro (*a*), Jesum Nave in prælio, Gedeon (*b*) in agro, Samuelem in Templo, & illa (*c*) cum benedictione ✠ sidera (*d*) ac sapientiæ tuæ rore perfunde, quam beatus David in Psalterio, & Salomon filius ejus, te remunerante percepit de Cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lancea, in adversis galea, in prosperis patientia (*e*), in protectione clypeus sempiternus. Et præsta, ut gentes illi teneant fidem, Principes sui habeant pacem, diligant caritatem, abstineant se a cupiditate, loquantur justitiam, custodiant veritatem. Et ita Populus iste pullulet cœlitus benedictione æternitatis, ut semper maneant tripudiantes in pace victores. Per &c.

Qui quum ad Confessionem beati Petri pervenerit, prosternat se pronus (f) in terram. Et Prior Diaconorum super eum faciat Letaniam. Qua finita Prior Presbyterorum dicat:

Pater noster &c. Et ne nos &c.

Versus:

Salvum fac servum tuum.

Respondent:

Deus meus, sperantem in te.

Versus:

Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

Respondent:

A facie inimici.

Versus:

Nihil proficiat inimicus in eo.

Respondent:

Et filius iniquitatis &c.

Versus:

Domine exaudi &c.

Respondent:

Et clamor meus &c.

Versus:

Dominus vobiscum.

Respondent:

Et cum spiritu tuo.

Oratio:

Oremus. Prætende, quæsumus, Domine, famulo tuo dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne postulat, assequi mereatur. Per &c.

Alia Oratio.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio a te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per &c.

Post hæc procedent ad Altare Sancti Mauritii, ubi Ostiensis Episcopus ungat ei de oleo exorcizato brachium dexterum, & inter scapulas, hanc orationem dicendo:

Do-

a in rubo
b Gedeonem
c & illum
d siderea
e forte moderatio, *seu* humilitas.
f pronum

Dominus vobiscum.

Respondent:

Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Domine Deus omnipotens, cujus est omnis potestas & dignitas: te supplici devotione atque humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo N. prosperum Imperatoriæ dignitatis concedas effectum, ut in tua dispositione constituto ad regendam Ecclesiam tuam sanctam nihil ei præsentia officiant, futura nihil obsistant. Sed inspirante Spiritus Sancti dono, Populum sibi subditum æquo justitiæ libramine, regere valeat, & in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique jugiter placere contendat.

Deus, Dei Filius, Jesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exaltationis unctus est præ participibus suis: ipse per præsentem sacri ungiminis infusionem, Paracliti super caput tuum infundat benedictionem ✠, eamdemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat: quatenus hoc visibili & tractabili dono invisibilia percipere & temporali Regno justis miserationibus exsequuto, æternaliter conregnare ei merearis; qui solus sine peccato Rex Regum vivit & gloriatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti. Per &c.

„ His itaque peractis ascendat „ Rex ad Altare Sancti Petri, ut „ summus Pontifex recipiat eum „ ad osculum, sicut unus ex Dia„ conibus; ipseque procedat ad pul„ pitum vel ambonem, ubi thala„ mus constructus de lignis, & or„ natus de palliis, debet ei esse „ paratus, cum suis Archiepisco„ pis, Principibus, & Magnatibus, „ secundum capacitatem loci consi„ stat. Primicerius autem & Schola „ Cantorum in Choro ante Altare „ decantet Introitum. Et post *Ky„ rie eleison* & Hymnum Angeli„ cum decantatum, summus Pon„ tifex dicit orationem, quæ com„ petit illi diei, & hanc oratio„ nem pro ipso Imperatore.

MISSA PRO IMPERATORE.

Deus Regnorum omnium, & Christiani maxime protector Imperii, da servo tuo N. Imperatori nostro triumphum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tua constitutione est Princeps, tuo semper munere sit potens. Per &c.

Secreta oratio.

Suscipe, Domine, preces & hostias Ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui N. supplicantis, & protectione fidelium Populorum antiqua brachii tui operare miracula, ut superatis pacis inimicis, secura tibi serviat Christiana libertas. Per &c.

Ad Communionem.

Deus, qui ad prædicandum æterni Regni Evangelium, Romanum Imperium præparasti, prætende famulo tuo Imperatori nostro N. arma cœlestia, ut pax Ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum. Per &c.

„ Quumque lecta fuerit Episto„ la & Graduale cantatum, Impe„ rator procedat processionaliter „ ad Altare, ubi summus Pontifex „ imponit ei Mitram Clericalem „ in capite, ac super Mitram Im„ peratorum diadema, dicens:

Accipe signum gloriæ, diadema Regni, Coronam Imperii, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠, ut spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum omnium, sic justitiam, misericordiam, & judicium diligas, & ita juste & misericorditer & pie vivas, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo in consortio Sanctorum æterni Regni coronam percipias. Qui cum Patre &c.

„ De-

„ Deinde Sceptrum & Pomum
„ aureum tradit ei. Sciendum, quod
„ peracta commotione (a) cum
„ impositione Diadematis, dicere
„ si forte velit Apostolicus, valeat
„ orationes hujusmodi.

Oratio.

Dominus vobiscum.

Respondent:

Et cum spiritu tuo.

Prospice, quæsumus, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum famulum tuum N. ut sicut benedixisti Abraham, Isaac, & Jacob, sic illi largiaris benedictionis spiritualis gratiam, eumque plenitudinem (b) tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei, & omnium frugum opulentiam, & ex largitate divini muneris longæva tempora; ut illo regnante sit sanitas corporis in patria, pax inviolata sit Regno, & dignitas gloriosa Regalis Palatii maximo splendore Regiæ potestatis oculis hominum fulgeat, & luce clarissima coruscare atque splendescere quasi splendidissimi fulgeris maximo perfusa lumine videatur. Tribue ei, omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector patriæ, & consolator Ecclesiarum atque Cœnobiorum sanctorum maxima pietate Regalis munificentiæ; atque ut sit fortissimus Regum, triumphator hostium, ad opprimendos rebelles, & Paganas nationes, sitque suis inimicis satis terribilis, maxima fortitudine Regalis potentiæ. Optimatibus quoque, atque præcelsis Proceribus, ac fidelibus sui Regni sit munificus & amabilis & pius, & ab omnibus timeatur atque diligatur, & post gloriosa tempora, atque felicia vitæ præsentis gaudia, in perpetua beatitudine habitare mereatur.

Oratio.

Benedic ✠, Domine, quæsumus, hunc Principem nostrum N. quem ad salutem Populi nobis a te credimus esse concessum. Fac, annis esse multiplicem, salubri corporis robore ingentem ad senectutem optatam pervenire felicem. Sit nobis fiducia obtinere (c) gratiam, quam Aaron in tabernaculo, Elisæus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in Templo. Sit nobis regendi auctoritas, qualem Josue suscepit in castris, Gedeon sumsit in prœliis, Petrus accepit in Clave, Paulus est usus in Dogmate, & ita Pastorum cura tuum proficiat in ovile, sicut Isaac profecit in fruge, & Jacob est dilatatus in grege; quod ipse præstare dignetur.

Alia Oratio.

Deus Pater æternæ gloriæ sit adjutor tuus & protector & . . . benedicat ✠ tibi. Preces tuas in cunctis exaudiat, & vitam tuam longitudine dierum adimpleat. Thronum Regni tui jugiter firmet, & gentem, Populumque tuum in æternum conservet, & inimicos tuos in confusionem inducat. Et qui tribuit in terris Imperium, ipse in Cœlis conferat præmium. Qui vivit &c.

„ (d) Interpolata ergo canti-
„ lena coram Altare beati Petri præ-
„ sentatur domino Papæ super emi-
„ nenti Specula. Et Gladium eva-
„ ginatum de Altari sumit, & ei
„ tradit, curam intelligens Imperii
„ totius in Gladio; sic dicens:

Accipe Gladium desuper beati Petri Corpore sumtum per nostras ma-

a *forte* Coronatione
b plenitudine
c obtinendi.

d *Hæc in margine notantur*: His itaque gestis tunc ad ipsum Altare descendat.

manus, licet indignas, vice tamen & auctoritate Sanctorum Apostolorum consecratas, Imperialiter tibi concessum, nostræque benedictionis ✠ officio, in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ divinitus ordinatum, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Et memor esto de quo Propheta prophetavit, dicens: *Accingere gladio tuo circa femur tuum potentissime*; ut in hoc per eumdem vim æquitatis potenter exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, sanctam Dei Ecclesiam, ejusque fideles propugnes, ac protegas nec minus sub Fide filios, quam Christiani nominis hostes exsecres ac dispergas, viduas ac pupillos clementer adjuves ac defendas, desolata restaures, restaurata conserves, ulciscaris injusta, confirmes bene disposita. Quatenus in hoc agendo, Virtutum triumpho gloriosus, justitiæque ductor egregius, cum Mundi Salvatore, cujus typum geris in nomine, sine fine regnare merearis. Qui cum Deo &c.

His verbis expletis, accingit illi Ensem, iterum ita dicens:

Accingere Gladio tuo super femur tuum potentissime, & attende, quod Sancti non in Gladio, sed per Fidem vicerunt Regna.

Sed sciendum est, quod in aliquibus Libris primo datur Gladius, postea Diadema. Sed dato Gladio ponitur ista Rubrica. „ *Mox autem* „ *ut Coronandus accinctus Ense fuerit, eximit eum de vagina, viriliterque ter illum vibrat, & vaginæ continuo recommendat. Eo igitur sic accincto, & beati Petri Milite mirabiliter facto, subsequenter Apostolicus de Altari Diadema sumit, & ponit in capite Coronandi, & ait:*

„ Accipe signum gloriæ, Diadema Regni, Coronam Imperii, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ „ & Spiritus ✠ Sancti, ut spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum omnium, sic justitiam, misericordiam, & judicium diligas, & ita juste & misericorditer & pie vivas, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo in consortio Sanctorum regiam coronam percipias. Qui cum &c.

„ Illico procidens Imperator osculatur Apostolici pedes. Quibus gloriosissime gestis, Apostolicus ad eminentiam redeat in speculo tribunalis, & Imperator ad Faldistorium scandit, ei in amplo gradu sub Apostolici dextera præparatum. Qui Coronatus incedens Pomum in dextera manu portat, in sinistra Sceptrum. Et sic ad thalamum redeat. Ipsoque ibi cum suis Principibus consistente, Prior Subdiaconorum cum Subdiaconis Romanæ Curiæ, & Cappellanis Aulæ Imperialis ad pectorale dextrum ante Crucifixum argenteum, laudem Imperatori alta voce decantet hoc modo:

Exaudi, Christe.

Scriniarii vero Urbis sericis cappis induti ante pectorale, consistentes in Choro, respondeant:

Domino N. invictissimo Romanorum Imperatori & semper Augusto salus & victoria.

Qua laude tertio repetita, Prior Subdiaconorum cum suis, tribus vicibus dicat:

Salvator Mundi.

Et Scriniarii vicissim respondent:

Tu illum adjuva.

Deinde iste cum suis, duabus vicibus dicat:

Sancta Maria.

Et illi vicissim respondeant:

Tu illum adjuva.

Et sic deinceps:

Sancte Michael.

Sancte Gabriel.

Sancte Raphael.

San-

Sancte Johannes Baptista.
Sancte Petre,
Sancte Paule.
Sancte Andrea.
Sancte Stephane.
Sancte Laurenti.
Sancte Vincenti.
Sancte Silvester.
Sancte Leo.
Sancte Gregori.
Sancte Benedicte.
Sancte Basili.
Sancte Saba.
Sancta Agnes.
Sancta Cæcilia.
Sancta Lucia.
Quibus finitis, isti bis dicant:
Kyrie eleison.
Ac deinde simul omnes dicant:
Kyrie eleison.

„ Post hæc Evangelio decantato, „ Imperator Corona & Manto depositis, accedat ad summum Pontificem, & offerat ad pedes ejus „ aurum, quantum sibi placuerit. „ Ipsoque Pontifice descendente „ pro perficiendis Missarum Mysteriis ad Altare, Imperator more „ Subdiaconi offerat Calicem & „ Ampullam. Et stet ibi, donec „ Pontifex ad sedem reversus communicet, suscipiat cum osculo „ pacis. Et sic ad thalamum rediens in ambonem, resumat mantum pariter & coronam.

„ Missa finita Pontificalem benedictionem reverenter accipiat. „ Et statim procedat ad locum, „ ubi debet summus Pontifex equitare; ut quum ipse Pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellæ ejus, & arrepto fræno aliquantulum ipsum adextret. „ Moxque suum equum ascendens, „ procedat juxta summum Pontificem usque ad Ecclesiam Sanctæ „ Mariæ in Traspadina, ubi dato „ sibi osculo, non corde, sed corpore separentur. Et post Imperator ad Castra revertitur Coronatus.

„ Si vero Regina fuerit coronanda, debet super lectorium ex opposito thalamus præparari, ubi „ cum duabus ad minus Puellis, „ & aliquibus ex Principibus Imperii tam Ecclesiasticis quam „ mundanis resideat.

„ Item benedictio Reginæ vel „ Imperatricis ad ingressum Ecclesiæ sic oratur:

Omnipotens sempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis, sed dignanter comprobando eligis potius, quam & qui infirma Mundi eligendo, fortia quæque confundere elegisti, quique etiam gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu Judith fœminæ, olim Judaicæ Plebi de hoste sævissimo resignare voluisti: respice, quæsumus, ad preces humilitatis nostræ, & super hanc famulam tuam N. quam supplici devotione Reginam, vel Imperatricem eligimus, benedictionum ✠ tuarum dona multiplica, eamque dextera tuæ potentiæ semper & ubique circumda, ut in benedictione tui muniminis undique firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat, & una cum Sarra atque Rebecca, Lia atque Rachele, beatis, reverendisque fœminis, fructu uteri sui fœcundari, seu gratulari mereatur, ad decorem totius Regni, Imperii, statumque sanctæ Dei Ecclesiæ regendum, nec non & protegendum. Per Christum Dominum nostrum, qui ex intemeratæ beatæ Mariæ Virginis alvo nasci, visitare & renovare hunc dignatus est Mundum. Qui tecum vivit & gloriatur Deus in unitate Spiritus Sancti per immortalia secula seculorum.

Et post Coronationem Imperatricis, deducatur ad Altare ante summum

Pontificem, amicta Regalibus indumentis. Et summus Pontifex det super eam hanc benedictionem.

Oratio.

Deus, qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cujus providentia in sui dispositione non fallitur: qui fecisti ea, quæ futura sunt, tamquam ea, quæ sunt: qui superbos æquo moderamine de Principatu dejicis, atque humiles dignanter in sublime provehis, ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Hester Reginam, Israelitica (*a*) causam salutis, de captivitatis suæ compede solutam, ad Regis Assueri thalamum, Regnique sui consortium transire fecisti: ita hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ benedictione ✠, Christianæ plebis salutis gratia, ad dignam sublimemque Regis vel Imperatoris nostri copulam, & Regni vel Imperii sui participium misericorditer transire concedas; & ut Imperialis vel Regalis fœdere conjugii semper permanens pudica, proximam Virginitati palmam continere queat, tibique Deo vivo & vero in omnibus & super omnia jugiter placere desideret, & te inspirante quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat. Per &c.

In sacri Olei unctione dicendum.

Oratio.

Spiritus Sancti gratia, nostræ humilitatis officio in te copiosa descendat, ut sicut manibus nostris, licet indignis, oleo materiali oblita pinguescis exterius, ita ejus invisibili ungimine delibuta impinguari merearis interius, ejusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, & illicita declinare tota mente & spernere discas & valeas, & utilia animæ tuæ cogitare, jugiter optare atque operare queas, & operis, auxiliante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre & Spiritu Sancto &c.

Deinde summus Pontifex ei Mitram imponat, ita quod cornua Mitræ sint a dextris & a sinistris, & super Mitram Coronam imponat, dicendo:

Officio nostræ dignitatis in Reginam vel Imperatricem solemniter benedictam, accipe Coronam Regalis vel Imperialis excellentiæ, quia licet ab indignis, Episcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur. Unde sicut exterius auro & gemmis redimita enites, ita & interius auro sapientiæ, virtutumque gemmis decorari contendas, quatenus post occasus hujus seculi cum prudentibus Virginibus sponso perenni Domino Jesu Christo digne & laudabiliter occurrens, Regina cœlestis aulæ merearis ingredi januam, auxiliante eodem Domino nostro Jesu Christo. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat per infinita secula seculorum. Amen.

„ Coronata vero Regina reducatur ad thalamum, & post Evangelium ducatur ad oblationem, summo Pontifici exhibendam. Stetque in gradibus juxta absidam versus altare Sancti Leonis. Deinde de manu summi Pontificis post Imperatorem sacram Communionem accipiat. Et tunc ad thalamum reducta permaneat usque ad finem Missæ. Consuevit autem Imperator larga presbyteria omnibus Ordinibus exhi-

„ be-

a Israeliticæ.

„ bere, quibus ea, quum coronatur, summus Pontifex elargitur, „ videlicet Episcopis, Presbyteris, „ & Diaconis Cardinalibus, Pri- „ micerio & Cantoribus, Subdiaco- „ nis, Basilicariis, & Regionariis, „ & Universitati Cleri Romani, „ Cappellanis, & cæteris Officiali- „ bus, & Ministerialibus Curiæ, „ Præfecto Urbis, Senatoribus, Ju- „ dicibus, Advocatis, & Scrinia- „ riis, ac Præfectis Novalium. „ Consuevit etiam Rex, quando „ descendit de Monte gaudii no- „ stri, & venit ad Pontificellum, „ præstare hoc juramentum Roma- „ nis:

Ego enim N. Rex futurus Imperator, juro me servaturum Romanis bonas consuetudines suas. Sic me Deus adjuvet, (sic) adjuvet, & hæc sancta *Evangelia*.

O R D O

AD BENEDICENDUM ECCLESIAM.

„ In primis erunt præparata in „ Ecclesia quæque necessaria: idest „ Hyssopus, Vas cum Aqua, Vi- „ num, Sal, & Cinis. Et illumi- „ nentur duodecim candelæ super „ duodecim incinos ferreos, ad hoc „ impositos intrinsecus circuitum „ Ecclesiæ. Et ejectis cunctis ab „ Ecclesia, solus Diaconus recluda- „ tur in ea. Et Episcopus ante „ fores benedicat Aquam cum cæ- „ teris Ordinibus. Et Schola in- „ cipiat Letaniam, dicendo:

Christe, audi nos: *tribus vicibus*.

Deinde sequitur Exorcismus Salis. *Non dicitur* Dominus vobiscum, *nec* Oremus.

Exorcismus Salis.

Exorcizo te Creatura Salis per Deum ✠ vivum (*a*), per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ. Et efficiaris Sal exorcizatus in salutem credentium, & sis omnibus te sumentibus sanitas Animæ & Corporis. Et effugiat, atque ab eo loco, quo aspersus fuerit, omnis phantasia & nequitia & versutia Diabolicæ fraudis, omnisque Spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem.

Respondent:

Amen.

Benedictio Salis.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc Creaturam Salis, quam in usum humani generis tribuisti, benedicere ✠ & sanctificare ✠ tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis; & quidquid ex eo tactum vel aspersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est &c.

Heic non dicitur Dominus vobisc. *nec* Oremus.

Exorcismus Aquæ.

Exorcizo te, Creatura Aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in nomine Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus Sancti ✠; ut fias Aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis. Per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est &c.

Be-

a additum recentiori manus per Deum ✠ verum?

Benedictio Aquæ.

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquæ substantia condidisti: adesto invocationibus nostris, & elemento huic, multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ benedictionis ✠ infunde, ut creatura tua, mysteriis tuis serviens, ad ejiciendos Dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectus; & quidquid in Domibus vel Locis fidelium hæc Unda asperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa. Non illic resideat Spiritus pestilens, non aera corrumpens. Discedit (a) omnis insidiæ latentis inimici. Et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus Aquæ effugiat; ut salubritas per invocationem sancti tui Nominis expetita, ab omni sit impugnatione defensa. Per virtutem Domini nostri Jesu Christi. Qui venturus &c.

Heic mittat Salem in Aquam, sic dicendo:

In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ hæc commixtio Salis & Aquæ efficiatur salutare Sacramentum.

Benedictio Salis & Aquæ. Pariter heic dicitur:

Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.
Oremus.

Oratio.

Deus invictæ virtutis auctor, & insuperabilis Imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas, te, Domine, trementes & supplices deprecamur & petimus, ut hanc creaturam Salis & Aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices ✠, ut ubicumque aspersa fuerit, per invocationem tui Nominis sancti, omnis infestatio immundi Spiritus abjiciatur ..... venenosi Serpentis procul pellatur, & præsentia Sancti Spiritus nobis, misericordiam tuam poscentibus, ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem &c.

Tunc Episcopus circumeat ipsam Ecclesiam cum Clero & Populo, incipiens a sinistra parte, spargendo Aquam benedictam & fundamenta. Et Schola cantet responsorium:

Fundata est Domus Domini super verticem montium, & exaltata est super omnes Gentes. Et dicent: Gloria tibi, Domine.

Versus.

Venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos. Et dicent &c.

Dicat:

Oremus.

Et Diaconus respondeat:

Flectamus genua.
Levate.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris, & hujus Domus, cujus es fundator, esto protector. Nulla heic nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed virtute Sancti Spiritus operante, fiat heic tibi semper purum servitium, & devota libertas. Per &c.

Tunc accedat Pontifex ad ostium, per-

a Discedant omnes insidiæ latentis inimici.

percutiens cum gambuta sua super liminare semel, & dicat:

Tollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Et Diaconus intus respondeat:

Quis est iste Rex gloriæ &c.

Pontifex respondeat:

Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Et recedens ab ostio, iterum circumeat deforis ipsam Ecclesiam cum Clericis & Populo, spargendo Aquam altius. Et Clerus cantet responsorium:

Benedic, Domine, Domum istam, quam ædificavi Nomini tuo. Veniente (a) in Loco isto exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ.

Versus:

Domine, si conversus fuerit Populus tuus, & egerit pœnitentiam, veniensque oraverit in Loco isto: Exaudi &c.

Tunc iterum veniens ante ostium dicat:

Oremus.

Diaconus dicat.

Flectamus genua.

Levate.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, duos e diverso venientes ex circumcisione & præputio parietes, duosque greges etiam sub uno eodemque Pastore unisti, da famulis tuis per hæc nostræ devotionis officia indissolubile vinculum caritatis, ut nulla divisione mentium, nullaque perversitatis varietate sequestrentur, quos sub unius regimine Pastoris unus grex continet, uniusque, te custode septa concludent. Per eumdem &c.

Post hæc accedens percutiat secundo super liminare, & dicat:

Tollite portas &c.

Et Diaconus de intus ut supra:

Quis est iste &c.

Et Pontifex:

Dominus fortis &c.

Et tertiò circumeat Ecclesiam de foris, aquam spargendo altius quam secundo & cantando:

Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti Templum tuum fieri in nobis. Conserva Domum istam immaculatam in æternum, Domine.

Versus:

Tu elegisti Domum tuam, Domine, ad invocandum nomen sanctum tuum.

Versus:

Conserva &c.

Et quum venerit Pontifex ante ostium Ecclesiæ, dicat:

Oremus.

Diaconus:

Flectamus genua.

Levate.

Oratio.

Omnipotens misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur, quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites, quidquid benedicturi sumus, benedicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis. fuga Dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per &c.

Pontifex tunc accedens ad ostium percutiat tertiò super liminare Ecclesiæ, & dicat:

Tollite portas principes &c.

Et Diaconus.

Quis est iste &c.

Ut supra. Econtra Pontifex:

Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Adjiciat:

Aperite.

Tunc aperto ostio intrat solummodo cum Clericis, & dicat:

Pax huic Domui.

Re-

a Qui veniens oraverit in Loco isto, ejus exaudi.

Respondet :

In introitu vestro.

Respondet omnes :

Amen.

Recludatur ostium Ecclesiæ , & dicatur Antiphona, quæ sequitur immediate . Antiphona .

Zachæe, festinans descende; quia hodie in Domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & suscepit illum gaudens. Alleluja. Huic Domui salus facta est. Alleluja. Evoe.

Inde incipit Clerus Letaniam :

Kyrie, eleison,
Christe, eleison,
Christe, audi nos.

Pater de cælis, Deus. Miserere nobis &c.

Et prosternant se Pontifex super stramenta in medio Ecclesiæ , usque dum dicat Schola :

Agnus Dei.

Finita vero Letania , quum surrexerit Pontifex ab oratione , stans in medio Ecclesiæ, non dicat Dominus vobiscum, *sed tantum excelsa voce dicat :*

Oremus.
Flectamus genua.
Levate.

Oratio.

Præveniat nos, quæsumus, Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per &c.

„ Interim unus ex Ministris a-
„ spergat Cinerem pavimentum Ec-
„ clesiæ in modum Crucis, ita ut
„ de sinistro angulo Orientali per-
„ gat ad dextrum Occidentalem;
„ rursusque de dextro Orientali
„ vadat in sinistrum Occidentalem.

Oratio.

Magnificare, Domine Deus noster, in Sanctis tuis, & hoc in Templo tibi ædificato.... apparuit; ut qui cuncta in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hereditate lauderis. Per Dominum nostrum &c.

Deinde incipiat Pontifex a sinistro angulo Ecclesiæ ab Oriente scribere Græce per pavimentum cum gambuta sua totum Alphabetum Græcum usque in dextrum angulum occidentalem : Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Η. Θ. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ξ. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Υ. Φ. Χ. Ψ. Ω. *Incipiensque simul a dextro angulo Orientali Alphabetum Latine scribat usque ad sinistrum angulum Occidentalem :* A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Y. Z. *Interim cantent, qui cum eo sunt, Antiphonam :*

O quam metuendus est Locus iste! Vere non est hic aliud, nisi Domus Dei & Porta cœli.

Respondent :

Benedictus Dominus Deus Israel, *usque in fine.*

Gloria Patri &c.

Et repetitur Antiphona. Inde veniens ante Altare, dicat :

Deus, in adjutorium meum intende, *cum* Gloria Patri, *absque Antiphona* Alleluja.

Sequitur Benedictio Salis, & Aquæ (a).

Exorcismus Salis ita :

Exorcizo te, Creatura Salis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui Apostolis suis ait : *Vos estis Sal Terræ*. Et per Apostolum dicit : *Sit cor vestrum Sale conditum*. Ut sanctificeris ad consecrationem hujus Ecclesiæ, vel Altaris, ad expellendas omnes Dæmonum tentationes, & omnibus, qui ex te sumserint, sis animæ & corporis tutamentum, & sanitas, & protectio, & con-

a additum recentiori manu : Cineris & Vini.

& confirmatio salutis. Per eumdem &c. qui vivit &c.

Benedictio Salis.

Domine Deus, Pater omnipotens, benedic hanc Creaturam Salis ad effugandum inimicum, & ei salubrem medicinam immisce, ut ad Animæ & Corporis se sumentium proficiat sanitatem. Per &c.

Exorcismus Aquæ.

Exorcizo te, Creatura Aquæ, in nomine Dei Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus sancti ✠, ut repellas Diabolum a termino justorum, ne sit in umbraculis hujus Ecclesiæ vel Altaris. Et tu, Domine Jesu Christe, infunde Spiritum sanctum in hanc Ecclesiam tuam, sive hoc Altare, ut proficiat Sanitat Corporum Animarumque adorantium te. Et magnificent nomen tuum in gentibus, & increduli corde convertantur ad te, & non habeant alium Deum præter te Dominum solum. Qui vivis &c.

Benedictio Aquæ.

Domine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum hoc elementum aquæ in salutem humani generis esse voluisti, te supplices deprecamur, ut exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis respectu sanctifices ✠, atque ita omnium Spirituum immundorum ab ea recedat incursio, & ubicumque fuerit in nomine tuo aspersa, gratia tuæ benedictionis adveniat, & mala omnia, te propitiante, procul recedant. Per &c.

Benedictio Cineris.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus, & mittere dignare sanctum Angelum tuum de Cœlis, qui benedicat & sanctificet ✠ Cineres istos, ut sint remedium salutare omnibus, nomen tuum sanctum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, atque ante conspectum divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus. Præsta, quæsumus, per invocationem sanctissimi Nominis tui, ut quicumque eos super se asperserint, per te redemtionem peccatorum, corporis sanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per &c.

Tunc misceantur Sal & Cinis.
Et dicit:

Fiat commixtio Salis & Cineris in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen.

Et Episcopus ter faciat etiam Crucem, accipiens per singulas vices, quantum pugillo capere potest, super aquam dicens:

Hæc commixtio Salis & Cineris cum Aqua benedicta sit sanctificata ✠ ad consecrationem Ecclesiæ & Altaris, in nomine Patris ✠ Filii ✠ & Spiritus sancti ✠. Amen.

Sequitur Oratio.

Deus, invictæ virtutis auctor, & insuperabilis Imperii Rex, & semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitias superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas: Te, Domine, trementes & supplices deprecamur ac petimus, ut hanc Creaturam Salis & Cineris & Aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices ✠; ut (*a*) quicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti Nominis tui, omnis infestatio immundi Spiritus abjiciatur . . . venenosi Serpentis procul pellatur, & præsentia Sancti spiritus nobis, misericordiam tuam poscen-

a ubicumque

ſcentibus, ubique adeſſe dignetur. Per &c. in unitate ejuſdem &c.

Benedictio Vini.

Deus omnipotens, qui in Cana Galileæ vinum ex aqua feciſti, qui es vitis vera, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ digneris hanc Creaturam Vini, ut ubicumque fuſa fuerit, vel a quolibet potata, divinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur. Salvator Mundi, qui vivis &c.

Dein ponat Vinum in Aquam ipſam & dicat:

Fiat commixtio Aquæ & Vini ad conſecrationem hujus Eccleſiæ & Altaris in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ſancti ✠. Amen.

Sequitur Præfatio, ſeu Oratio abſque Oremus. *Altius hæc dicatur:*

Deum Patrem omnipotentem, fratres cariſſimi, in cujus Domo manſiones multæ ſunt, ſupplices deprecamur, ut habitaculum iſtud, vel Altare benedicere ✠ & cuſtodire dignetur per aſperſionem hujus Aquæ cum Vino mixtæ, ut tenebras ab eo repellat, & lumen infundat, nullam ſævienti adverſario tribuat poteſtatem, ſed propria ſit Domus Dei vel Altare, ut nullam in ea inimicus habeat licentiam nocendi. Per Chriſtum Dominum &c.

Benedictio Aquæ cum Vino mixtæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, Creator & conſervator humani generis, & dator gratiæ ſpiritualis, atque largitor æternæ ſalutis, mitte Spiritum tuum Sanctum ſuper hoc Vinum cum Aqua mixtum, ut armatum cœleſtis defenſione virtutis ad conſecrationem hujus Eccleſiæ, vel Altaris tui proficiat. Per &c. in unitate ejuſdem &c.

Tunc ingrediens Epiſcopus ad Altare primum cum pollice ſuo de ipſa Aqua ſancta faciat Crucem in medio Altaris, dicens:

Sanctificetur hoc Altare in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠. Amen.

Pax tecum:

Et cum ſpiritu tuo.

Dein in dextera parte atque ſiniſtra per quatuor cornua Altaris, cum hyſſopo aſpergant ipſum Altare tribus vicibus vel ſeptem, canendo Antiphonam:

Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor. Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Miſerere.

Deinde circumeat ipſam Eccleſiam, Aquam ſanctam ſpargendo per parietes ad fundum, incipiens a dextra parte Orientis, uſquedum iterum redeat in Orientem. Et cantetur Epiſtola:

Antiphona.

Hæc Domus Domini firmiter ædificata, bene fundata eſt ſupra firmam petram.

Pſalmus:

Lætatus ſum &c.

Iterum ſimiliter circumeat ipſam Eccleſiam, ſpargendo Aquam altius; ſimiliter canendo:

Exſurgat Deus, & diſſipentur &c. *cum eodem Pſalmo.*

Tertio ſimiliter circumeat ipſam Eccleſiam, ſpargendo altius quam ſecundo Aquam, & cantando hanc Antiphonam.

Qui habitat in adjutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Poſtea Pſalmum ipſum. Deinde aſpergat Aquam in modum Crucis per medium Eccleſiæ in longum & in latum per pavimentum, cantando Antiphonam:

Domus mea Domus orationis vocabitur.

Verſus.

Narrabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Eccleſiæ laudabo te.

Et:

Et:

Gloria Patri &c.

Tunc Episcopus stans in medio Ecclesiæ, dicat:

Oremus.

Diaconus:

Flectamus genua.

Levate.

Oratio.

Deus, qui Loca Nomini tuo dicanda sanctificas ✠, effunde super hanc orationis Domum gratiam tuam, ut ab omnibus, heic invocantibus Nomen tuum, auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per &c.

Iterum dicat excelsa voce:

Oremus.

Diaconus:

Flectamus genua.

Levate.

Et sequatur hæc Oratio in consecratione Ecclesiæ.

Oratio.

Deus, sanctificationum dominator, cujus pietas sine fine sentitur: Deus, qui cœlestia simul & terrena complecteris, serva misericordiam tuam Populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ. Exaudi preces servorum tuorum, ut sint oculi tui aperti super Domum istam die ac nocte. Hanc quoque Basilicam in honorem sanctæ & victoriosissimæ Crucis, & Sancti N. sacris Ministris institutam clementissimus ✠ dedica, miseratus ✠ illustra, proprio splendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare te in Loco isto placatus admitte. Propitius respicere dignare, & propter Nomen tuum magnum, manum fortem & brachium excelsum in hoc habitaculo (*a*). Supplicantes liberes (*b*) protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva, ut semper felices, semperque in tua Religione lætantes, constanter in Sanctæ Trinitatis confessione Fide Catholica perseverent. Per &c.

Dein dicat excelsa voce:

Per omnia secula seculorum.

Respondent:

Amen.

Dominus vobiscum.

Respondent:

Et cum spiritu tuo.

Sursum corda.

Respondent:

Habemus ad Dominum.

Gracias agamus Domino Deo nost.

Respondent:

Dignum & justum est.

Præfatio.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere; Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, adesto precibus nostris, adesto Sacramentis, adesto etiam piis famulorum tuorum laboribus, nobisque misericordiam tuam poscentibus. Descendat quoque in hanc Ecclesiam tuam, quam sub invocatione sancti Nominis tui in honore Sanctæ Crucis, in qua coæternus tibi Filius tuus Dominus noster Jesu Christus pro redemtione Mundi pati dignatus est, & Sancti Martyris tui N. indigni consecramus, Spiritus Sanctus tuus, septiformis gratiæ ubertate redundans; ut quotiescumque in hac Domo tua sanctum Nomen tuum fuerit invocatum, eorum, qui te invocaverunt, a te pio Domino preces exaudiantur. O beata & sancta Trinitas, quæ omnia purificas, omnia mundas, & omnia perornas! O beata Majestas Dei, qua cuncta reples, cuncta contines, & cuncta disponis! O beata & sancta Manus Dei, quæ omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas! O San-

a Supple: extende. *b* Supplicantes libera, eos protege.

Sancte Sanctorum Deus, tuam clementiam humillima devotione deposcimus, ut hanc Ecclesiam tuam per nostræ humilitatis famulatum in honore Sanctæ victoriosissimæ Crucis, & Sancti Martyris tui N. purificare ✠, benedicere ✠, consecrareque perpetuæ sanctificationis tuæ ubertate digneris. Heic quoque Sacerdotes sacrificia laudis offerant, heic fideles populi vota persolvant, heic onera peccatorum solvantur, fidelesque lapsi reparentur. In hac ergo, quæsumus, Domine, Domo tua, gratia Sancti Spiritus ægroti sanentur, infirmi recuperentur, claudi curentur, leprosi mundentur, cæci illuminentur, Dæmonia ejiciantur; cunctorum heic debilium incommoda, te, Domine, annuente pellantur, omniumque vincula peccatorum absolvantur; ut omnes, qui hoc Templum, beneficia juste deprecaturi, ingrediantur, cuncta se impetrasse lætentur; ut concessa misericordia, quam precantur, perpetuæ miserationis tuæ munere glorientur. Per &c.

Hac expleta eat Pontifex ante Altare, & Schola cantet:

Antiphona.

Introibo ad Altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Psalmus:

Judica me, Deus, & discerne &c.

„ Tunc fundat Episcopus de ipsa Aqua ad basim Altaris, & de ea, quæ remanserit, faciat maltam cum calce & tegula, & Aqua benedicta. His ita peractis extergatur Mensa mundo linteo. Dein vadit Pontifex cum Clero & populo ad eum locum, in quo Reliquiæ præterita nocte cum Vigiliis celebratæ fuerunt. Sed antequam ingrediatur in tentorium Episcopus dicat hanc orationem:

Aufer a nobis, Domine, quæsumus, omnes iniquitates nostras, ut ad Sancta sanctorum puris mentibus mereamur introire.

Post ingressum autem Tentorii Clerus cantat:

O quam gloriosum est Regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti! Amicti stolis albis sequuntur Agnum, quocumque ierit.

Psalmus:

Gaudete justi in Domino &c.

Antiphona:

Movete, Sancti Dei, de mansionibus vestris. Ad loca festinate, quæ vobis præparata sunt.

Versus:

Ecce populus custodiens judicium, & faciens veritatem. In te speraverunt, Domine, usque in æternum.

Versus:

Via Sanctorum recta facta est, & iter Sanctorum præparatum.

Psalmus.

Venite. Exsultemus Domino &c.

Hoc finito dicat Episcopus hanc Orationem.

Fac, nos, Domine, Sanctorum tuorum specialiter dicata membra contingere, quorum cupimus patrocinia incessanter habere. Per &c.

„ Tunc elevent ipsas Reliquias in feretro præparatas, Presbyteris portantibus eas cum honore & laudibus, cum Cruce & thuribulis incensatis, ac luminaribus; & eant simul psallendo hanc Antiphonam:

Cum jucunditate exiistis, & cum gaudio ducemini. Nam & montes & colles exsilient exspectantes vos cum gaudio:

Antiphona.

Ambulate, Sancti Dei. Ingredimini in Civitatem Domini. Ædifica-

cata eſt enim vobis Eccleſia nova, ubi populus adorare debeat Majeſtatem Domini.

Antiphona.

Ambulate, Sancti Dei, ad locum deſtinatum, qui vobis præparatus eſt.

„ Tunc, antequam Pontifex in-
„ troeat Eccleſiam, ipſe & portan-
„ tes feretrum cum Reliquiis, cir-
„ cumeant Eccleſiam cum Clero,
„ cantando:

Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi, in titulum. Et vocabitur Domus Dei, & de univerſis, quæ dederis mihi, Decimas & hoſtias pacificas offeram tibi.

Verſus:

Si reverſus fuero proſpere ad Domum Patris mei, Decimas &c.

Populus vero ſequens cum mulieribus & parvulis cantet:

Kyrie, eleiſon.

„ His itaque per ordinem ge-
„ ſtis, quum redierit Pontifex ad
„ oſtium Eccleſiæ, facto ſilentio,
„ habet verbum ad plebem de ho-
„ nore Eccleſiaſtico, de decimis,
„ & obligationibus Eccleſiarum, ac
„ de anniverſario Eccleſiæ ipſius ac
„ Dedicatione. Et annuntiat Clero
„ & Populo in cujus honore con-
„ ſtructa & dedicata ſit Eccleſia,
„ & nomina Sanctorum ibi quie-
„ ſcentium. Ipſe autem Dominus
„ & conſtructor ipſius Eccleſiæ te-
„ neatur de dote illius, & qua-
„ lem Eccleſiæ honorem & Preſ-
„ byteris debeat exhibere. Illo au-
„ tem profitente, ſe juſſa Præſulis
„ impleturum: Epiſcopus, ante-
„ quam intret Eccleſiam, ſignet
„ oſtium Eccleſiæ, & ipſam Eccle-
„ ſiam ſigno Crucis, & dicat o-
„ rationem.

Oremus. Domum tuam, quæſumus, Domine, clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi conſtrue manſionem, & præſta, ut Domus hæc, quæ de tua ſubſiſtit dedicatione ſolemnis, tua fiat habitatione ſublimis. Per &c.

Hac finita accipiat feretrum Pontifex cum Presbyteris, & ingrediendo dicat Schola:

Antiphona:

Ingredimini, Sancti Dei. Præparata eſt enim a Domino habitatio ſedis veſtræ. Sed & Populus fidelis cum gaudio inſequitur iter veſtrum, ut oretis pro nobis majeſtatem Domini. Alleluja.

Et quum pervenit ad locum in quo Reliquiæ recondendæ ſunt, extenſo velo inter Clerum & Populum ante Altare Epiſcopus ponat Chriſma in confectione per quatuor angulos in Cruce, dicens:

Conſecretur hoc Sepulcrum in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spirituus Sancti ✠. Amen. Pax tibi.

Deinde recondat Reliquias reverenter cum tribus granis incenſi, & qui circa eum ſunt, cantent hanc Antiphonam.

Exſulabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

Pſalmus:

Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Eccleſia Sanctorum.

Et Epiſcopus dicat hanc Orationem:

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator aſſiſtis, exaudi nos, quæſumus, & concede, ut inviolabilis hujus Loci permaneat Conſecratio, & beneficia tui muneris univerſitas fidelium, quæ ſupplicat, percipere mereatur. Per &c.

Et accipiens tabulam, confirmat ea Chriſmate in medio, dicens:

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Pax tibi. Et cum ſpiritu tuo.

Tunc

Tunc imponat tabulam ſuper Reliquias, & Clerus cantet Antiphonam:

Sub Altare Dei ſedem accepiſtis. Intercedite pro nobis ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Pſalmus:

Exſultate juſti &c.

Poſtea dicit Epiſcopus hanc orationem.

Oratio.

Deus, qui ex omni (ſic) coaptione Sanctorum æternum majeſtatis tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœleſtia, & præſta, ut quorum heic Reliquas pro amore tuo complectimur, eorum ſemper interceſſionibus & meritis adjuvemur. Per Dominum.

„ Tunc liniant Miniſtri, & optime fument ipſam Menſam cum calce, quæ antea fuerat præparata cum Aqua benedicta. Poſtea deferant incenſum. Et dum Epiſcopus cum eo facit Crucem ſuper Altare, dicat Antiphonam:

Dirigatur, Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.

Antiphona:

Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli.

„ Tunc de Oleo ſanctificato ad Catechumenos faciat Crucem Epiſcopus in medio Altaris, & per quatuor angulo Altaris ungat totum ipſorum lapidem manu ſua de Oleo ſanctificato, per unamquamque infuſionem dicens:

Conſecrare ✠ & ſanctificare ✠ digneris, Domine, lapidem iſtum per iſtam inunctionem & noſtram benedictionem. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Interim cantatur Antiphona:

Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum deſuper.

Pſalmus:

Quam amabilia.

„ Et ſemper Sacerdos præparatus faciat incenſum per circuitum Altaris, donec Conſecratio finiatur. Iterum autem de eodem Oleo ſancto faciat Crucem Pontifex in medio Altaris, & ponat per omnes angulos Altaris, & dicat:

Mane ſurgens Jacob erigebat lapidem in titulum; fundens oleum deſuper votum vovit Domino. Vere locus iſte ſanctus eſt, & ego neſciebam.

Pſalmus.

Dominus noſter refugium &c.

„ Hoc facto accipiat Chriſma, & ſimiliter ſicut de oleo, perungat Lapidem, cantando Antiphonam.

Ecce odor Filii mei, ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Creſcere te faciat Deus meus, ſicut arenam maris, & donet tibi de rore cœli benedictionem.

Pſalmus:

Fundamenta &c.

„ Deinde in circuitu Eccleſiæ eat Epiſcopus intus, & faciat Crucem cum pollice ſuo de ipſo Chriſmate in duodecim locis introrſus, dicens in unoquoque ita:

Sanctificetur hoc Templum in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Pax tibi.

Et cum &c.

Et Schola dicat Antiphona:

Hæc eſt Domus Domini firmiter ædificata: Bene fundata eſt ſupra firmam petram.

Pſalmus:

Lauda Hieruſalem &c.

Ite-

Iterum autem Episcopus offerat incensum super Altare, & cantet Antiphonam.

Ædificavit Moyses Altare Domino Deo.

Hoc facto dicat Episcopus.

Oremus.
Flectamus genua.
Levate.

Oratio.

Dei Patris omnipotentis misericordiam deprecemur, dilectissimi fratres, ut hoc Altare sacrificiis spiritualibus consecrandum, nostræ vocis exoratus officio præsenti benedictione ✠ sanctificet, & in eo semper oblationes famulorum (*a*) tuorum studio suæ devotionis . . . benedicere ✠ & sanctificare dignetur, ut spirituali placatus incenso præsenti familiæ suæ promtus exauditor exsistat. Per &c.

„ Heic ponat incensum in me-
„ dio, & in quatuor angulis Al-
„ taris, & incendatur, & dicatur:

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Domine.

Versus:

Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Sequitur oratio:

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens & propitius, preces humilitatis nostræ exaudi, & respice ad hujus Altaris holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusa Spiritus Sancti gratia in odorem suavitatis ascendat, & legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, & ad vitam proficiat sempiternam. Per &c.

Sequitur Altaris Consecratio.

Oremus.

Diaconus.

Flectamus genua.
Levate.

Oratio:

Quæsumus, omnipotens Deus, in cujus honore hoc Altare consecramus, clemens & propitius preces nostræ humilitatis exaudi, & præsta, ut in hac Mensa sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, & Sancti Spiritus tui semper rore perfusa, ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias desiderata confirmes, postulata concedas. Per &c.

Dein dicat excelsa voce in modum Præfationis:

Per omnia secula seculorum.

Respondeant:

Amen.
Dominus vobiscum.

Respondeant:

Et cum spiritu tuo.
Sursum corda.

Respondeant:

Habemus ad Dominum.
Gratias agamus Domino Deo nostro.

Respondeant:

Dignum & justum est.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & ut propensiori cura, & ut attentiori famulatu tibi servitutis officia deferamus hoc præsenti in tempore, quo religiosarum mentium habitum ultra . . . tum ornatum delegisti, & Templum istud, in quo (*b*) Sanctorum tuorum (*illorum*) mentio habetur, benedicere ✠ & sanctificare ✠ dignare, per quorum sacram reverentiam & honorem sanctissimo Nomini tuo hoc Altare dedicamus. Horum

a suorum. *b additum in margine:* gloriosæ semperque Virginis Mariæ.

rum igitur, Domine, efflagitatus precibus dignare hoc Altare cœlesti sanctificatione ✠ perfundere & benedicere ✠. Assistant Angeli claritatis, & Sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit illius quoque apud te gratiæ, cujus fuit illud, quod Abraham pater fidei nostræ figuram redemtionis Filium immolaturus exstruxit: quod Isaac in conspectu tuæ Majestatis instituit: quod Jacob Dominum (*a*) magna videns erexit; ut heic orantes exaudias, heic oblata sanctifices ✠, heicque supposita benedicas ✠, heic quoque benedicta ✠ distribuas. Sit ergo Ecclesiæ tuæ titulus sempiternus, sit Mensa cœlestis, spiritualique convivio præparata. Tu ergo, Domine, proprio ore tuo hostias super eam impositas benedicito ✠, & benedictas suscipito, atque nobis omnibus tribue, ut participatione earum vitam acquiramus æternam.

Dicat submissa voce:

Per Dominum &c. in unitate ejusdem &c.

Hanc dicat:

Oremus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens ac propitius preces nostræ humilitatis exaudi, & respice ad hujus Altaris holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusa Sancti Spiritus gratia in odorem suavitatis tuæ ascendat, & legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, & ad vitam proficiat sempiternam. Per &c. in unitate ejusdem &c.

Alia oratio eodem modo.

Majestatem tuam, Domine, humiliter imploramus, ut Altare hoc sanctæ unctionis libramine ad suscipienda Populi tui munera inunctum potenter benedicere ✠ & sanctificare digneris, ut quod nunc a nobis indignis sub tui nominis invocatione in honore & nomine Sancti Martyris tui (*illius*) sacrosancti Chrismatis est unctione delibutum, placeat tibi; atque Altare maneat perpetuum; ut quidquid deinceps super illud oblatum, sacratumve fuerit, dignum tibi sit holocaustum; atque omnium heic offerentium sacrificia a te pio Domino benigniter suscipiantur, & per ea peccatorum nostrorum vincula absolvantur, maculæ deleantur, venia impetretur, gratiæ acquirantur, quatenus una cum Sanctis tuis & Electis vitam percipere mereamur æternam. Per &c.

Heic ungatur frons lapidis in modum Crucis Chrismate, & dicatur Antiphona:

Confirma hoc, Dominé, quod operatus es in nobis a Templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. Alleluja, alleluja.
Gloria &c.

Deinde teneant Subdiaconi, vel Acolythi linteamina, vel omnia ornamenta Ecclesiæ, seu vasa sacra, quæcumque ad cultum Dei & Ecclesiæ pertinere videntur. Et benedicat Pontifex ea juxta hunc morem.

BENEDICTIO LINTEAMINUM ALTARIS.

Oratio.

Dominé, Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia & necessaria creasti, vestimenta quoque Pontificalia Sacerdotibus & Levitis tuis, & ornamenta & linteamina facere fa-

a Domino.

famulum tuum Moysen per quadraginta dies docuisti, sive etiam ea, quæ Maria texuit, & fecit in usum ministerii Tabernaculi fœderis, sanctificare ✠, benedicere ✠, consecrareque ✠ digneris hæc linteamina in usum Altaris tui, ad ipsum tegendum, & supra ea conficiendum Corpus & Sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit &c.

Item benedictio ad linteamina, & alia quæ opus fuerint in sacro ministerio.

Oratio.

Exaudi, Domine, preces nostras, & hæc linteamina, aliaque indumenta, necnon & vasa sancti Altaris & Ecclesiæ tuæ, cunctaque sacri ministerii usui præparata benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris. Per &c.

His finitis Episcopus cum Clero cantet Antiphonam.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt, & vivent nomina eorum in æternum.

Dein Diaconi vestiant Altare, Episcopo & Schola cantantibus Antiphonam:

Circumdate Sion Levitæ, Altare Domino Deo vestite vestimentis albis. Estote & vos canentes hymnum novum, dicentes, Alleluja.

Versus:

Mirabilis Deus in Sanctis suis. Gloria Patri &c.

Postea offerat incensum; & facta super Altare Cruce, dicatur ter Antiphona:

Omnis Terra adoret te, & psallat tibi. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Et dicat Episcopus Orationem.

Oratio.

Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc Altare, quod & Populi tui dona sanctificet, & sumentium corda purificet. Per &c.

Post velatum Altare Oratio:

Omnipotens sempiterne Deus, Altare hoc tuo Nomini dedicatum, cœlestis virtutis benedictione sanctifica, & omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende, ut hoc & Sacramentorum virtus & etiam votorum obtineatur effectus. Per &c.

Dein revertatur Pontifex in Sacrarium, & ibi sit, donec ornetur Ecclesia, & accendantur luminaria. Et incipit Cantor introitum Missæ.

Introitus:

Terribilis est Locus iste. Heic Domus Dei est & porta Cœli, & vocabitur Aula Dei.

Psalmus:

Quam amabilia &c.
Kyrie, eleison &c.
Gloria &c.

Oratio.

Deus, qui invisibiliter omnia contines, & tamen pro salute humani generis, signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis, Templum hoc Majestatis tuæ inhabitatione illustra, & concede, ut omnes qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint, consolationis tuæ beneficia consequantur. Per &c.

Ut in Missali Epistola:

Vidi Civitatem sanctam Hierusalem &c.

Graduale:

Locus iste a Deo factus est inæstima-

mabile Sacramentum. Irreprehensibilis est.

Versus:

Deus, cui adstat Angelorum Chorus, exaudi preces servorum tuorum, Alleluja.

Versus:

Adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo, alleluja.

Versus:

Bene fundata est Domus Domini suprafirmam petram.

Evangelium secundum Lucam:

Egressus Jesus perambulabat Hierico &c.

Offerenda.

Domine Deus, in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa, & Populum tuum, qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio. Deus Israel custodi hanc voluntatem.

Secreta:

Deus, qui sacrandorum tibi actor es munerum, effunde super hanc orationis Domum benedictionem tuam, ut ab omnibus, in ea invocantibus nomen tuum, defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per &c.

Benedictio super Populum ante Pax Domini.

Oratio:

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos hodierna die ad dedicationem istius Aulæ dignatus es adjuvare, ipse nos cœlesti benedictione dignetur (*a*) locupletare. Per &c.

Respondetur:

Amen.

Alia Oratiò.

Concedat vobis fieri Templum suum, & habitaculum Spiritus Sancti, qui proprium Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum pro nobis elegit immolari.

Respondetur:

Amen.

Alia Oratio.

Quatenus mente & corpore purificati habitatione Dominum in vobismetipsis semper habere possitis, & æternæ beatitudinis hereditatem cum Sanctis & Electis possidere valeatis.

Respondetur:

Amen.

Et dicat Episcopus:

Et pax ejus sit semper vobiscum.

Respondeat Chorus:

Et cum spiritu tuo.

Sequitur:

Agnus Dei, qui tollis &c.

Post Communionem.

Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus. In ea omnis, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.

Oratio post Communionem.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut in hoc Loco, quem Nomini tuo indigni dedicavimus, cunctis petentibus aurem tuæ pietatis accommodes. Per &c.

BENEDICTIO POLIANDRI, SEU CEMETERII.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, locorum omnium sanctificator & reformator in melius, a quo & per quem omnis benedictio de Cœlis descendit in Terras: benedicere ✠ dignare Locum istum, ut sit Poliandrum, seu Cemeterium, vel dulcis requies & pausatio Mortuorum, quo Animæ, quarum Corpora heic sepulta vel sepelienda sunt, jucunditatis dulcedine potiantur, sintque interim in superna Hierusalem gaudentes & lætantes, donec in magni Judicii die de sepulturis propria Corpora recipiant, & sic venienti Domino ad judicandum obviam

a dignare.

viam cum fructu bonæ operationis occurrant. Per eumdem &c.

RECONCILIATIO ECCLESIÆ VIOLATÆ.

Primum veniat Episcopus, & ante ipsam Ecclesiam dicat hanc Orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sacerdotibus tuis præ cæteris tantam gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, & quidquid benedicturi, ✠ benedicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum Sanctorum tuorum meritis fuga Dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum.

Oratio.

Aufer a nobis, quæsumus, Domine, omnes iniquitates nostras, ut ad Loca nomini tuo purificanda, puris mentibus accedere mereamur. Per &c.

Tunc intret Pontifex in Ecclesia cum Clero, Letaniaque. His peractis dicat:

Oremus.

Diaconus:

Flectamus genua.

Levate.

Oratio.

Deus, qui peccati veteris hereditariam mortem, in quo posteritatis genus omne successerat, Christi Filii tui Domini nostri passione solvisti: dona propitius, ut conformes ejusdem facti, sicut imaginem terreni Serpentis naturæ necessitate portavimus, ita imaginem cœlestis gratiæ sanctificatione portemus. Per virtutem ejusdem Christi tui Domini nostri, qui tecum vivit &c.

Tunc benedicat Aquam cum Sale & Vino & Cinere mixtam, & circumeat tribus vicibus intrinsecus Ecclesiam, spargendo Aquam, ac purificando Loca contaminata, & dicat hanc Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor. Lavabis me, & super nivem dealbabor. Miserere mei, Deus.

Oratio.

Deum indultorem criminum, Deum sordium mundatorem, Deum qui concretum peccatis originalibus Mundum adventus sui nitore purificavit, fratres carissimi, supplices deprecamur, ut contra Diaboli furentis insidias fortis propugnator adsistat; ut si quid ejus venenosa calliditas quotidianis infectationibus maculatum, in nobis corruptumque perpetraverat, efficiat cœlesti miseratione purgatum, quod fuerat Diaboli fraude pollutum; quia sicut illius est solidum perfectumque quassare, ita nostri Auctoris est, lapsa restituere, nutantia stabilire. Qui tecum &c.

Dicat alta voce.

Per omnia secula seculorum.

Respondeant:

Amen.

Dominus vobiscum.

Respondeant:

Et cum spiritu tuo.

Sursum corda.

Respondeant:

Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Respondeant:

Dignum & justum est.

Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus immensa bonitas ut non habuit principium, ita nec terminum habet: qui divina naturalique pietate plenius eligis in nobis magis restituere perdita, quam per-

cutere peritura, & si quid aut negligentia polluit, aut ira committit, aut ebrietas stimulat, aut libido subvertit, clementi patientia sustines, ut ante per gratiam purifices quam percutias per furores, & operis tui providus, plasmatis eligis potius erigere jacentia, quam punire damnanda: te suppliciter deprecamur, ut hujus tabernaculi receptaculum placatus accipias, & Altare tuum, quod insectantis est inimici fraude pollutum, per infusionem gratiæ cœlestis purifices, purificatumque possideas. Absint in posterum omnes nequitiæ spirituales, & eliminetur, exstinguaturque antiqui Serpentis invidia, & cum fraudibus suis turba Diaboli propellatur. Afferat secum maculam, quam ingessit, & perennibus inferni suppliciis deputandus operum suorum semina secum colligat peritura. Nihil heic postmodum noceat præteriti culpa contagii; nihil sit, quod remaneat inimici fraude pollutum. Quod quandoquidem per Spiritus tui est infusionem purgatum, resurgat Ecclesiæ tuæ pura simplicitas, & candor innocentiæ hactenus maculatus, dum receperit gratiam resurgat ad gloriam; ut populorum heic turba conveniens, dum petitionis ingerit vota, votorum sentiat se obtinuisse suffragia. Per &c. in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus &c.

Tunc cantet Antiphonam cum eodem Psalmo Antiphona:

Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant a facie ejus, qui oderunt eum.

Oratio.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator adsistis, exaudi nos, quæsumus, & concede, ut in posterum inviolabilis hujus Loci permaneat Consecratio, & beneficia tui muneris universitas Sanctæ Ecclesiæ, quæ supplicat, percipere mereatur. Per &c.

Deinde cantet Antiphonam:

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a Templo sancto tuo, quod est in Hierusalem. Alleluja, alleluja.

Et cum istis versibus:

Narrabo nomen tuum fratribus meis.

Respondent:

In medio Ecclesiæ laudabo te.

Versus:

Qui timetis Dominum, laudate eum.

Respondent:

Universum semen Jacob magnificate eum.

Versus:

Timeat eum omne semen Israel.

Respondent:

Quoniam non sprevit, neque despexit preces pauperum.

Versus:

Nec avertit faciem suam a me.

Respondent:

Et dum clamarem ad eum, exaudivit me.

Versus:

Gloria Patri &c.

Oratio:

Deus, qui Ecclesiam tuam de omnibus Mundi finibus congregatam per tui lateris admirabile sacramentum, cunctarum gentium Matrem esse dixisti; qui etiam Populorum varietate depictam Martyrum tuorum meritis decorasti: benedic ✠, Domine, quæsumus, Sanctorum tuorum opitulante suffragio tam Altare, quod eorum, te juvante, exornatur Reliquiis, quam Ecclesiam; atque fidelium tuorum offerentium vota sanctifica. Qui cum Deo Patre &c.

BENEDICTIO LAPIDIS IN ARA.

Deum omnipotentem, fratres dile-

lectissimi, vocibus exsultantibus deprecemur, ut qui per omnem Mundum Fidem sparsit & Ecclesiam congregavit, qui & Lapis excisus de Monte Sion sine manibus angularem compagem solidavit, ut hanc Petram serenus illustret, eam æterno lumine irrigatam ita multiplicibus ac diversis chrismatibus locupletet ✠, ut super illam administrandam Corporis sui hostiam benedicat, & suscipiat consecratam. Qui vivit &c.

Consecratio Lapidis.

Exaudi nos, Deus noster, & precum nostrarum libenter accipe vota, & hoc Altare ad celebranda divina Mysteria præparatum, odore unguenti cœlestis asperge, & aromata divinæ sanctificationis illi infunde, ut sicut Lapidem Jacob Patriarchæ erectum unguenti perfusione dicasti, & Angelicis visionibus per scalam gradus Ecclesiæ figurasti, sic super hunc Lapidem Altari coaptandum, cœlestis gratiam benedictionis immitte, ut dum super eum Sacrum Corpus & Sanguis Unigeniti tui consecrantur, petentibus peccata dimittantur, & mentibus influas gratiam sempiternam. Per &c.

„ Tunc accipiens Pontifex tabulam, aspergat eam Aqua benedicta; datis odoribus incensi, postmodum cum Chrismate Crucem faciat in capsa, ubi debent poni Reliquiæ in medio & per quatuor angulos, dicens:

Consecretur hoc Sepulcrum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Pax tecum,

Et cum spiritu tuo.

„ Deinde recondit Reliquias veneranter cum tribus granis incensi. Et qui circa eum sunt, dicant Antiphonam:

Exsultabunt Sancti in gloria, letabuntur in cubilibus suis.

Psalmus.

Cantate Domino canticum novum; laudatio ejus in Ecclesia Sanctorum.

„ Dein per quatuor angulos ipsius Lapidis Crucem facit cum oleo Sancto, & perungat totum Lapidem, dicens:

Consecrare ✠, sanctificare ✠ digneris, Domine, Lapidem istum per istam unctionem & nostram benedictionem ✠. Per Christum Dominum &c.

„ Tunc imponat Lapidem super Reliquias, primo liniens intus capsellam cum colla. Et dicatur, quum ponit Reliquias, Antiphona:

Sub Altare Dei sedem accepistis: Intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

Psalmus.

Exsultate justi in Domino. Rectos decet collaudatio.

„ Dein confirmat Lapidem cum Chrismate in medio, & per quatuor angulos Consecrationis, Crucem faciendo, dicens:

In nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠. Amen.

Pax tecum.

Respondent:

Et cum spiritu tuo.

„ Dein faciat incensum accendi in quatuor angulos & medio. Et dicat Antiphona:

Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Antiphona:

Ascendit fumus aromatum in conspectu Dei de manu Angeli.

„ Deinde dicat has sequentes orationes.

Deus, qui ex omni coaptione Sanctorum æternum Majestati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia, & præsta, ut quorum heic Reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Dominum,

Alia

Alia Oratio.

Lapidem hunc, fratres cariſſimi, in quo unguentum ſacræ unctionis effunditur, ad ſuſcipienda Populi ſui vota & ſacrificia, oremus, ut Dominus conſecret, & benedicat ✠; quod eſt unctum a nobis, ſit unctum in nomine ejus, ut Plebis vota ſuſcipiat, & Altari per ſacram unctionem perfecto dum propitiationem ſacrorum imponimus, ipſi propitiatores Dei eſſe mereamur. Per &c.

Alia Oratio.

Supplices tibi, Domine Deus, Pater omnipotens, preces effundimus, ut metalli hujus expolitam materiam, ſupremis ſacrificiis imbuendam, dotare ſanctificationis ubertate, qui digneris quondam ſcripſiſti lapideis Legem in tabulis. Per.

Præfatio.

Per omnia ſecula ſeculorum.

Reſpondent:

Amen.

Dominus vobiſcum.

Reſpondent:

Et cum ſpiritu tuo.

Surſum corda.

Reſpondent:

Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Reſpondent:

Dignum & juſtum eſt.

Præfatio:

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui poſt offendicula lapſus primi Hominis inſtituiſti tibi offerri deliniamenta libaminis, ut culpa, quæ præceſſerat per ſuperbiam, futuris temporibus expiaretur per munera, quibus honorarentur Altaria, honorificaretur & Templum. Adſit igitur miſericordiæ tuæ ineffabilis pietas, & ſuper hunc Lapidem opem tuam benedictionis ✠ infunde, ut te largiente referat præmium quiſquis intulit votum, per eum, qui ſe angularem Lapidem & ſaxum ſine manibus exciſum nominari voluit noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus. Qui tecum &c.

Alia Oratio.

Quæſumus, omnipotens Deus, univerſarum rerum rationabilis Artifex, qui inter cæteras creaturarum formas lapideum metallum ad obſequium tui Sacrificii condidiſti, ut legis libationi pararetur Altare; annue dignanter, ut quidquid heic oblatum, ſacratumque fuerit nomini tuo, aſſurgat nomine tuo, proficiat Spei, & unitati Fidei ſit honori. Per &c.

BENEDICTIO PERÆ

ET BACULI PEREGRINANTIBUS NON EST IN ORDINARIO DOMINI PAPÆ.

Domine Jeſu Chriſte, qui tua ineffabili miſeratione, Patris viſione, Spiritus ſancti operatione &c.

Heic traditur Pera, & dicatur.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti accipe hanc Peram, ſignum peregrinationis tuæ, ut bene caſtigatus & ſalvus & bene emendatus pervenire merearis ad limina Sanctorum, & peracto itinere tuo ſoſpes ad propria reverti merearis. Per eumdem Dominum &c.

Ad Baculum dandum dicatur Oratio:

Accipe Baculum hunc in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ſuſtentationem tui laboris ac peregrinationis tuæ, ut &c.

Alia Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es via, veritas, & vita, iter veſtrum

ſtrum in beneplacito ſuo diſponat, Angelum ſuum Raphaelem &c.

Super Crucem ejus, qui iturus eſt Hieroſolymam, dicatur In directum *cum* Gloria Patri, *& Pſalmo* Qui habitat in adjutorio altiſſimi.

Pater noſter.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos a malo.

Dominus vobiſcum.

Et cum Spiritu tuo.

Oratio, quæ non eſt in Papali ordinario.

Deus invictæ potentiæ, majeſtatis immenſæ, atque peregrinationis totius conſolationis auxilium, famulis tuis &c.

BENEDICTIO LAPIDIS PRIMARII,

QUÆ NON EST IN PAPALI ORDINARIO.

Benedic ✠, Domine, lapidem iſtum, ut ſit Lapis Sanctuarius & aptus in ædificio tuo in nomine dilecti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit &c.

BENEDICTIO LAPIDIS

PRO ECCLESIA ÆDIFICANDA.

„ Primo benedicitur Aqua. Deinde dicuntur Pſalmi Pœnitentiales. Deinde Letaniæ, quæ ſunt in fine hujus Libri. Tertio benedicitur Lapis. Poſtmodum ponitur in loco ſuo. Deinde cantatur. Salve, Regina.

Alta voce.

Benedic ✠ Domine creaturam iſtam Lapidis, ut ſit remedium ſalutare generi humano. Et præſta &c.

ORDO

(158) AD DESIGNANDUN (a) PUEROS, SIVE INFANTES. (158)

„ Heic quum Infantes in dextris brachiis tenentur, Majores vero pedem Pontificis ſuper pedem Patrini ſui .... Per ordinem diſpoſitis ante Pontificem, ipſe Pontifex impoſita manu ſuper capita ſingulorum, dicat Orationem ſuper eos, cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus Sancti.

Oratio.

Dominus vobiſcum.

Reſpondetur:

Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex Aqua & Spiritu Sancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum: emitte in eis ſeptiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de cœlis. Spiritum Sapientiæ, & Intellectus.

Reſpondetur:

Amen.

Spiritum Conſilii, & Fortitudinis.

Reſpondetur:

Amen.

Spiritum Scientiæ, & Pietatis.

Reſpondetur:

Amen.

Adimple eos Spiritu Timoris tui. Et conſigna eos ſigno Crucis Chriſti, in vitam propitiatus æternam. Per &c. in unitate ejuſdem &c.

Tunc Pontifex intincto pollice in Chriſmate, & interrogato uniuſcujuſque nomine, faciat Crucem in frontibus ſingulorum, ſic dicens:

Johannes,

vel alio quovis nomine invocans eos.

Si-

(a) ad conſignandum.

Signo te signo ✠ Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠. Pax tecum.

Respondetur:

Et cum spiritu tuo.

Consignatis omnibus, dicat hos versus:

Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.

Benedicat vos Dominus Deus ex Sion, & videatis bona Hierusalem omnibus diebus vitæ vestræ.

Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Pax tecum.

Respondetur:

Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oratio.

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, & per eos, eorumque Successores cæteris Fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta, ut horum corda, quorum frontes sacro Chrismate delinivimus, & signo Crucis consignavimus, idem Spiritus Sanctus adveniens templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Deo Patre &c.

Deinde faciat Crucem super eos, dicens:

Benedicat ✠ vos omnipotens Deus, Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus Sanctus ✠. Amen.

PRÆFATIO PATENÆ CONSECRANDÆ.

Consecramus ✠ & sanctificamus ✠ hanc Patenam ad confringendum in ea Corpus Domini nostri Jesu Christi patientis Crucem pro salute omnium nostrorum; qui cum Patre & Spiritu &c.

Alia Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium institutor es hostiarum, quique inter eas conspersam similaginem deferri in patenis aureis & argenteis ad Altare tuum jussisti: benedicere & sanctificare ✠ digneris hanc Patenam in administrationem Eucharistiæ Jesu Christi Filii tui, qui pro nostra & omnium salute se ipsum tibi Deo Patri in patibulo Crucis elegit immolari. Qui tecum &c.

Heic faciat Episcopus signum Crucis de Chrismate super Patenam, dicens:

Consecrare ✠ & sanctificare ✠ dignare, Domine, hanc Patenam per istam unctionem & nostram benedictionem in Christo Jesu Domino nostro. Qui tecum &c.

PRÆFATIO CALICIS CONSECRANDI.

Oremus, dilectissimi fratres, ut Deus & Dominus noster Calicem hunc in usum sui Ministerii consecrandum, cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet ✠ & ei ad humanam benedictionem ✠ plenitudinem divini favoris accommodet. Qui venturus est &c.

Alia Oratio.

Dignare, Domine, Calicem istum benedicere ✠ in usum ministerii tui, & pia famulatus tui devotione formatum, ea sanctificatione ✠ perfundere, qua Melchisedech famuli tui sacratum Calicem perfudisti, & quod arte fieri vel metalli natura non potest, Altaribus tuis dignus, fiat tua benedictione ✠ sanctificatus. Per &c.

Heic faciat Crucem cum Chrismate super ipsum Calicem de intus, & dicat:

Consecrare ✠ & sanctificare ✠ di-

dignare hunc Calicem per istam unctionem & nostram benedictionem in Christo Jesu Domino nostro. Qui tecum &c.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris, quæsumus, opem tuæ benedictionis infunde, & ut per nostram benedictionem hoc Vasculum sanctificetur ✠, & Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi novum Sepulcrum Sancti Spiritus gratia perficiatur. Per &c.

BENEDICTIO CORPORALIUM.

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis Virtus, cujus Mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue, quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione ✠ sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit &c.

BENEDICTIO LINTEAMINUM.

Omnipotens sempiterne Deus, benedic ✠ Linteamen istud, ad detergendum, involvendumque super illud, Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum &c.

BENEDICTIO PLANETÆ, DALMATICÆ, STOLÆ,

& aliarum Vestium Sacerdotalium, ac Levitarum (*a*).

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia, seu Sacerdotalia, atque Levitica Vestimenta, ad explendum ministerium eorum in conspectu tuo, & ad honorem tui Nominis, fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris, ut hæc Indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratiæ tuæ ingenti benedictione, per nostræ humilitatis servitutem, purificare, benedicere ✠, & consecrare digneris, ut divinis cultibus & sacris Mysteriis apta & benedicta exsistant. Hisque Vestibus Sacerdotes sive Levitæ induti, ab omnibus impulsionibus seu tentationibus malignorum Spirituum muniti ac defensi esse mereantur, tuisque ministeriis condigni servire & inhærere, atque in eis placide & devote perseverare tribue, per Dominum nostrum Jesum &c.

Alia Oratio.

Deus, invictæ Virtutis auctor, & omnium rerum Creator, intercede propitius preces nostras, & has Stolas, sive Planetas Leviticæ ac Sacerdotalis gloriæ Ministris tuis fruendas, tuo proprio ore benedicere ✠, sanctificare, omnesque eis utentes, tuisque ministeriis a nobis indignis consecrandos aptos, & tibi in eis devotos & amabiliter servientes, gratos efficere dignare. Per &c.

BENEDICTIO INCENSI.

Domine, Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale igneum esse cognoscitur: dignare respicere, benedicere ✠, & sanctificare hanc creaturam Incensi; ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici, odorem istius Incensi sentientes, effugiant & separentur a plasmate tuo, quod pretioso Sanguine redemisti, & nunquam lædatur a morte antiqui Serpentis. Per &c.

BE-

a Leviticarum.

BENEDICTIO CRUCIS NOVÆ.

Benedic ✠, Domine, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti Mundum a potestate Dæmonum, & superasti passione tua Suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi Hominis per vetiti ligni præsumtionem. Qui cum Deo Patre &c. in unitate &c.

Alia Oratio.

Rogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut digneris benedicere ✠ hoc lignum Crucis, ut sit remedium salutare generi humano, sit soliditas Fidei, profectus bonorum operum, redemtio Animarum: sit solamen, & protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum.

Et dicat alta voce in modum Præfatii:

Per omnia secula seculorum.

Respondeant:

Amen.
Dominus vobiscum.

Respondeant:

Et cum spiritu tuo.
Sursum corda.

Respondeant:

Habemus ad Dominum.
Gracias agamus Domino Deo nostro.

Respondeant:

Dignum & justum est.

Præfatio:

Vere dignum & justum est, æquum & salutare; nos tibi semper & ubique gratias agere; Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus sanctum & terribile Nomen in cæteras visibiles creaturas signa quoque fructifera laudare & benedicere non cessant. Qui in figuram unigenitæ Sapientiæ ligno vitæ a principio Paradisum voluptatis ornasti, ut ejusdem fructus sacro ministerio Protoplasti parentis nostri genus mortem cavere & vitam admoneres custodire prepetuam: quique nos, vetitæ arboris attactu justæ morti addictos, ejusdem coæternæ tibi Sapientiæ tuæ, Dei & Domini nostri Jesu Christi innoxia morte, ad vitam misericorditer revocare dignatus es: Te supplices exoramus, ut hoc singulare Lignum, quod ad exemplum primi illius, sacratissimique Vexilli, de pretioso Sanguine Filii tui, triumphali Fidelium tuorum devotione compactum est, tua cœlesti benedictione ✠ sanctificare digneris, ut omnibus huic genu flectentibus, ac tuæ Majestati supplicantibus, languor & compunctio cordis, & indulgentia concedatur admissi; atque intercedente ipsa Unigeniti Filii tui Passione, & tibi placita postulare, & citius valeant postulata percipere.

Oratio.

Da, quæsumus, clementissime Pater, in quo vivimus, & movemur, & sumus, ut quoties Templum divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis dejecit, oculis intuemur, quoties mente recolimus, & contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, & majorem tam devotæ humilitatis gratiam consequamur; quatenus in illo tremendo tuæ

Ma-

Majeſtatis examine quum paventibus clementis, Cœlorumque Virtutibus tunc commotis, Signum illud glorificum redemtionis noſtræ apparuerit in Cœlo, ipſi de morte ad vitam tranſire, ac perpetua beatæ reſurrectionis videre gaudia mereamur. Per &c.

Oratio.

Deus, qui beatæ Crucis patibulum, quod prius erat ſceleris ad pœnam, convertiſti Redemtionis ad vitam: concede plebi tuæ ejus vallari præſidio, ut cujus eſt armata Vexillo, ſit ei Crux Fidei fundamentum, Spei ſuffragium, in adverſis defenſio, in proſperis adjuvamen: ſit ei in hoſtem victoria, in Civitate cuſtodia, in campis protectio, in domo fultura; ut per eam Paſtor in futuro gregem conſervet incolumem, quæ nobis Agno innocente converſa eſt in ſalutem. Per &c.

Alia Oratio.

Sanctifica ✠, Domine Jeſu Chriſte, iſtud Signaculum Paſſionis tuæ, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus vita; perpetuum victoriæ ſit Vexillum. Qui cum Deo Patre &c.

Heic aſpegat Crucem Aqua ſancta, addens odorem incenſi.

BENEDICTIO.

Sanctificetur ✠ iſtud Signum in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠. Et benedictio illius ligni ſit in loco iſto, in quo ſancta membra Salvatoris ſuſpenſa ſunt; ut orantes, inclinanteſque ſe ante iſtam Crucem, inveniant Corporis & Animæ ſanitatem. Per &c.

BENEDICTIO
IN ECCLESIA PANIS,

POPULO DISTRIBUENDI.

Oratio.

Domine Jeſu Chriſte, panis Angelorum, panis vivus & æternæ vitæ, benedicere ✠ dignare Panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut omnes ex eo digne guſtantes, iidem Corporis & Animæ percipiant ſanitatem. Per &c.

BENEDICTIO AGNI,

ET ALIARUM CARNIUM.

Oratio.

Deus, univerſæ carnis Creator, qui Noe & filiis ſuis de mundis & immundis animalibus præcepta dediſti, qui quaſi olera herbarum humano generi quadrupedia munda edere præcepiſti, qui Agnum in Ægypto Moyſi & Populo tuo in vigilia Paſchæ comedere præcepiſti in figura Domini noſtri Jeſu Chriſti; cujus ſanguine omnia primogenita Ægypti de Mundo redemiſti, & Angelo in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepiſti, ſervans Populum tuum Agni ſanguine prænotatum: dignare, Domine, Deus omnipotens, benedicere ✠ & ſanctificare ✠ has Ovium, ſive Avium mundanarum carnes; ut quicumque de tuis fidelibus Populis ex eis comederint, omni benedictione cœleſti & tua repleti perenni gratia ſatientur. Per eumdem &c.

(159) (159) BENEDICTIO LACTIS, ET MELLIS.

Oratio in Pascha.

Benedic ✠, Domine, has creaturas Lactis, & Mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, qui est Spiritus veritatis, & enutri eos .... de hoc Lacte & Melle. Tu enim, Domine, promisisti Patribus nostris Abraam, Isaac, & Jacob, dicens: *Introducam vos in terram promissionis fluentem Lac, & Mel.* Conjunge, Domine, famulos tuos spiritu caritatis & pacis, sicut conjunctum est hoc Lac & Mel, in Jesu Christo Domino nostro. Qui tecum &c.

(160) BENEDICTIO CASEI, ET OVORUM. (160)

Creator & gubernator humani generis, omnipotens Deus, qui hanc creaturam Casei & Ovorum, ad usum refectionis, tuis famulis concessisti, te supplices petimus, ut tuam super illa benedictionem ✠ largiter infundas, ut omnes ex his famulis tuis comedentes cœlestibus benedictionibus repleantur. Per &c.

BENEDICTIO AD QUEMCUMQUE FRUCTUM NOVARUM ARBORUM.

Benedic ✠, Domine, hunc fructum novarum arborum, ut ii, qui utuntur, ex eo sint sanctificati. Per &c.

BENEDICTIO UVÆ.

Benedic ✠, Domine, & hos fructus novos Uvæ, quos tu, Domine, de rore Cœli, & de inundatione pluviarum, & temporum serenitate, ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per eumdem &c.

BENEDICTIO NOVÆ DOMUS.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac Domo, & pro Domus hujus habitatoribus hac spe, ut eam benedicere ✠ & sanctificare ✠ digneris; ut sint promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Tribue eis, Domine, de rore Cœli & de pinguedine Terræ, vitæ substantiam, & desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere ✠ & sanctificare ✠ dignare hanc Domum, sicut benedicere dignatus es domum Abrahæ, Isaac, & Jacob, & inter parietes Domus istius Angelus tuæ lucis inhabitet. Per &c.

FINIS.

NO-

N O T Æ

A D

SACRAMENTARIUM.

(1) Tom. X. *pag.* 118. Vide Isagogen nostram liturgicam Tom. IX. Cap. 13. n. 11. & seqq. & Cap. 16. n. 2. seqq.

(2) *Pag.* 119. *Benedictam* h. e. consecratam: *Adscriptam*, tibi adsignatam: *ratam*, legitimam reputatam: *Rationabilem* non figuræ sed veritatis rationem habentem.

(3) *Pag.* 120. Vide Isagog. Cap. 7. num. 21.

(4) *Ibid. Johanne* scil. Baptista: *Stephano*, præponitur S. Matthiæ quia ante illum passus: *Alexandro* primo papa & Martyre: hæc ex Menardo.

(5) *Pag.* 121. Hic nominabant quot sanctos insuper volebat, ut docemur a Cod. Tiliano & a Micrologo Cap. 25.

(6) *Ibid.* Agnus Dei &c. deficit quoque in Cod. Reg. Sueciæ apud Sammarthanum. Sergio Papæ I. hanc orationem tribuit Anastasius. Ad eam desinunt omnes codices melioris notæ.

(7) *Pag.* 122. Hæc prima Oratio solet passim vocari etiam *Missa*. Sæpe ante orationes Missæ alicujus vigiliæ solet præponi *Ad nonam*, ut heic in Sacramentario Menardi aliisque: vel *ad Vesperos*, vel *Mane prima*. Quæ omnia nihil significant aliud nisi tempus quo Missa illis diebus celebrabatur, nempe vel ad nonam in vulgaribus vigiliis, vel ingruentibus tenebris, vel etiam ante solis ortum in vigiliis solemniorum festivitatum. Hinc Theodorus Cantuariensis Archiep. apud D' Acherium in Spicilegio tom. I. pag. 486. n. 86. *Ante Natalem Domini nostri Jesu Christi Græci sera, Latini nona hora Missas celebrant*. Vide quæ de Stationibus dicta sunt a nobis Isagog. Cap. 14. per totum.

(8) *Ibid.* In aliis Sacram. vulgo dicitur: *In Vigilia Domini in nocte*.

(9) *Ibid.* Præfationes plures quæ in Menardiano Sacramentario suis locis leguntur, hic fere ad calcem invenire poterunt studiosi.

(10) *Pag.* 123. Apud Menard. orationes de S. Anastasia secundo loco positæ sunt. Plures tamen Codd. cum nostro conveniunt.

(11) *Pag.* 124. Has vel similes orationes reperias in omnibus Sacramentariis. In Gelasiano apud Thomasium. Tom. VI. pag. 6. illis præmittitur: *Item Orat. de Natal. Domini ad Vesp. sive Matut.* & sex tantum leguntur, sed octo apud Menardum. Quamobrem videantur pertinere ad officium non ad Missam, & fortasse pro diversitate Ecclesiarum diversæ orationes appositæ sunt. Vide & notam nostram. (57)

(12) *Pag.* 127. Apud Menard. *Dom. I. post Natal. Domini*. Sed de his require infra n. VI. & seqq.

(13) *Ibid.* In Sacram. Ecclesiæ Rom. apud Thomasium, in Gregoriano item apud Menard. exstat Missa de vigilia Theophaniæ, quæ tamen in vetustissimis Codd. desideratur. Videtur celebrata sub noctem, nam apud Menard. fert titulum *Ad Vesperos*. Hanc festivitatem mense Januario semper fuisse olim celebratam observat Menard. in nota 140. ex Ammiano Marcellino lib. 21. *Feriarum die, quem celebrantes mense Januario Epiphaniam dictitant*. Hæc ille seculo 4. exeunte.

(14) *Ibid.* Apud Thomas. duæ sequentes orationes alteri cuidam subduntur ante *Secreta* hoc titulo: *Item in Theophania in die*. Quare facile existimandum olim saltem in aliquibus Ecclesiis eo die plures orationes de eodem argumento cum suis quamque conclusionibus fuisse recitatas. Dominicas post Epiphaniam require infra n. VIII. seqq.

(15) *Pag.* 128. In codice quo usus est Mingarelius in edendis carminibus S. Paullini, hæc inter cætera in fronte habentur: *De Sancto Felice Presbytero & Confessore & patrono civitatis Nolæ, & de ejus festo, quod brumale est, scilicet die XIV. Januarii; videlicet die S. Felicis in Pincis presbyteri & martyris Romæ*. Reliqui etiam MSS. Codd. fere habent in Pincis: sed præstat fortasse lectio codicis Murator. Vocatur porro Martyr & confessor, quia multa passus tranquillam tamen mortem obiit S. Felic. Variat *Super oblata* apud Menardum.

(16) *Pag.* 129. De Natali S. Agnetis vide quæ diximus in Isagoge Cap. XVII. n. XXV. Alia est oratio *ad Complendum* apud Menard. sicut & in cæteris sæpe, quod hic notasse sufficiat.

(17) *Pag.* 130. Apud Menard. *de nativitate*. Videlicet qua die mundo orta est.

(18) *Ibid.* Sic appellant Græci purifica-

tionis B. Mariæ festum, ex eo quod Symeon & Anna in templo Deiparæ virgini ὑπήντησαν occurrerunt. Exstat eximia oratio in hanc rem S. Methodii episcopi Patarensis & martyris, qui cum teste S. Hieronymo de Script. Eccl. Cap. 83. sub Decio & Valeriano martyrio coronatus fuerit, proinde florebat seculo quarto necdum inclinante, tametsi ut aliis videtur eo seculo vix adulto mortuus sit. Quæ oratio, si quidem genuina est, quod Petrus Pantinus Tilemanus constanter affirmat, antiquitatem hujus festi apprime commendat. Theophanes lib. 16. *Anno* inquit, *decimo quinto Imperii Justiniani, mense Octobri facta est mortalitas Byzantii, & eodem anno Hypapante Domini suscepit initium, ut celebraretur apud Byzantium secunda die Februarii mensis.* Quæ verba optime interpretatur Menardus de consuetudine tantum Byzantina celebrandi hujus festi, quæ ante illam mortalitatem nullam fuisse videatur. Habet etiam sermonem de Occursu Domini S. Gregorius Nyssenus. Dicitur a Baronio passim Gelasius Papa mutasse festa Saturnalia & Lupercalia in festum Purificationis. Quod sic intelligendum videtur, nempe adlaborasse Pontificem ad tollenda illa ethnicorum orgia, ut Purificatio Domini magna ageretur solemnitate a Christianis, quod antea non fiebat. De usu candellarum paucissimi ex veteribus loquuntur. Alcuinus dicit tantum cereos a papa fuisse datos. Benedictio *super candellas* exstat in codice Ratoldi. Processionem Sergio papæ attribuit Ordo Rom. Vide Menard. notam 163.

(19) *Ibid.* Id est ad populum collectum pro supplicatione sive processione a S. Adriano a S. Mariam, ubi erat statio. Vide Isagogen Cap. 14. n. 4. Ex Ordine autem Romano: Pontifex ingressus sacrarium induit se nigris vestibus, & Schola cantat *exsurge*, tunc sequitur oratio ad Collectam *Erudi*, postea cerei benedicuntur. Benedictione expleta proceditur ad S. Mariam. Ita ex illo Menardus. Vestes hic nigras proprie intelligi certum est, constat enim nigro colore usam Ecclesiam in hujusmodi supplicationibus. Quare & *Nigram litaniam* legere est apud hierolexicographos.

(20) *Pag.* 131. Hic in Menardiano Sacramentario legitur tantum: *Alia*. Ex quo loco possumus inferre subjunctas sæpe orationes *super populum* fuisse, eisque usos veteres in maximis concursibus populi.

(21) *Ibid.* Hoc unum est ex assumentis, quæ facta sunt genuino S. Gregorii Sacramentario. Apud Menardum aliæ occurrunt orationes, quas, quia S. nostrum doctorem respiciunt hic apponemus.

„ Concede, quæsumus Domine, fideli-
„ bus tuis digne S. Gregorii Pontificis tui
„ celebrare solemnia: ut ejus & hic expe-
„ riantur auxilia, & æternis effectibus ad
„ prehendant. Per &c.

Super Oblata.

„ Hostias, Domine, quas nomini tuo
„ sacrandas offerimus, Sancti Gregorii pro-
„ sequatur oratio, per quam nos expiari
„ facias & defendi. Per &c.

Præfatio.

„ Vere dignum & justum est, æquum &
„ salutare, nos tibi semper & ubique gra-
„ tias agere, Domine sancte, pater omni-
„ potens, æterne Deus: Quia sic tribuis
„ Ecclesiam tuam S. Gregorii pontificis tui
„ commemoratione gaudere, ut eam illius
„ & festivitate lætifices, & exemplo piæ
„ conversationis exerceas, & verbo prædi-
„ cationis erudias, grataque tibi supplica-
„ tione tuearis. Per &c.

Ad complendum.

„ Præstent nobis, quæsumus Domine,
„ tua sancta præsidium, quod, intervenien-
„ tibus B. Gregorii meritis, ab omnibus
„ nos absolvat peccatis. Per. &c.

(22) *Pag.* 132. Eadem occurrit in Cod. Reginæ Sueciæ, aliosque apud Pamelium.

(23) *Ibid.* Hæc videatur oratio ad Collectam. In Menardiano legitur *in beata*, apud alios *de beata*. Apud Menard. Oratio quæ hic est *super oblata*, est *ad complendum* & *Gratiam tuam* est inter orationes *alias* post eam quæ inscribitur super populum. Apud Thomasium tom. VI. pag. 133. post *ad complendum* sunt tres aliæ orationes cum hoc titulo *Orationes ad vesperum*; hujus generis esse Menardianas conjicimus.

(24) *Ibid.* In solo Menardi Sacramentario, quod sciam, hæc oratio est *Super populum*. Concilium Aurelianense IV. can. 2. *Decernimus*, ait, *observandum, ut quadragesima ab omnibus aqualiter teneatur: neque quinquagesimam aut sexagesimam ante pascha quilibet sacerdos præsumet indicere*. Sed hoc intelligendum de indictione jejunii ex iis quæ in contextu sequuntur probe advertit Menardus. Qui enim tunc jejunabant, jejunium sabbathi in quadragesima nequaquam servabant. Vide Isagogen nostram Cap. 14 n. 27. seqq.

(25) *Pag.* 133. *Officia feriæ quintæ per totam Quadragesimam, inter ea sunt quæ Grimoldus Abbas dicit olim fuisse virgulis antepositis jugulata: instituta enim postea a Gregorio juniore testatur Micrologus cap. 40.* Hæc Sammarthanus ex Pamelio. Vide ad cal-

calcem Sacramentarii nostri quæ adnotaverit descriptor Othoboniani codicis.

(26) *Pag.* 134. Eadem prorsus oratio *super populum* legitur in Sacram. Menard. apud quem tres *aliæ* subsequuntur, quarum secunda est ea quæ hic *Ad fontes* vocatur. Nullus dubito quin *Ad fontes in Lateranis* intelligendum sit: ac probabiliter ea fuerit collecta quædam quam post homiliam recitare consueverunt pontifices. Vide homil. 17. in Evangelia, & ea quæ nos ad illam adnotavimus post Sammarthanæam præfationem. Præterea hæc Orationibus ceu rubrica subnectuntur in Menardi Sacramentario: *Per totam quadragesimam cotidianis diebus finita Missa, Episcopus & Clerici discedunt, & exuuntur sacris vestibus, & tunc redeunt ad Vesperos. Et nullus Clericus in Ecclesia stat operto capite, nisi habeat infirmitatem, ullo tempore*: id est dum Oratio fit.

(27) *Pag.* 135. Apud Menard. & Thomas. *mensis primi*, Martii videlicet, ex vetustissima appellandi ratione apud Romanos & Judæos, primus censebatur ille mensis apud priscos ut & nunc apud Venetos. Hujus mensis hebdomada prima agebatur primum jejunium quatuor Temporum, quod postea Gregor. VII. transtulit in hebdomadam quadragesimæ. Fiebat ergo ante Gregorii translationem ut *Sabbatum in duodecim lectiones*, sive *sabbatum quatuor temporum* in quadragesimam aliquando non incideret. Et hæc causa est, Thomasio adnotante, ut in veterrimis Sacramentariis Sabbatho primo in Quadragesima non prænotetur *in XII. lectiones*.

(28) *Ibid.* Sic legitur & apud Pamelium: alii codd. habent ad *Formosum*, alii *in Formosa*.

(29) *Pag.* 136. Ex his quæ animadvertimus (n. 27) adnotante Thomasio, sequeretur neque Menardianum, neque Pamelianum, neque nostrum hoc Muratorianum Sacramentarium assurgere ultra seculum XII. Etenim Gregor. VII. qui jejunium IV. temporum in primam hebdomadam quadragesimæ transtulit, vivebat exeunte seculo XI. In his autem omnibus Sacramentariis *Sabbatho in XII. Lectiones* non ponitur ut apud Thomasium prima hebd. mensis primi, sed prima hebdomada quadragesimæ, quod nonnisi post Gregorium VII. fieri potuit. Videant ergo quanta fides habenda sit scriptoribus, dum suos codices ante nongentos vel mille annos exaratos dicunt. Non tamen per hæc eorum auctoritati præjudicatum volo. Observat Pamelius *Sabbatum in XII. lectiones* solere nuncupari: *Quod aut XII. soleant legi lectiones diversæ, aut sex eadem semel græce & semel latine*. Vide Ordd. Rom. in nostra Appendice.

(30) *Pag.* 137. Vacat non officio, sed statione: scilicet propter ordinationes in præcedenti Sabbatho, quorum orationes vide apud Thomas. tom. VI. pag. 21. seqq.

(31) *Ibid.* Eadem occurrit & apud Menardum.

(32) *Pag.* 139. Item hæc alia.

(33) *Pag.* 141. Sic Cod. Pamel. & Reginæ Suec. alias *in titulo Lucinæ*.

(34) *Pag.* 144. Eadem collecta legitur apud Menard.

(35) *Pag.* 146. Vide Isag. Cap. 16. n. 20.

(36) *Ib.* Eadem benedictio exstat in Codd. apud Sammarthanum nota *c* ad hunc locum. Alcuini tempore qui obiit anno 804. Jam decantabantur versus illi, *Gloria, laus & honos* &c. & fiebat processio cum evangelio in feretro posito, quæ omnia idem Alcuinus testatur *De Divin. Offic. cap.* 14. quamobrem, ut probe advertit Menardus in nota 234. longe ante Theodulphum Aurelianensem versus illi exstabant, quamvis a nonnullis huic Episcopo tribuantur.

(37) *Pag.* 148. Deficit hic præfatio: reperitur apud Menardum & Thomasium sed longe diversæ sunt. Nam quæ apud Menardum legitur tamquam præfatio Missæ feriæ quintæ *in Die*, est Missæ *ad vesperum* penes Thomasium. Porro, „ Tres, *inquit* „ *Thomasius Tom. VI. pag.* 62. *nota* (1) &c. „ etiam quatuor Missas celebratas fuisse in „ cœna Domini testantur MSS. Codd. apud „ Menardum not. 263. ad Gregor. Sacram. „ Morinus de Pœnitentia, & Martene de „ antiqua Eccl. discipl. De Missa ad Vesperas hujus diei celebrata in uno apud Me„ nardum codice, loco mox prælaudato, „ habetur Missa cum inscriptione: *Ad Mis„ sam sero*. Augustinus ad Januarium scri„ bens de hac solemnitate, epistola quæ in „ nova editione est 54. ait: *Et quia non„ nulli etiam jejunium custodiunt, mane „ offertur propter prandentes, quia jejunia „ simul & lavacra tollerare non possunt: „ ad vesperam vero propter jejunantes*. Vi„ de & doctissimum Cardinalem Jo: Bona „ lib. I. Rerum Liturgic. cap. 18. n. 6. " Hæc eminentissimus auctor. Ex quibus lux affulgeat iis quæ mox dicuntur *in ipso die ita* &c.

(38) *Ibid.* In Menardi Sacramentario hæc *rubrica* præmittitur officio hujus feriæ quintæ. *Inde hora tertia ingressi sacrarium induunt Dalmaticas tam Pontifex quam omnes Diaconi, vel omnia ornamenta, sedente Pontifice in sella sua. Et præparantur ampullæ duæ cum oleo: quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo & commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam. Illam vero aliam ministri retineant plenam. Et Pontifex lotis manibus, procedit*

cum

cum septem cereostatis ad Missam . Dicta antiphona ad introitum , dicit Gloria in excelsis Deo. Quo finito dicit Pax vobis , & dat orationem hanc . Et cetera omnia sicut in alia solemni Missa .

(39) *Ibid.* Clarius apud Menardum : *Tunc offertur Pontifici oleum , & benedicit eum (sic), tam ipse quam omnes presbyteri ad ungendum infirmum.*

(40) *Ibid.* In Sacram. Rom. Eccl. apud Thomas. tom. VI. pag. 59. hæc habentur: *Expleto enim Canone dicit*, Oremus. Præceptis salutaribus moniti . *Sequitur oratio Dominica . Et iterum subsequitur alia oratio* . Libera nos , quæsumus Domine. *Ipsa expleta, confrangis, & tegis de sindone altaris munera , & ascendis ad sedem. Ibique oblato a Diacono alio Oleo ad benedicendum, & dicis* . Notat ibidem Thomasius . „ *Alio oleo*, nimirum ad ungendos „ infirmos oleo superiori benedictione jam „ sanctificato , aliud hic episcopo oleum ad „ sacrum Chrisma conficiendum porrigitur. „ Ritus iste Gregorianis exemplis sæpe vo- „ catur *Benedictio Chrismatis principalis*, „ quemadmodum observari potest apud Pa- „ melium , in vulgato Hittorpii ordine, & „ in Missl. nostris codicibus O & R. de qua „ appellatione videndus Amalarius lib. I. de „ Ecclef. Offic. cap. 12.

Per verba illa *confrangis & tegis* &c. innui partem consecrati panis reservari ad sequentis feriæ VI. Missam Præsanctificatorum , nemo est qui non videat . Sed quia Rubrica exemplaris Menardiani aliquot ritus hujus diei in bonam lucem constituit , eam hic afferre lubet : *Tunc communicat solus Episcopus , & Diaconus offert ei calicem , illo tantummodo die . Postquam communicaverit, ponit calicem super altare , deinde acceptam a subdiacono patenam ponit juxta calicem de latere sinistro : & statim cooperitur a duobus Diaconibus utrumque de sindone munda quam prius præparaverant in ora altaris , e regione Pontificis post corporale expansam . Et continuo duo Acolythi involutas ampullas cum sindone alba serica , itaut videri possint a medio , tenent in brachio sinistro , projectis sindonibus super scapulam sinistram , itaut pertingant scapulam dextram , quatenus possint dependentia retineri . A quibus sub humero stantibus, venit subdiaconus & accipit ampullam commixtam una cum sindone , & dat eam Archidiacono , & ille defert Pontifici ante sedem . Tunc Pontifex stans in sede , & respiciens ad orientem , Archidiacono tenente ante ipsum ampullam in sinistro brachio revoluta sindone , ut supra prefiximus , & halat in ipsa ampulla, & intrat in consecrationem chrismatis excelsa voce . Dominus vobiscum : & cum spiritu tuo . Sursum* &c. ut in nostro Sacramentario . *Intrare* hic & alibi incipere . & exordiri significat.

(41) *Pag.* 149. In Menardi rubrica : *Qua expleta, benedicit ampullam ordine quo supra declaratum est : & similiter halat in ipsa , sed tacite ipsam benedicit .*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo, Oremus .

Deus incrementorum & profectuum spiritalium , qui virtute sancti Spiritus tui &c. Apud Thomasium hæc oratio ad oleum Chrismatis pertinet , habetque *& profectuum spiritalium munerator* : at plerique alii Codices cum nostro conveniunt . Subjicitur alia rubrica item apud Menardum : *Ampulla autem quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit cooperitur , ut a nemine videatur ; sed tenente eam Acolytho , omnes eam per ordinem salutent : nam Episcopus & diaconi omnes eam nudam salutant . Hoc expleto ablutis manibus, Pontifex vadit ante altare , & communicat omnis populus in ordine suo , & servant de ipso sacrificio in crastinum , unde communicent.* Hæc postrema verba ita habentur in rubrica penes Thomasium longe vetustiori : *Hoc autem expleto , venies ante altare , ponis in ore Calicis de ipsa hostia; non dicis*, Pax Domini, *nec faciunt pacem , sed communicant , & reservant de ipso sacrificio in crastinum , unde communicent .* Liquet olim communicasse fideles etiam in Missa præsanctificatorum. De ritu dandæ communionis , vide quæ diximus Isagoges Cap. 16. n. 18. Videatur de olei Catechumenorum exorcismo nota (1) Thomasii tom. VI. p. 61.

(42) *Ibid.* Longiorem rubricam ad hanc diem pertinentem quærite , soltis , in Menardiano Sacramentario . Ea tamen moribus nostris proxima est : nisi quod subditur : *Cum dixerint Amen , sumit de sancta* (Eucharistia) *& ponit in calicem nihil dicens . Et communicant omnes cum silentio , & expleta sunt universa. A feria V. vespere nuda sint altaria usque mane sabbathi* . De qua ceremonia hæc præscribit Ord. Rom. *Statim duo acolythi parati cum nigris casulis incipiant nudare altaria* : videlicet *circa noctem* ut habet Alcuinus in Cap. de Cœna Domini . Cujus denudationis opportunitate factum videtur, ut tunc altaria lavarentur , qua de re vide Merardi notam 297. & Isagogen nostram cap. 7. n. 16. De communione feriæ VI. videatur Martenius.

(43) *Pag.* 150. De his personis vide totum caput 9. nostræ Isagoges . De *Oremus* & *flectamus genua* . Ibid. cap. 16. n. 23.

(44) *Pag.* 151. Videlicet *dandi Catechumenis* , quo nomine etiam quicumque infantes baptizandi videntur indigitari . In vetustis enim membranis subditur : *Et post*

hanc

hanc orationum pones sal in ore infantis, & dicis: Accipe *ill.* sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam. Cæterum nostri Sacramentarii benedictio est synopsis longioris exorcismi Gelasiani, quem videsis apud Thomasium tom. VI. p. 38. Eamdem salis benedictionem vide infra n. V. post proprium de Sanctis.

(45) *Ibid.* Hæc Oratio est prima ex tribus apud Thomas. l. c. p. 37. cum aliqua tamen varietate lectionis. Recurrit infra n. IV.

(46) *Ibid.* Ut hæc plenius intelligantur afferam hic ordinem universum, qualis extat apud Thomasium tom. VI. p. 41. ex recensione Vezzosiana. Initiales codicum literas ibi occurrentes sic lege: M. Menardianum sacramentarium. Ms. Manuscriptus codex Gelasianus O Codex Orthobonianus. P. Pamelius. R. Codex Alexandrino - Vaticanus Sacramentarii Gregoriani. Cæterum vide infra n. V.

INCIPIT EXPOSITIO

Evangeliorum in (*a*) aurium (*b*) apertionem ad Electos. (*c**)

P*Rimitus enim procedunt de Sacrario IIII Diaconi cum quatuor Evangeliis, præcedentibus duobus candelabris* (*d*) *cum* (*e*) *thuribulis, & ponuntur super IIII. angulos Altaris. Et* (*f*) *tractat Presbyter, antequam aliquis eorum legat, his verbis.*

Aperturi vobis, Filii charissimi, Evangelia, idest gesta divina, prius ordinem insinuare debemus; quid est Evangelium, & unde descendat, & cujus in eo verba ponantur: & quare quatuor sint, qui hæc gesta scripserunt; vel qui sunt ipsi quatuor, qui, divino Spiritu (*g*) adnuntiante Propheta signati sunt. Ne forte sine hac ordinis ratione vel causa, stuporem vobis in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc venistis, ut aures vobis aperiantur; nec incipiat sensus vester obtundi: Evangelium dicitur proprie Bona Adnuntiatio, quæ utique Adnuntiatio est Jesu Christi Domini nostri. Descendit autem Evangelium ab eo, quod adnuntiet & ostendat: quod is quia (*h*) per Prophetas loquebatur, venit in carnem, sicut scriptum est: Qui loquebar, ecce adsum. Explicantes autem breviter quid sit Evangelium, vel qui sint hi quatuor, qui per Prophetam ante monstrati sunt: nunc sua quæque nomina singulis adsignemus indiciis. Ait enim Propheta Hezechiel: Et similitudo vultus eorum ut facies Hominis, & facies Leonis a dexteris illius; & facies Vituli, & facies Aquilæ a sinistris illius. (*i*) Hos quatuor has figuras habentes, Evangelistas esse non dubium est. Sed nomina eorum, qui Evangelia scripserunt, hæc sunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes.

Et

(*a*) Aurium apertionem ad Electos. *Veterum ritus erat, quo ad Baptismi Sacramentum disponebantur Catechumeni, & in Missæ Sacrificio primo admittebantur ad Evangelii lectionem audiendam, atque ad Fidei Symbolum. Illius meminit D. Ambrosius cap.* I. *libri de his qui mysteriis initiantur, & cap.* 1. *lib.* 1. *de Sacramentis. Beda loco heic a Ven. Thomasio laudato. Theodulphus Aurelianensis de Ordine Baptismi cap.* IX. *Describunt autem illum passim Ordines Romani ab Hittorpio, Martene, & Mabillonio vulgati. Celebrabatur in tertio Scrutinio iis completis, quæ hactenus de ipso Scrutinio enarrata sunt: & quidem inter Missarum solemnia, incipiebatque a duplici Missæ Lectione, altera ex Isaia*: Audite audientes me, & comedite bonum, *usque*, ad Dominum Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum: *altera ex Epist. B. Pauli ad Colos.* Fratres exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis *&c. usque*, & quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Hisce lectionibus cum suis Responsoriis Gradalibus absolutis fiebant, quæ heic describuntur.*

(*b*) *Apertionem.* exemplar perperam habet *apertionum*.

(*c**) Vide Bedam in cap. IX. lib. I. Esdræ.

(*d*) *Ordo Rom. apud Mabill.* cum thuribulo, & incenso *&c. Ordo vetustissimus jam prælaudatus apud Martene loc. cit. ait hoc in loco* cum thuribulis cantantes: sitientes venite ad aquas.

(*e*) *Thuribulis.* Ita correctum ex Missali Card. Sanctorii: in exemplari habetur *thurabulis*.

(*f*) Tractat, *ita vulgati Ordines, quos sæpe laudavimus. Vox* tractare *heic usurpatur pro* alloqui *vel* sermocinari. *V. de* Du-Cangium *ad voces* Tractare, & Tractator.

(*g*) *Ordo apud Hittorpium heic ait*: qui divino Spiritu annunciante, a Propheta signati sunt *&c. qui loquendi modus locum meditanti fortasse melior videri posset.*

(*h*) Per Prophetas. *leg.* Prophetas.

* *Per Prophetas*. correctum ex Missali Card. Sanctorii. exemplar mendose omittit. *Per.*

(*i*) *Hos*. in exemplari perperam legitur *hii*.

Et (a) adnuntiat Diaconus, dicens.

State cum silentio, audientes intente. *Et (b) incipiens legit.* Initium Evangelii secundum Matthæum. *usque*, Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Postquam legerit (c) tractat Presbyter his verbis.

Filii charissimi, ne diutius ergo vos teneamus, exponamus vobis, quam rationem, & quam figuram unusquisque in se contineat; & quare Matthæus in se figuram hominis habeat: quia in initio suo nihil aliud agit, nisi nativitatem Salvatoris pleno ordine generationis enarrat. Sic enim cœpit: Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Videtis, quia non immerito huic hominis adsignata persona est; quando ab hominis nativitate initium comprehendit: nec immerito, ut diximus, huic mysterio adsignata est Metthæi persona.

Item adnunt. Diacon. ut supra.

State cum silentio, audientes intente. (d) *Et legit*: Initium Evangelii secundum Marcum. *usque*: Ego baptizo vos aqua; ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

Et sequitur Presbyter his verbis.

Marcus Evangelista Leonis gerens figuram, a solitudine incipit dicens Vox: clamantis in deserto: Parate viam Domini. (e) Sive quia regnat invictus. Hujus Leonis (f) multifaria invenimus exempla, ut non vacet dictum illud: Juda filius meus, catulus Leonis: de germine mihi ascendisti: recubans dormivit, ut Leo, & sicut catulus Leonis; quis (g) excitabit eum?

Item adnuntiat Diacon. ut supra. (h)

Et legit: Initium Evangelii secundum Lucam. *usque*: Parare Domino plebem perfectam.

Et prosequitur Presbyter his verbis.

Lucas Evangelista Vituli speciem gestat, ad cujus instar Salvator noster est immolatus. Hic enim Christi Evangelium loquuturus, sic cœpit de Zacharia & Elisabeth, de quibus Joannes Baptista summa natus est senectute. Et ideo Lucas Vitulo comparatur; quia duo cornua, duo Testamenta, & quatuor pedum ungulas, quatuor Evangelia, quasi tenera firmitate (i) nascentia, in se plenissima continebat.

Item adnuntiatur a Diacono ut supra. (k)

Et legit: Initium Evangelii secundum Johannem. *usque*. Plenum gratiæ & veritatis.

Iterum prosequitur Presbyter his verbis.

Johannes habet similitudinem Aquilæ, eo quod nimis alta petierit; ait enim: In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.

Et David dicit de persona Christi: Renovabitur sicut Aquilæ juventus tua: idest Jesu

(a) *Superiori nimirum ad Electos adlocutione absoluta.*

(b) Ex *vulgatis Ordinibus a Cassandro, Hittorp. Mabil. & Martene illic habetur.* Et tunc accipiens unus Diaconus desuper angulo primo altaris sinistro librum Evangelii, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum thuribulo, ascendit ad legendum, & legit, Initium *&c.*

(c) *Iidem Rom. Ordines.* Et postquam legerit, suscipit de eo Subdiaconus ipsum Evangelium super linteum, & portet in Sacrario, & tractet Presbyter his verbis *&c.*

(d) Iterum accipit diaconus desuper alio sinistro angulo altaris alium librum Evangelii, præcedentibus cereis & thuribulo, sicut superius. Iterum dicit: Initium *&c. iidem prælaudati Ordines.*

(e) *Sive quia regnat.* Vide in Missali Gallicano veteri, ubi idem est. Missale Card. Sanctorii habet, *sive qui regnat.*

(f) Multifaria. *leg.* multifariæ.

* *Multifaria.* exemplar perperam habet *multifarie.*

(g) Excitabit. *leg.* excitavit.

* *Excitabit* in exemplari *excitavit.* sed male.

(h) *Illic præcipiunt Rom. Ordin. ut de tertio angulo dextro altaris Diaconus tertium Evangelii librum accipiat, & eadem ratione, quam supra descripsimus, ad legendum progrediatur.*

(i) *Nascentia in se plenissima.* In Missali Gallicano veteri legitur *nascentia, in se plenissime.* Missale Cardin. Sanctorii omittit *nascentia*, & habet *in se plenissime.*

(k) *Et de quarto altaris angulo a dextris posito juxta superiorem ritum quartum accipiat Diaconus Evangelii librum. Confer memoratos haud semel Ordines.*

Jesu Christi Domini nostri, qui resurgens a mortuis, ascendit in cœlos. Unde jam vobis conceptis, (*a*) prægnans gloriatur Ecclesia, omnem festivitatem votorum ad nova tendere Christianæ legis exordia: ut adveniente die venerabilis Paschæ, lavacro Baptismatis renascentes, sicut Sancti omnes mereamini fidele munus infantiæ a Christo Domino nostro percipere. Qui vivit & regnat in secula seculorum.

INCIPIT PRÆFATIO

Symboli ad Electos, idest antequam dicas Symbolum, (*b*) his verbis prosequeris.

Dilectissimi nobis accepturi Sacramenta Baptismatis, & in novam creaturam Sancti Spiritus procreandi; fidem, (*c*) qua credentes justificandi estis, toto corde concipite: & animis vestris vera conversatione mutatis, ad Deum, qui mentium nostrarum est inluminator, accedite: suscipientes (*d*) Evangelicæ Symboli sacramentum a Domino inspiratum, (*e*) Apostolis institutum; cujus pauca quidem verba sunt, sed magna mysteria. Sanctus etenim Spiritus, qui Magistris Ecclesiæ ista dictavit, tali eloquio, talique brevitate salutiferam condidit fidem: ut quod credendum vobis est, semperque providendum, nec intelligentiam possit latere, nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis Symbolum discite: & quod vobis, sicut (*f*) accepimus, tradimus: non alicui materiæ, quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis adscribite. Confessio itaque fidei, quam suscipistis, hoc incoatur exordio.

Post hæc accipiens Acolythus unum ex ipsis infantibus masculum, tenens eum in sinistro brachio, (*g*) *ponens manum super caput ejus, Et* (*h*) *interrogat eum Presbyter:* Qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum. ℟. Græce, *Iterum dicit Presbyter:* Adnuntia fidem ipsorum qualiter (*i*) credunt. *Et dicit Acolythus Symbolum græce decantando,* (*k*) *tenens manum super caput infantis, in his verbis:*

Cre-

(*a*) *Prægnans*. Ita correctum ex Missali Card. Sanctorii: exemplar perperam habet *prignans*.

(*b*) His verbis prosequeris, *ea nimirum quæ ritum* aperitionis aurium *absolverant*: *quod satis aperte colligitur ex Ordine* VII. *apud Mabill. in quo finitis iis, quæ* aurium aperitionem *attinent, statim subjungitur num.* 6. Deinde dicit præfationem Symboli, Dilectissimi nobis &c. *unde intelligere possumus morem fuisse Romanæ Ecclesiæ, ritum dandi Electis Symbolum, sive explicandi iisdem quæ in Symbolo complectuntur, simul conjungere cum ritu* aperitionis aurium: *hoc enim absoluto eadem die statim alterum prosequebatur. De aliis Ecclesiis idem adfirmari nullus debet: exstat siquidem can.* XIII. *Concilii Agathensis ajens.* Symbolum etiam placuit omnibus Ecclesiis una die, idest ante octo Dies Dominicæ Resurrectionis publice in Ecclesia competentibus dari. *In Dominica ergo Palmarum in Galliis Symbolum Catechumenis tradebatur. In Hispania idem servari consuevisse declarat B. Isidorus, qui in lib.* 1. *de divin. Offic. cap.* XXVII. *de ea Dominica loquens, ait:* Hac autem die Symbolum competentibus traditur, propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem. *Idem observare facili negotio possumus & in Ecclesia Mediolanensi, quandoquidem D. Ambrosius in Epistol. ad Marcellinam Sororem suam de se ait:* sequenti die, *hoc est Dominica palmarum*, post lectiones & tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebatur Basilicæ. *Videri hac de re possunt & vulgatus Albinus de die Domin. Palmarum post Isidorum scribens*: hodie Symbolum competentibus tradebatur, propter confinem Dominicæ Paschæ Solemnitatem. *Eadem ferme verba ex Isidoro exscripsit in suo de Instit. Cler. opere lib.* II. *cap.* 35. *& Rabanus Maurus. Ex hisce constat plerasque Ecclesias idem tempus explicandi competentibus Symbolum cum Romana non servasse: aut aliquid in Romana obstitisse quo minus in Dominica Palmarum ille ritus non celebraretur.*

(*c*) *Qua*. Ita correctum ex Missali Card. Sanctorii: in exemplari mendose scribitur *quam*.

(*d*) *Evangelicæ*. Missale ms. Card. Sanctorii habet *evangelicis*.

(*e*) *Apostolis institutum*, Missale Card. Sanctorii habet *ab Apostolis institutum*.

(*f*) Accepimus. *leg.* accipimus.

(*g*) *Rom. Ordo apud Mabillonium hoc in loco omittit ritum ponendi manum super caput infantis, quem tamen præcipit agens de infantibus latinis.*

(*h*) *Interrogat eum*. In exemplari legitur *interrogat ei*.

(*i*) *Apud Mabil.* credant.

(*k*) *Et heic nil de manus impositione apud Mabill. nec quidem quum Ordo ille agit de latinis infantibus.*

Credo in unum Deum Patrem
Pisteuo . hisena . theon . pathera .
omnipotentem factorem cœli & ter-
panhocratoran . pyetin . vranu . Kae-
ræ visibilium omnium & invisibi-
gis . oraton . Kaepanton . Kaeaura-
lium & in unum Dominum Jesum
ton . Kaehisena . Kyrion . Ihm .
Christum filium Dei unigenitum
Kpm . tonion . tutheu . tonmonogenin .
de patre natum ante omnia
tonectupatros . genitenta . propanton .
secula lumen de lumine Deum ve-
toneonon . fosecfotos . theon . alit-
rum de Deo vero natum non
hin . ectheu . alithinu . genithenta . vpyi-
factum consubstantialem patris per quem
thenta . omoysion . tupatri . diata-
omnia facta sunt qui propter nos ho-
panta . egenon . ton . tondihimas . tu-
mines & propter nostram
santrophus . Kaediatin . himeteran .
salutem descendentem de cœlis
soterian . Kateltonta . ecton . vranon .
& incarnatum de Spiritu Sancto & Ma-
Kæsarcorenta . ecpneuma . tosagiu . Kae-
ria Virgine & humanatum
marias . tispar . tenu . Kaeinantropisanta .
crucifixum etiam pro nobis sub Pontio
staurotentha . deyper . imon . epipontio .
Pilato & passum & sepultum
pilatu . Kaepathonta . Kaetapenta .
& resurgentem tertia die secundum
Kaeanastenta . titriti . himera . Kata .
scripturas & ascendentem in
tasgraphas . Kaeanelthonta . hisius .
cœlis & sedentem ad dexteram
vranus . Kae . Katezomeno . endexia .
patris & iterum venturum cum
tupatros . Kaepalin . ercomenon . me-
gloria judicare vivos & mortuos
tadoxis . crine . zontas . Kaenecrus .
cujus regni non * erit finis & in
vtis . basilias . vcesiin . thelos . Kaehi-
Spiritum Sanctum dominum
sto . pneuma . toagion . tonkyrion .
& vivificatorem (a) & Patre proce-
Kaezoopyon . tonectupatros . empo-
dentem qui cum Patre & Filio
regomenon . tonsynpatri . Kaeyion .
simul adoratum & con glo-
synpros . Kynumenon . Kaesyn . do-
rificatum qui locutus est per Prophe-
xazomen . tolalesas . diaton . prophi-
tas in unam Sanctam catholicam
ton . hismian . agian . catholicin .
& apostolicam ecclesiam confiteor
Kaeapostolicin . eclesian . omologo .
unum baptisma in remissionem peccatorum
en . baptisma . hisapes . inamartion .
spero resurrectionem mortuorum &
prosdogo . anastas . sinnecron . Kae-
vitam futuri seculi Amen.
zoin . tumellos . tosaeonas . Amin.

Filii charissimi audistis Symbolum Græce, (b) audite & Latine. *Et dicis:* Qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum. ℟. Latine. Adnuntia fidem ipsorum qualiter credunt. *Ponens manum Acolythus super caput infantis, & dicit Symbolum decantando, his verbis.*

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: de Patre natum ante omnia secula: lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: natum, non factum, consubstantialem (c) Patri, per quem omnia facta sunt: (d) qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendentem de cœlis: & incarnatum de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, & humanatum: crucifixum etiam pro nobis sub Pontio Pilato, & passum ... dexteram super caput ipsius, & interroget ei presbyter: Qua lingua confitentur? Sicut prius: & respondet, latine. Dicit ei presbyter. Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Visibilium. Hoc expletum, vertit se ad feminas, & facit similiter. *Ad hæc Ordinis locus mox descriptus demonstrat græce atque latine Symbolum hoc in ritu usurpare non consuevisse Romanam Ecclesiam, quod græce illud super masculos recitasset, latine vero super feminas, quod non satis bene Codicibus suis Remensi, Pictaviensi ac Gellonensi fultus concludit Martenius, quem vide de antiquis Ecclesiæ Ritibus Lib. I. Part. I. cap. I. art.* XI. *numer.* XVI.

* Erit finis. *leg.* erunt fines.

(a) *Vide hoc loco Ven. Thomasium in sua ad præsentem librum Præfatione.*

(b) Audite & Latine. *Hæc verba innuere videntur Symbolum latine iisdem proferri consuevisse, quibus jam & græce prolatum erat. At vulgati Ordines Romani, ille præsertim apud Mabill. & alter Ecclesiæ Viennensis apud Martenium, suspicionem injiciunt græce & latine usurpatum fuisse hoc in ritu Symbolum ob græcos infantes una cum Latinis in Electorum sive Competentium numero permixtos. Quam ad rem facit & illa Sacerdotis interrogatio Acolytho facta:* qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum? *Porro in Ordine a Mabillonio vulgato præcipitur ut primum super masculos Symbolum græce decantetur; deinde græce itidem super feminas. Postea subjungitur:* Iterum acolythus alter accipiens ex LATINIS INFANTIBUS unum in sinistro brachio, ponens manum

(c) Patri. *leg.* Patris.

(d) *Qui*, ita Missale Card. Sanctorii, sed verba quæ sequuntur ponit. *descendit, incarnatus est, & homo factus est, crucifixus passus, & sepultus est.* &c.

passum, & sepultum, & resurgentem tertia die secundum scripturas; & ascendentem in (a) coelos, sedentem ad dexteram Patris: & iterum venturum cum gloria judicare vivos & mortuos: cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & Vivificatorem: (b) ex Patre procedentem: (c) qui cum Patre & Filio simul adoratum, & conglorificatum, qui locutus est per Prophetas. In Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Spero resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen.

Hoc expleto, sequitur Presbyter his verbis.

Hæc summa est fidei nostræ, dilectissimi nobis, hæc vera sunt Symboli, non sapientiæ humano sermone facta, sed vera divinitus ratione disposita. Quibus comprehendendis atque servandis nemo non idoneus; nemo non aptus. Hic Dei Patris & Filii una æqualis pronuntiatur potestas. Hic Unigenitus Dei de Maria Virgine, & Spiritu Sancto secundum carnem natus ostenditur. Hic ejusdem crucifixio & sepultura, ac die tertia resurrectio prædicatur. Hic ascensio ipsius super cœlos & (d) confessio in dextera paternæ majestatis agnoscitur: venturusque ad judicandos vivos & mortuos declaratur. Hic Spiritus Sanctus in eadem, qua Pater & Filius, Deitate indiscretus accipitur. Hic postremo Ecclesiæ vocatio, peccatorum remissio, & carnis resurrectio (e) perdocetur. Vos itaque dilectissimi, ex vetere homine in novum reformamini; & de carnalibus spiritales, de terrenis incipitis esse cœlestes: secura & constanti fide credite resurrectionem, quæ facta est in Christo, etiam in nobis omnibus (f) esse complendam: & hoc secuturum in toto corpore, quod præcessit in capite. Quoniam & ipsum, quod percepturi estis Baptismi Sacramentum, (g) hujus spei exprimit formam ibi. (h) Quædam enim ibi mors, & quædam resurrectio celebratur. Vetus homo deponitur; & novus sumitur. Peccator aquas ingreditur, & justificatus egreditur. Ille abjicitur, qui traxit ad mortem; & suscipitur ille, qui reduxit ad vitam: per cujus gratiam vobis confertur, ut filii Dei sitis, non carnis voluntate editi, sed Sancti Spiritus virtute generati. Et ideo hanc brevissimam plenitudinem ita debetis vestris cordibus inhærere: ut omni tempore præsidio hujus confessionis utamini. (i) Invicta est enim semper talium armorum potestas contra omnes insidias inimici ad bonam Christi militiam profuturis. Diabolus, qui hominem tentare non desinit, munitos vos hoc Symbolo semper inveniat. Ut devicto adversario, cui renunciatis, gratiam Domini incorruptam & (k) immaculatum usque in finem, ipso, (l) confitemini, protegente, servetis: ut in quo peccatorum remissionem accipitis; in eo gloriam resurrectionis habeatis. Ergo dilectissimi, præfatum Symbolum fidei Catholicæ in præsenti cognovistis: nunc euntes edocimini nullo mutato sermone. Potens est enim Dei misericordia: quæ & vos ad Baptismi fidem currentes perducat: & nos, qui vobis mysteria tradimus, una vobiscum ad Regna cœlestia faciat pervenire. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum: qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

ITEM

(a) *Ms.* in cœlis.

(b) *Confer de hoc loco Thomasium ipsum in sua ad opus præsens Præfat.*

(c) *Qui*, Ita Missale Card. Sanctorii, sed verba ponuntur sic, *adoratur*, *& conglorificatur*.

(d) *Ms.* & confessio, *uti etiam legitur apud Hittorpium*.

(e) Perdocetur. *leg.* perducitur.

* *Perdocetur*. ita correximus ex Missali Card. Sanctorii, cum in exemplari legatur *perducitur*.

(f) *Esse complendam*. ita corr. ex Miss. Card. Sanctorii, nam in exemplari mendose ponitur *est complenda*.

(g) Hujus. *leg.* huc.

* *Hujus*. exemplar perperam habet *huc*.

(h) *Ibi. Quædam*. redundat *ibi.* & omittitur in Missali Card. Sanctorii.

(i) *Apud Hittorp. heic legitur*: Invita est enim talium armorum potestas, & contra omnes vobis insidias diaboli tamquam bonis Christi militibus profutura: *quæ planiorem, melioremque præ se ferunt significatum*.

(k) *Immaculatum*. Missale Card. Sanctorii habet *immaculatam*.

(l) *Confitemini*. In Missali Cardin. Sanctorii legitur, *quem confitemini*.

ITEM PRÆFATIO

Orationis Dominicæ. (*a*)

Et admonentur a Diacono, (b) ut supra.

DOminus & Salvator noster Jesus Christus, inter cætera salutaria præcepta, discipulis suis petentibus quemadmodum orare deberent, eam formam eis Orationis concessit, quam etiam (*c*) lectione præsenti & vos plenius cognovistis. Audiat nunc dilectio vestra, quemadmodum doceat discipulos suos orare Deum Patrem omnipotentem: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio, ora Patrem tuum. Cubiculum quod nominat, non occultam domum ostendit: sed cordis nostri secreta illi soli patere commemorat. Et clauso ostio, Deum adorare debere: idest, ut a mala cogitatione pectus nostrum mystica clave claudamus: ac labiis clausis, incorrupta mente Deo loquamur. Deus autem noster, fidei & non vocis auditor est. Claudatur ergo clave fidei pectus nostrum contra insidias Adversarii: & soli Deo pateat, cujus templum esse cognoscitur: ut cum habitat in cordibus nostris; ipse sit Advocatus in precibus nostris. Ergo Dei Sermo & Dei Sapientia Christus Dominus noster hanc Orationem nos docuit, ut ita oremus.

Post hoc intras, & dicis.

Pater noster, qui es in cœlis.

Hæc libertatis vox est, & plena fiducia. Ergo his vobis moribus est vivendum, ut & Filii Dei, & Fratres Christi esse possitis. Nam Patrem suum Deum, qua temeritate dicere præsumit, qui ab ejus voluntate degenerat? Unde vos, dilectissimi, dignos exhibete aboptione divina, quoniam scriptum est: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem, Filios Dei fieri.

Sanctificetur Nomen tuum.

Idest, non quod Deus nostris (*d*) sanctificationibus, qui semper est Sanctus; sed petimus, ut Nomen ejus sanctificetur in nobis: ut qui in Baptismate ejus sanctificamur, in eo quod esse (*e*) incœpimus, perseveremus.

Adveniat Regnum tuum.

Deus namque noster quando non regnat maxime, cujus regnum est immortale? Sed cum dicimus: Veniat regnum tuum: nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis promissum, Christi sanguine & passione quæsitum.

Fiat Voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

Idest, in eo fiat Voluntas tua, ut quod tu vis in cœlo, hoc nos in terra positi inreprehensibiliter faciamus.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.

Hic spiritalem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Quem cotidianum dicimus: quod ita nos semper immunitatem petere debemus peccati, ut digni simus cœlestibus alimentis.

Et

(*a*) *Constat ex Rom. Ordinibus & ritum dandi, sive explicandi Electis Orationem Dominicam celebratum fuisse statim absoluto illo, quo iisdem Symbolum tradebatur. Consule memorata non semel illorum loca; & clariss. Card. Bona Rerum Liturg. lib.* II. *cap.* XV.

(*b*) *dicente*, State cum silentio, audientes intente.

(*c*) *Apud Hitterp. legitur*, ut in præsenti sacra hæc lectio demonstrabit. *Et quidem melius & adposite magis ad vetustiores Ecclesiæ mores; Augustinus enim serm.* LIX. *de re præsenti ad catechumenos ait.* Oratio autem, quam accepistis tenendam, & ad octo dies reddendam, sicut audistis cum Evangelium legeretur, ab ipso Domino dicta est discipulis suis. *Unde liquet ritum hunc tradendi Orationem Dominicam incipi consuevisse cantando sive legendo eam Evangelii partem, in qua Oratio ipsa Dominica continetur. Verum hac de re altum invenio in Rom. Ordinibus silentium.*

(*d*) *Sanctificationibus, qui*: Missale Gallicanum vetus habet: *Sanctificetur orationibus, qui*.

(*e*) Incœpimus, *leg.* incipimus.

Et dimitte nobis debita nostra: sicut & nos demittimus debitoribus nostris.

Hoc præcepto significans, non nos aliter peccatorum posse veniam promereri; nisi prius nos (*a*) in nos delinquentibus aliis relaxemus: sicut in Evangelio Dominus dicit: Nisi demiseritis peccata hominibus, nec vobis Pater vester dimittet peccata vestra.

Et ne nos inducas in tentationem.

Idest, ne nos patiaris induci ab eo qui tentat, pravitatis auctore. Nam dicit Scriptura: Deus enim intentator malorum est. Diabolos vero est tentator: ad quem evincendum Dominus dicit: Vigilate & orate ne intretis in tentationem.

Sed libera nos a Malo.

Hoc ideo ait, quia dixit Apostolus: Nescitis quid vos oporteat orare. Unus Deus omnipotens ita a nobis orandus, ut quicquid humana fragilitas cavere non prævalet, hoc ille ut possimus, propitius nobis conferre dignetur Jesus Christus Dominus noster. Qui vivit & regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum.

Item adnuntiat Diaconus, ut supra.

State cum disciplina & cum silentio, audientes intente.

Audistis dilectissimi Dominicæ Orationis sancta mysteria: nunc euntes ea vestris cordibus innovate: ut ad exorandam ac percipiendam Dei misericordiam, perfecti in Christo esse possitis. Potens est Dominus Deus noster: (*b*) & vos, qui ad fidem curretis, ad lavacrum aquæ regenerationis perducat: & nos, qui vobis mysterium fidei Catholicæ una tradidimus, vobiscum ad cœlestia regna faciat pervenire. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, per omnia secula seculorum. (*c*)

(*a*) Nos. *leg.* nobis.

* *In nos*. exemplar mendose ponit *in nobis*.

(*b*) *Et vos qui ad fidem curretis*. Missale Gallicanum habet, *& vos qui ad fidem curritis*.

(*c*) *Eo in loco monebantur Catechumeni a Diacono ut extra Ecclesiam exirent. Itaque a parentibus & aliis, a quibus ducebantur, extra Ecclesiam deferri eos oportebat: in Ecclesia enim Missarum solemnia, quibus ne Catechumeni interessent, cautum erat, celebrabantur.*

(47) *Pag.* 151. Catechumenos videlicet reddentes symbolum fidei in ultimo scrutinio, postquam singillatim interrogati sunt πιστεύεις, *pistevis*, credis? ut ego corruptam illam vocem codicis nostri interpretor. Recurrit hæc Oratio infra n. V. De Catechumenis, scrutinio & symbolo vide quæ dicimus Isag. cap. 8. n. 3. Quibus adde quæ habet Thomasius in Antiphonario ad feriam VI. in passione Domini nota (8) tom. V. pag. 88. Apud eumdem Thomasium tom. VI. pag. 67. hic Ordo habetur:

S A B B A T O R U M

Die, mane reddunt infantes Symbolum. *Prius catechizas eos, imposita super capita eorum manu, his verbis:*

Nec te lectet, Satanas &c. (*ut in nostro Sacram.*) *Inde tanges eis nares & aures de sputo, & dicis eis ad aurem.*

Ephphetha; quod est: Adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole appropinquavit enim judicium Dei.

Postea vero tangis eis pectus & inter scapulas de oleo exorcizato, & vocato nomine, singulis dicis:

Abrenuntias Stanæ?

℟. Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus?

℟. Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus?

℟. Abrenuntio.

Inde vero dicis Symbolum imposita manu super capita ipsorum.

Postea vero dicitur eis ab Archidiacono: Orate, Electi, flectite genua. Complete orationem vestram in unum, & dicicite, Amen.

Et respondet omnes, Amen.

Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis:

Catechumeni recedant. Omnes Catechumeni exeant foris.

Iterum dicit Diaconus.

Filii charissimi revertimini in locos vestros, & exspectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari.

Hæc vetustissima sunt & quæ prætermissa in codice nostro supplere commode valeant.

(48) *Pagin.* 152. Vide infra n. III. & nota (76). Ne apud Menardum quidem hic

hic legitur Cerei benedictio quæ tamen in Ecclesia antiquissima est, & de qua citatus auctor prolixissime agit. Tribuitur ab Alcuino & Amalario Zosimo papæ. *De exsultet jam* vide quæ habemus in Isag. cap. 9. n. 12. Non tamen una eademque ubique ratio occurrit benedicendi ejus: & *Exsultet* hodiernum videtur ex ritu Ambrosiano profluxisse cum exstet in ordine ejus Missæ. Sacramentarium Rom. Eccl. apud Thomasium hic habet:

Sequitur ordo qualiter Sabbatho Sancto ad vigiliam ingrediantur.

Primitus enim VIII. *hora diei mediante procedunt ad Ecclesiam, & ingrediuntur in sacrarium, & induunt se vestimentis sicut mos est, & incipit Clerus Letaniam: & procedit sacerdos de sacrario cum Ordinibus sacris. Veniunt ante altare, stantes inclinato capite usque dum dicent*: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, mis. *Deinde surgens sacerdos ab oratione, vadit retro altare, sedens in sede sua.*

Deinde veniens Archidiaconus ante altare, accipiens de lumine quod VI. feria absconditum fuit, faciens crucem super Cereum, & inluminans eum: & completur ab ipso benedictio Cerei.

Quod hic ignis absconsus dicitur feria VI. in aliis quoque Gregorianis exemplaribus occurrit: at, nisi hoc librariorum sphalma dicere velimus, ita commode interpretari possumus, quia nimirum ingruentibus tenebris quintæ feriæ abscondebatur post absolutum illius diei officium, nempe post Missam ad Vesperum, ideo alterutri feriæ illa absconsio attribui potuit. Ritum hujus ceremoniæ discimus ex epistola 12. Zachariæ papæ ad Bonifacium: *De igne autem paschali quod inquisisti, a sanctis priscis patribus, ex quo per Dei & Domini nostri Jesu Christi gratiam, & pretioso Sanguine ejus Ecclesia dedicata est, quinta feria Pascha, dum sacrum Chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diversis candelis Ecclesiæ oleo collecto, in secretiori Ecclesiæ loco, ad figuram interioris tabernaculi insistente, indesinenter cum multa diligentia ardebunt; ita ut oleum sufficere possit usque ad tertium diem, de quibus candelis Sabbatho Sancto pro sacri fontis baptismate, sumtus ignis per sacerdotem renovabitur.* Hæc veterrima Romanæ Ecclesiæ consuetudo. In codice tamen Ratholdi apud Menard. nota (300.) inter alia hæc leguntur: *Jubet adquiri novum ignem cum ampulla a sole illuminatum, sive a silice excussum.* Vide citatam notam.

(49) *Pag.* 152. De numero lectionum hujus sabbathi nihil constitutum apud veteres: alii enim MSS. octo, alii decem, vulgo tamen quatuor tantum lectiones exhibent.

(50) *Ibid.* Hic psalmus ultimæ lectioni subjungitur, quo via aperiatur ad benedictionem fontis & collationem Baptismi. Apud Menard. vocatur *Tractus*, & oratio *Concede* illi præmittitur fortasse melius, ea tamen deficit apud Thomasium, penes quem legitur hic hujusmodi rubrica: *Inde procedunt ad fontes cum Litania ad baptizandum. Baptismo expleto consignantur* (h. e. Confirmationis sacramentum accipiunt) *ipsi infantes ab Episcopo, dum accipiunt septem dona gratiæ Spiritus sancti, & mittit Chrisma in frontibus eorum.*

Postea vero ipse sacerdos revertitur cum omnibus Ordinibus in Sacrarium: & post paululum incipiunt tertiam Letaniam, & ingrediuntur ad Missas in vigilia, ut stella in cœlo apparuerit (h. e. ubi nox jam advenerit) *Et sic temperent, ut in trinitatis numero ipsæ litaniæ fiant* (i. e. ut ter pronuncietur & ter respondeatur.)

(51) *Pag.* 154. Sacramentarium Menard. utrumque conjungit. In Thomasiano nihil de utroque hic habetur.

(52) *Ib.* Recurrit oratio infra n. V. Ritum universum facilius intelligimus ex rubrica Sacram. Menardiani.

„ Inde accipiens vas aureum cum chrismate, fundit chrisma in fonte in modum „ crucis, & expandit aquam cum manu „ sua. Tunc baptizantur infantes, primum „ masculi, deinde feminæ. Et tenente eo „ infantem a quo suscipiendus est, interrogat Pontifex, vel sacerdos ita.

Quis vocaris? Respond. *ill.* Item interrogat sacerdos.

Credis in Deum patrem omnipotentem; creatorem cœli & terræ? Resp. Credo. Interrogat: *Et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum & passum*. Resp. Credo. Interrogat.

Credis & in Spiritum Sanctum sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? Resp. Credo. Interrogat.

Vis baptizari? Resp. Volo. Et dicit:

Et ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

„ Ut autem surrexerit a fonte, ille qui „ eum suscipit, offert eum uni presbytero, „ qui faciat signum crucis de chrismate cum „ police, in vertice ejus dicens: *Deus Omnipotens* &c.

Codex vero Sacramentorum Rom. Eccl. apud Thomasium, hæc habet: *Inde benedicto fonte, baptizas unumquemque in ordine suo, sub his interrogationibus* Credis &c.

At

At tertio loco; Credis *&* *in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam: remissionem peccatorum; carnis resurrectionem?* Nec interrogatos legimus, *vis baptizari?* Hæ porro interrogationes & responsiones sunt illa *redditio Symboli*, quam de loco eminentiore reddebant baptizandi secundum S. Augustinum l. 8. Confess. cap. 2. Prosequitur Thomasiana rubrica; *Deinde per singulas vices mergis eum tertio in aqua. Postea cum ascenderit a fonte infans signatur a presbytero in cerebro de chrismate his verbis*, Deus Omnipotens &c.

(53) *Ibid.* Menardiana rubrica: „ Et „ baptizantur: & sunt parati qui eos suscepturi sunt, cum linteis in manibus „ eorum, & accipiunt ipsos a presbyteris „ qui eos baptizant. Pontifex vero redit „ in Sacrarium exspectans, ut cum vestiti „ fuerint infantes, confirmet eos. Qui et„ iam non prohibentur lactari ante sacram „ communionem, si necesse fuerit. Induti „ vero ordinantur per ordinem sicut scri„ pti sunt. Et infantes quidem in bra„ chiis dextris tenentur: majores vero pe„ dem ponunt super pedem patrini sui. „ Deinde schola jussa facit Litaniam qui„ nam ad fontes, Pontifex vero veniens „ ad infantes, tenente Archidiacono chris„ ma, involutis scapulis & brachiis ex pan„ no lineo, & levata manu sua super capi„ ta omnium, dicit: *Omnipotens sempiter„ Deus* &c.

„ Et interrogantibus Diaconibus nomina „ singulorum, Pontifex tincto pollice in „ chrismate facit crucem in fronte unius, „ similiter per omnes singillatim. Quibus „ expletis, jussi incipiunt in Ecclesia lita„ niam ternam. Et cum dixerint *Agnus „ Dei*, magister scholæ dicit, *Ascendite*: „ & illuminatur Ecclesia, & procedit Pon„ tifex de sacrario cum duobus cereostatis „ sicut superius; & stant sicut antea a dex„ tris & a sinistris altaris. Litania expleta „ dicit Pontifex: *Gloria in excelsis Deo*. „ Quo finito dicit: *Pax vobiscum*. ℟. *Et „ cum spiritu tuo*. Et dat Orationem: *Deus „ qui hanc sacratissimam* &c.

Hic observandum baptizatos, qui nudi e fonte egrediebantur, linteis a patrinis fuisse abstersos & coopertos: deinde albis vestibus indutos. Patet autem vel ex hoc loco una cum baptismo & Confirmatione olim etiam Eucharistiam pueris fuisse datam vel non jejunis. Theodulphi libellum de ordine baptismi lege sis apud Menardum nota (334.) Vide infra apud nos quæ habet nota (158.)

(54) *Pag.* 155. Statio in aliis Cod. assignatur ad S. Mariam.

(55) *Ibid.* Hæc etiam leguntur apud Pamelium. Et quæ hic prænotantur *Ad S. Andream*, apud Menardum fere *Alia* ubique habent.

(56) *Pag.* 159. MSS. vulgo nullam Stationem assignant. Apud Pamelium tamen est *Ad S. Pancratium*. In uno Theodor. apud Sammarthanum, *Ad SS. Cosmam & Damianum*. S. Augustinus Serm. I. in Oct. Paschæ: *Hodie*, inquit, *Neophytorum habitus commutatur*. Et Alcuinus ad dictam diem: *Hodie Albati, qui in Sabbatho sancto baptizati fuerunt, vestibus albis exuuntur*. Quare hæc dies nonnisi lato quodam sensu ad albas pertinet.

(57) *Pag.* 160. Non modo plures minoresve, sed etiam aliæ atque aliæ orationes paschales in diversis Codd. assignantur. Dominicas post pascha require infra n. IV. Apud Thomasium in Sacram. Rom. Eccles. tom. VI. p. 85. triplex genus Orationum paschalium subjiciuntur octavæ post pascha, quæ paschales nostras orationes illustrare possint; nimirum, I. de pascha annotina. II. In parochia. III. Vespertinales. Annotinum pascha ex Micrologo c. 56. sic se habebat: *Romani annotinum pascha quasi anniversarium pascha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori pascha baptizati erant, in sequenti anno eadem die ad Ecclesiam convenere, suæque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus solemniter celebraverunt*. Et quamvis dicat Micrologus *eadem die*, merito tamen Menardus nota (354.) affirmare videtur, hanc anniversariam diem fuisse post Dominicam octavæ paschæ; tum quia non est credibile in sabbatho sancto id contigisse, tum quia Missa de pascha annotino subjicitur officio octavæ paschatis.

Quod ad Orationes & preces *in Parochia* attinet, accipiant lectores eximiam noctam quæ exstat apud Thomasium loc. cit. n. (2) „ Opinor locum hunc inlustrari posse iis, „ quæ de missa in aliquibus Ecclesiis, quas „ pro parochialibus accipit Ed. Martene, „ die sancto paschæ celebranda, ut com„ mode omnes utriusque sexus fideles sa„ cram eucharistiam recipere possent, in„ stante potissimum paschali præcepto, ha„ bet pervetustus ritualis Ecclesiæ Rhemen„ sis apud prælaudatum Martene de Antiq. „ Eccl. Discip. in divin. celebr. Officiis „ cap. 25. n. 28. ubi hæc leguntur: *Die „ sancto pascha in aliquibus Ecclesiis pro„ pter multitudinem communicantium solet „ celebrari una Missa de mane post matu„ tinas, in qua administrantur ii, qui „ justa ratione non possunt communicari in „ majori Missa: & presbyter pro libito po„ test facere absolutionem generalem, & „ similiter in majori Missa. In aliis vero „ Ecclesiis sola missa de eodem die celebra„ tur, ad quam accedunt communicaturi „ se-*

„ *secundum morem uniuscujusque Ecclesiæ*. „ Consule & quæ de Missa matutinali ha- „ bet idem Martene de antiq. Monach. Rit. „ lib. 3. cap. 16. n. 15. consule & Mabil. „ in Comment. in Ord. Rom. art. 8. sub „ finem. " Hæc nota illa. Hic animadvertatis velim, quod si olim plures missæ solemniter celebrabantur eodem die, fere diversæ fuerint, nec eamdem missam fuisse repetitam, quod tum ex loco hoc, tum ex aliis pluribus liquet. *Vespertinales* denique orationes, ut Thomasius censuisse videtur tom. II. p. 470. &c. dicebantur quæ toti insequentis diei officio inserviebant, quod quia pridie ad vesperas incipiebat, ideo orationibus illis Vespertinalium nomen fecerunt. Id nos ipsi suspicati sumus in nota nostra superiori undecima antequam hanc Thomasii animadversionem consideraremus. Paschales igitur orationes quæ in nostro Sacrament. occurrunt ut & in cæteris ad triplex hoc genus pertinere videantur. Nisi quod fortasse plures reperiuntur simul coacervatæ quia variarum Ecclesiarum variæ erant orationes. Et hoc innui existimo in nostro Codice, quoties orationi ad Vesperos præscribitur aliquis titulus, puta *ad fontes*, vel *ad S. Andream* &c. Forte etiam erant aliquando orationes illæ pro diebus *infra octavam*, quod conjicio quia solemnioribus festivitatibus plures *aliæ* subnecti solent.

(58) *Pag.* 162. De litaniis vide nostræ Isag. cap. 14. num. 14. seq.

(59) *Ibid.* Sic & Cod. Regin. Sueciæ. Apud Pamelium *Ad pontem Olbi*. In Theod. legitur *Molvi*. Sammarthanus interpretatus pontem Milvium, vulgo *Ponte Molo*, qui est unus urbis Romæ.

(60) *Pag.* 163. Etiam apud Menard. IV. Kal. Maji.

(61) Codex Sirleti sive Sanctorii apud Thomas. habet *Omnia require de Apostolorum*.

(62) *Pag.* 165. Id est, ut alii Codices habent, *Dedicatio S. Mariæ*, vel *Dedicatio Ecclesiæ B. Mariæ ad martyres*. „ Hoc festum „ olim instituit Bonif. IV. papa, converso „ Romano Pantheo in Ecclesiam S. Mariæ „ & omnium martyrum. " ait Menardus nota 372. Hodie vulgo *S. Maria della Rotonda*.

(63) *Ibid.* Apud Pamelium statio est *Ad S. Petrum*. Hæc missa omnino pertinet ad Diem, non ad Vigiliam Ascensionis, tum quia eædem orationes sunt sub hoc titulo in aliis Codd. tum quia Alcuinus l. 2. contra Elipantum, primam orationem *Concede* citat tamquam ex Missa *In Ascensione Domini*. Orationes ad lectiones Sabbathi Pentecostes require sub n. IV. Dominicas vero post Pentecostes require sub num. XVIII. seqq.

(64) *Ibid.* Amanuensis sphalma pro *infra actionem*.

(65) *Pag.* 169. *Quinta feria deest Officium & Missa, & ideo debes cantare de Dominica Pentecostes*, ajunt Ordo Rom. & Alcuinus. Vide supra notam (25).

(66) *Pagin.* 172. Videlicet *de nocte* ut habet exemplar Menardianum, vel *de mane prima* ut alii plures codices.

(67) *Ibid.* In die videlicet natali S. Johannis.

(68) *Pag.* 173. Apud Menardum *Ad Matutinos*, alii *ad Vesperos*.

(69) *Pag.* 174. Sive *Ad matutinos* ut apud Menardum.

(70) *Pag.* 177. In Martyrologiis S. Hieronymi & Rabani: *Romæ dedicatio primæ Ecclesiæ a B. Petro Apostolo constructæ & consecratæ*. In Martyrologio Notkeri: *Romæ statio ad S. Petrum ad vincula, quam Ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit & consecravit*. Hinc capienda sunt illa S. Leonis papæ serm. de Maccabæis: *Duplex enim causa lætitiæ est, in qua & natalem Ecclesiæ colimus, & martyrum passione gaudemus*. In codice Ratoldi hic habetur Missa duplex: prior S. Petri, altera SS. Maccabæorum, ut in cod. Rodradi. *Hæc ex Menardo not.* 437.

(71) *Pag.* 178. Arbitratur Menardus nota (439) hic desiderari præfationem Uvæ. Sed cum illa in nullo Codice legatur, videtur omnino dicendum, particulam illam Canonis habitam fuisse veluti præfatiunculam quamdam ad eam benedictionem, quæ fortasse proinde non secreto, sed alta voce recitabatur. Evincitur id præsertim quia apud Thomasium tom. VI. p. 89. sub titulo *Orationes & preces in Ascensa Domini*, notatur modo, *Inde vero modicum ante expletum Canonem benedices fruges novas*. Hic ritus ad seculum tertium pertinet, & in libro pontificali tribuitur Eutychiano papæ. Benedictionis formula ubique eadem: sed pro tempestatum diversitate ad varias fruges benedicendas illa utebantur. In die S. Xysti uvam præcocem benedicebant, & ut apparet ex pluribus MSS. etiam fabas.

(72) *Pag.* 179. Id est *De nocte* ut apud Merard. vel *in primo mane* ut habet Pamel. Deinde in Kal. Rom. *Die SS. ad Missa publica natal. S. Laurentii*.

(73) *Pag.* 182. Apud Menardum hæc oratio notatur *Ad processionem*. Et cum dicat Rhadulphus Tungrensis cap. 13. hodie a S. Gregorio institutam litaniam a S. Adriano ad S. Mariam majorem, consequitur eam orationem in alterutra Ecclesia fuisse dictam, sed probabilius in S. Adriano quia apud Menardum ante orationes Missæ duæ ponuntur, sub hoc titulo Orationes *ad Matutinos*, *Ad processionem*.

(74) *Pag.*

(74) *Pag.* 183. Menardus nota (474) ex Codino & Menologio Græcorum notat festum exaltationis S. Crucis initium sumsisse Imperante Constantino Magno. Apud Menard. Thomas. Pamel. & in Cod. Reginæ Sueciæ Exaltatio S. Crucis primo loco ponitur ante SS. Cornel. & Cypr.

(75) *Pag.* 187. Sic & Cod. Reg. Sueciæ, aliique. Exemplar Thomasii ne hoc quidem officium agnoscit. Solemnitatem Omnium Sanctorum alii Gregorio tertio, alii Gregorio quarto acceptam referunt. Vide infra not. 119.

(76) *Pag.* 198. Cerei Benedictio ab Alcuino & Amalario tribuitur Zosimo papæ. Apud Ennodium qui florebat ineunte seculo VI. duæ extant benedictiones, nec tamen occurrit præfatio *Exsultet*. Longior benedictio assignatur in Ordine Romano *Deus mundi conditor* &c. Et certe hanc benedictionem maxime fuisse laboriosam discimus ex epistolis S. Gregorii. Vide supra notam (48).

(77) *Pag.* 206. In sexta feria majore.

(78) *Ibid.* In Sabbatho paschæ.

(79) *Pagin.* 207. Hæc Dominica, aut saltem ejus prima oratio, apud Menardum inscribitur, in octavis Domini, sicut & duæ priores in nostro Sacramentario. Vide supra notam (12).

(80) *Pag.* 207. Apud Menardum inscribitur Dom. I. post Natal. Domini. quod ille in Elencho posuit *Dominica prima* sed cum non sequatur dominica secunda, forte legendum *Dominica unica*. Quod & de Dominica post Ascensionem intelligendum, etsi omnino apud Menardum vocetur Dominica prima.

(81) *Pag.* 211. Apud Menardum. *Hebdomada secunda post Pentesten:* & 27. assignantur, sequentibus aliis quinque *ante natale Domini.*

(82) *Pagin.* 217. Exstant & in Sacram. Eccl. Rom. apud Thomasium tom. VI. pag. 178. Ad quas *ibi* hæc notantur. *Existimo intelligendum esse quotidianis diebus per hebdomadam: sex sunt totidem hebdomadæ diebus convenientes. Exstant eædem Missæ & apud Pam. in Cod. Grimoldi Abbatis & in MSS. codicibus Octob. & Alexandrino Vatic.* Itaque hæc prior missa pertineat ad feriam secundam, secunda ad tertiam &c.

(83) *Pag.* 221. Vide infra excerptum ex Codice Maffejano. Mos tondendi Clericos in Ecclesia vetustissimus. Vide quæ a nobis dicta sunt in Isagoges Cap. 9. n. 24. seqq.

(84) *Ibid.* De illis hæc habet Concilium Arausicanum I. Canon. 27. *Viduitatis servandæ professionem coram Episcopo in secretario habitam, imposita ab Episcopo veste viduali induendam* &c.

(85) *Pag.* 222. Exstat eadem penes Thomasium & Menardum. In prioris exemplari habetur hæc rubrica: *Consecratio sacræ virginis, quæ in Epiphania, vel secunda feria pascha, aut in Apostolorum natalitio celebratur.* Adjicit Menardianus codex: *Et vestimenta nigra forinsecus gestant.* Quæ quidem verba cum alibi non occurrant, videntur ab amanuense addita ad exprimendum suæ regionis consuetudinem. Nam S. Hieronymus epist. ad Gaudentium: *Solent quidam*, inquit, *cum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam & furvo operire pallio.* Et quod rubrica dicit *Vel secunda feria pascha*, non solum declarat quod habent indefinite Ordo Rom. & Gelasius in epis. ad Episcopos Lucaniæ cap. 12. videlicet, *Aut in Albis paschalibus*; sed etiam docet quo sensu intelligendus sit D. Ambrosius lib. ad Virginem lapsam cap. 5. *Non es recordata diei sanctæ Dominicæ resurrectionis, in quo divino altari te obtulisti velandam.* Porro „ Hæc est illa solemnis consecratio, qua juxta Siricium „ epis. 10. cap. 1. virgo *integritatem publico testimonio professa, a sacerdote prece fusa velamen* accipiebat. Id Virginibus non licuisse, juxta Concilium Cæsaraugustanum celebratum anno 380. can. „ 8. *nisi quadraginta annorum probata ætate*, constat. Insuper & illud patet eidem disciplinæ derogatum fuisse aliquantulum, gravi tamen instante causa, quum „ anno 416. in Synodo Milevitana canon. „ 26. statutum est, Virgines velari posse „ intra annum ætatis 25. si earum virginitas periclitetur: quod idem decreverat „ anno 397. & Concil. Carthag. 3. canon. „ 4. Qua de re videantur passim tractantes „ sacrarum antiquitatum Scriptores. Ab Episcopo ea consecratio fiebat, uti diserte „ & in hoc nostro Sacramentario asseritur. Unde recte in Codd. O & R, & „ apud Pamelium in Cod. Grimoldi, & in „ illo S. Eligii apud Menardum hic legitur: *Benedictio virginis ab Episcopo dicenda.*" Hæc totidem verbis Thomasianus editor tom. VI. p. 123. nota (1). Rubrica porro Thomasiana & Menardiana refert verba Gelasii ex epistola superius citata. Vide quæ diximus Isag. c. 9. n. 30. & 31. Menardus nota (613) ex testimoniis quæ affert, vix suadere possit viro cordato velamen virginis a voto castitatis seu religiosa professione fuisse distinctum. Quicquid sit de hac re, utilius observabitis ex allatis ab illo testimoniis. I. Præter velum consuevisse virgines caput exornare parva quadam mitra sive fasciola de qua Optatus Milevitanus lib. 6. ad versus Parmenianum: *Nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitella fieret, aut de qua pur-*

pura pingeretur: non enim in panno hoc potest virginitas adjuvari. Hujus mitrellæ reliquias supereſſe exiſtimo in *Corona*, quam per triduum aſſumere videntur apud nos virgines ſtatim a profeſſione ſua. II. Virginum Crines olim fuiſſe ſolutos ac ſparſos inſtar Sponſarum. De quo idem Milevitanus loco citato: *Inveniſtis igitur hujuſmodi Virgines quæ jam ſpiritaliter nupſerant: quaſi ſecundas coegiſtis ad nuptias; ut crines iterum ſolverent, imperaſtis*. Immo in Concilio Gangrenſi can. 17. εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας, ἀνάθεμα ἔστω. *Si qua mulier propter eam quæ putatur aſcetica vita totonderit comas, anathema ſit*. At S. Hieronymus epiſtola ad Sabinianum alium fuiſſe morem in Ægypto docet: ne a pediculis opprimantur, quia nec balneis nec unguentis utuntur. Quæ hodie conſuetudo tenet omnes tam latinas quam græcas moniales.

(86) *Pagin.* 222. Rubrica apud Thomaſium:

Sequitur præfatio conſecrationis Altaris Primitus enim ponis ſuper cornu altaris digito tuo vinum cum aqua mixtum, & aſperges altare ſeptem vicibus, reliquum autem fundes ad baſem: & offeres incenſum ſuper altare odorem ſuaviſſimum Domino. Benedictio Altaris, ſeu ut habent alii codices *Præfatio conſecrationis*: ſequiturque noſtra hæc prima oratio, cum aliqua tamen diverſitate. Deinde ſequitur.

Benedictio Altaris ſive conſecratio.

Deus omnipotens &c.

Apud Menardum, ubi longior rubrica legitur, hæc oratio nullum habet titulum; ſecunda *Deus omnipotens* &c. inſcribitur *Benedictio*.

(87) *Pag.* 223. Chriſmate videlicet ut ex Ord. Rom. aliiſque codd. patet.

(88) *Ibid.* Ordo Rom. præſcribit etiam unctionem cum Chriſmate, de qua codices non loquuntur: innui tamen videtur a verbo *perfundendi*.

(89) *Ibid.* Baptiſmalis videlicet. Ordinem ad Eccleſiam dedicandam, ſicut & aliarum rerum benedictiones require ſis penes Menardum in Sacramentario pag. 145. Et infra apud nos.

(90) *Pag.* 236. Idem omnino titulus occurrit in pontificali Egberti Eboracenſis Archiepiſcop. apud Martene de Rit. antiq. Eccl. lib. I. parte II. n. 6. art. 7. Exſtat canon Concilii Agathenſis habiti anno 506. qui ſic ſtatuit: *In capite quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt aut ſuſceperunt pœnitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe repræſentent Epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes*. Ad hujus amuſſim canonis Ratherius Veronenſis Epiſcopus apud D' Acherium in tom. 2. Spicilegii, ſive tom. I. pag. 376. hæc mandat: *Feria quarta ante quadrageſimam plebem ad confeſſionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde veſtro, ſed ſicut in pœnitentiali ſcriptum eſt*. Hinc rubrica apud Thomaſium tom. VI. p. 14.

Ordo agentibus publicam pœnitentiam.

Suſcipis eum IIII. feria mane in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini. Qui eodem die in gremio præſentatur Eccleſiæ, & proſtrato eo omni tempore in terra, dat orationem pontifex ſuper eum ad reconciliandum in quinta feria cœnæ Domini, ſicut ibi continetur.

Includere, hic eſt aſſignare pœnitenti cuique gradum ſuum, ut conſiſtat videlicet vel inter *flentes*, vel *audientes*, vel *ſubſtratos*, vel *conſiſtentes*. Sed de his vide plura in Iſagoge noſtra cap. 8. n. 4. ſeqq.

(91) *Pagin.* 237. Ordinem hic appono qualem apud Thomaſium lego tom. VI. p. 51. cum notis ſuis.

ORATIO IN

Quinta Feria.

Eodem die non pſallitur: nec ſalutat, ideſt non dicit: Dominus vobiſcum: & (*a*) *Reconciliatio Pœnitentis*.

Omnipotens ſempiterne Deus da, quæſumus, univerſis famulis tuis plenius, atque perfectius omnia feſti paſchalis introire myſteria: ut incunctanter pia corda cogno-

(*a*) Et reconciliatio Pœnitentis. *Feria V. in Cœna Domini mos fuit veteris Eccleſiæ ſolemni ritu a peccatis abſolvere, & ad ſacram Corporis & Sanguinis Chriſti Domini Communionem eos admittere, qui ſibi injunctam publicam pœnitentiam perſolviſſent. Celebre habemus rei teſtimonium ſub initium ſeculi Eccleſiæ V. in epiſtola Innocentii primi ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, in qua ad pag. 862. editionis Petri Couſtant legitur*: De pœnitentibus autem, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, QUINTA FERIA ANTE PASCHA eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. *Seculo etiam Ec-*

gnoscant, quantum debeant de confirmata in Christo renascentium glorificatione gaudere. Per.

Concede credentibus, misericors Deus, salvum nobis de Christi passione remedium; & humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos (*a*) æternæ suffragio plebs absolvat, Per Dominum nostrum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vitam humani generis, pro nobis Filio tuo moriente, salvasti: præsta, quæsumus; ut in hac populi tui devotione fructus (*b*) præveniat gaudiorum. Per Dominum.

ORDO AGENTIBUS

publicam Pœnitentiam.

Egreditur pœnitens (*c*) *de loco, ubi pœnitentiam gessit: & in gremio præsentatur Eccle-*

Ecclesiæ VII. *Eligius Noviomensis Episcopus Homilia inter eas, quas ipsi adscribunt aliqui, numero* IV. *de Cœna Domini agens, ait, Biblioth. Patrum edit. Lugd.* tom. XII. *pag.* 305.: Ut igitur audivit vestra dilectio, hæc omnis pedum lotio, nostrorum peccatorum est purgatio. Unde non incongrue hac ipsa die, sicut Ecclesiæ tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio. *Nono seculo idem adfirmat in sua* Canonum Collectione *Isaac Lingonensis Episcopus canon.* XXXV. *Alia, in re nota nimis ut nostra explanatione indigeat, prætereo scriptorum testimonia ut vulgati Alcuini, Albonis Monachi Parisiensis, Halithgarii Episcopi Cameracensis, Gilleberti Lunicensis Episcopi, aliorumque, quibus potissimum uti constat Morinum, Menardum, atque Martenium, ut statuant Feria* V. *majoris hebdomadæ Pœnitentes reconciliari olim consuevisse. Id tamen commune non fuit omnibus omnino Occidentis Ecclesiis. De Ecclesia Mediolanensi aliquo modo, sed non satis manifesto, colligitur ex Ambrosii epist. ad Marcellinam sororem, quæ* XX. *est in nova edit. moris in ea fuisse ut Feria* VI. *majoris hebdomadæ pœnitentia relaxaretur, ait enim*: Erat autem dies quo sese Dominus pro nobis tradidit, quo in Ecclesia pœnitentia relaxatur. *Idem, subobscurius tamen, suspicantur de Hispaniarum Ecclesiis: nam in Conc. Toletano* IV. *can.* VII. *decernitur, Feria* VI. *ante Pascha* indulgentiam criminum clara voce omnem populum *postulare debere*: & *can.* VIII. *cavetur ne aliquis ejusdem Feriæ jejunium solvat* ante peractas indulgentiæ preces. *An vero hisce canonibus indicetur pœnitentium reconciliatio: & criminum indulgentiam petere, ac indulgentiæ preces fundere, idem denotet ac pœnitentes reconciliare, viderint alii. In quibusdam insuper Galliarum Ecclesiis idem servatum fuisse conjicit Martenius de antiquis Ecclesiæ Ritibus lib.* I. *Part.* II. *cap.* VI. *art.* V. *num.* X. *quod in aliquibus earum vetustis Missalibus preces reconciliationis pœnitentis reperérit inter Officia Feriæ* VI. *Parasceves. Quæ omnia licet probari debeant, demonstrant sane disciplinæ in hoc ritu aliquam varietatem, nulla tamen infirmant quæ de Ecclesia Romana & communiori in Occidente usu satis plana protulimus testimonia. Consule veteres Ordines ad reconcillandos pœnitentes Feria* V. *in Cœna Domini, vulgatos a Morino in Appendice ad libros de Pœnitentia, & a Martene de antiquis Ecclesiæ Ritibus &c. & De antiqua Ecclesiæ Disciplina &c.*

(*a*) *Æternæ suffragio plebs absolvat.* emenda ex Breviario Ambrosiano *æternæ suffragio pietatis absolvas.*

(*b*) *Præveniat.* in Missali Ambrosiano, *proveniat.*

(*c*) *Patet ex nostro hoc loco reconciliatos fuisse publice pœnitentes inter Missarum solemnia, & quidem in ea parte, quæ inter Collectas post cantum Introitus, & Offertorium interjacet. An vero ante Epistolam & Evangelii Lectionem, vel alterutrius, vel post deinde, ex nostro Sacramentorum libro non adparet. In libro Sacramentorum Corbejensis Ecclesiæ jussu Ratoldi Abbatis decimo Christi seculo exarato e re nostra legitur, apud Menardum in Gregor. Sacram. not.* 677. Lecto Evangelio, ante diem festum Paschæ &c. Postea sedeat Episcopus in sede juxta altare, & non dicat: Dominus vobiscum: Sed Archidiaconus legat coram eo & populo rotulam, in qua continentur quædam indita de pœnitentium reconciliatione. Post hoc oret Episcopus ante sanctum Altare. Hoc expleto pergat ad ambonem, & ascendat ad eum, faciatque sermonem tam populis, quam pœnitentibus, sicut Ordo præcipit Romanus. Tunc redeat ante altare, & prosternens se tam ille quam omnis populus, etiam pœnitentes tam illi qui intus sunt, quam extra; & cantent septem Psalmos. Finitis his Psalmis surgat solus, & dicat has orationes tam pro se quam pro populo: Adesto Domine supplicationibus nostris. *Hæc porro e Menardi adnotationibus exscripsimus, quod nostris in præsentia lucem aliquam adfundere videantur: & illud principio demonstrant ritum reconciliandi pœnitentes peragi debuisse postquam Diaconus Evangelium legerat. Vide hac de re fuse agentem Morinum lib.* VIII. *de Pœnit. cap.* XIV.

Ecclesia, prostrato omni corpore in terra: & postulat in (a) his verbis Diaconus.

Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & salutis humanæ: qua mors interitum, & vita accepit æterna principium; quando in vinea Domini Sabaoth, sic novorum plantatio facienda est, ut purgetur (b) & curatio vetustatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis & pietatis Dei, nihil temporis vacet; nunc tamen (c) & largior est per indulgentiam remissio peccatorum; & copiosior per gratiam adsumtio (d) renascentium. Augemur regenerandis: crescimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde gaudium de adsumtione vocatorum, hinc (e) lætitiæ de absolutione pœnitentium. Inde est, quod supplex tuus, posteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cœlestium, & morum (f) probabilium transgressione cecidit; humiliatus atque prostratus, prophetica ad Deum voce clamat dicens: Peccavi, impie egi, iniquitatem feci: miserere mei Domine. Evangelicam vocem non frustratoria aure capiens: Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur. Manducavit, sicut scriptum est, panem doloris: lacrymis stratum rigavit: cor suum luctu, corpus adflixit jejuniis; ut animæ suæ reciperet, quam perdiderat, sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium: quod & singulis prodest, & omnibus in commune succurrit. Hic ergo dum ad pœnitudinis actionem tantis (g) excitatur exemplis; sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ venerabilis Pontifex, protestatur & dicit: Iniquitates meas ego agnosco, & delictum meum contra me est semper, Averte faciem tuam a peccatis meis Domine, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. (h) Quo ita supplicante, & misericordiam Dei adflicto corde poscente; Redintegra in eo, Apostolice Pontifex, quicquid, Diabolo (i) scindente, corruptum est: & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo: ut qui antea in suis (k) perversitatibus displicebat, nunc jam placere se Domino in regione vivorum (l) cum devicto mortis suæ auctore gratuletur. Per Dominum.

Post hoc admonetur ab Episcopo, sive alio Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet.

Inde vero has dicit Orationes Sacerdos super eum.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: (m) ut quem non (n) electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum; da fiduciam tui muneris exsequendi: & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per Dominum.

Præsta quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum: ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando; admissorum veniam consequendo, reddatur innoxius. Per Dominum.

Deus, humani generis benignissime conditor, & misericordissime (o) formator, qui hominem invidia Diaboli ab æternitate dejectum, Unici tui sanguine redemisti: (p) vivifica itaque, quem tibi nullatenus mori desideras: & qui non derelinquis devium, adsume (q) correptum. Moveant pietatem tuam,

(a) His verbis, *scilicet*, Adest, o venerabilis Pontifex &c. *quibus Diaconus pro pœnitentibus Episcopum deprecatur. Illa deprecatio in Codice Ratoldi juxta ea, quæ superiori in nota retulimus, vocatur* rotula. *Consule ad hanc vocem Du-Cangium.*

(b) *Et curatio.* in Ordine Romano, *exsecratio.*

(c) *Et largior.* emendavimus ex Ordine Romano; nam exemplar habet, *& largitor.*

(d) Renascentium. *leg.* renascentum.

(e) *Lætitiæ*, Ord. Rom. *lætitia.*

(f) Probabilium. *leg.* improbabilium.

* *Morum probabilium.* ita Ord. Roman. alias *probatorum.*

(g) Excitatur. *leg.* excitatus.

* *Excitatur.* In exemplari mendose scribitur *excitatus.* sed emendavimus ex Ord. Rom.

(h) *In Ord. Rom. Hittorpii voces*, Quo ita supplicante, & misericordiam Dei adflicto corde poscente, *non spectant ad Diacon. adlocutionem, sed rubricæ locum tenent; illis enim subjungitur:* iterum Archidiaconus subjungat, sic deinceps: Redintegra in eo &c.

(i) *Apud Hittorp.* suadente.

(k) *Idem Ordo.* In suis sibi perversitatibus displicebit &c.

(l) *In eodem Ord. omittitur ibi vocula*, cum.

(m) ut quem, *ita Codd. O, R, & S. At in aliis apud Menard. & Marten. legitur* & quem.

(n) Electione. *leg.* electio.

* *Electione.* Ita Ordin. Rom. exemplar perperam habet *electio.*

(o) *O, R, P, & M. ut & apud Marten. melius legitur* reformator.

(p) *O, R, & P.* vivifica hunc famulum tuum, quem &c. *apud Menard. atque Marten.* vivificat hunc famulum, quem &c.

(q) *Correptum.* exemplar perperam *corruptum*, habet.

tuam, quæsumus, Domine hujus famuli tui lacrymosa suspiria. Tu ejus medere vulneribus. Tu jacenti manum porrige salutarem: ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur: nec grex tuus detrimentum sustineat: ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet: ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo Domine supplices preces, tibi fletum cordis effundimus. (*a*) Tu parce confitenti: ut (*b*) in imminentes pœnas sententiamque futuri judicii, te miserante, non incidat. Nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis: atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra novis vulneribus sauciētur: sed integrum sit ei atque perpetuum & quod gratia tua contulit, & quod misericordia reformavit. Per.

Item ad reconciliandum Pœnitentem.

Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa: ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

Omnipotens & misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam (*c*) in confessione celeri posuisti: Succurre lapsis: Miserere confessis: ut quos delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat. Per Dominum.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas; & accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis; Da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis: ut (*d*) percepta remissione omnium peccatorum, sincera deinceps devotione permaneant: & nullum redemtionis æternæ sustineant detrimentum. Per.

Domine Sancte Pater omnipotens æternæ Deus, respice super hunc famulum tuum, qui ab infesta seculi tempestate demersus, flebili lamentatione suos accusat excessus: ut fletus ac gemitus ejus pie suscipias, eumque de tenebris ad lumen revoces; & medelam confitenti, salutem pœnitenti, & vulnerato auxilium sanitatis indulgeas. Nec ultra inimicus in ejus habeat anima potestatem; (*e*) ejusque confessionem libenter admittens, Ecclesiæ tuæ purificatum restitue, ac tuo altario repræsenta: ut ad Sacramentum reconciliationis admissus, una nobiscum sancto nomini tuo gratias agere mereatur. Per Dominum.

RECONCILIATIO

Pœnitentis ad mortem. (*f*)

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: Re-

(*a*) O, *R*, *P*, *M*, *&* *apud Marten.* tu parce confitenti: ut sic in hac mortalitate peccata sua, te adjuvante, defleat, qualiter (*P.* quatenus) in tremendi Judicii die sententiam damnationis æternæ evadat, & nesciat quod terret in tenebris &c.

(*b*) In imminentes pœnas sententiamque. *leg.* imminentibus pœnæ sententiæque.

* *Imminentes pœnas sententiamque.* Sic emendavimus ex Ord. Rom. cum in exemplari legatur: *imminentibus pœnæ sententiæque.*

(*c*) *In confessione.* in exemplari *ad confessione*: correximus ex Ordine Romano.

(*d*) Percepta. *leg.* Peraccepta.

* *Percepta.* Ita Ord.Rom. in exemplari *peraccepta*, sed perperam.

(*e*) Ejusque. *leg.* cujusque.

* *Ejusque* in exemplari mendose scribitur *cujusque.*

(*f*) Reconciliatio pœnitentis ad mortem, *Ita Codd.* O, *&* *R*, *atque P. quid illa sibi velit inscriptio, accipe ex vetustissimo Pœnitentiali Romano, quem de Scrinio Romanæ Ecclesiæ acceptum lib.* VI. *suorum Operum sub initium seculi a Christo* IX. *reposuit Halithgarius Episcopus Cameracensis. In eo siquidem legitur*: Si quis autem ad pœnitentiam venit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere, quod illi mandatum est a Sacerdote, suscipiatur ad sanctam communionem: & si voluerit eum Deus salvare, jejunet postea. Si quis non pœnitet, & forsitan ceciderit in ægritudinem, & quæsierit communicare, non prohibeatur, sed date ei sanctam communionem, & mandate ei, ut si placuerit Dei misericordiæ, & evaserit de ipsa ægritudine, postea omnia sit confessus, & sic pœniteat. *Idem præceperat & S. Leo primus, cujus magni Pontificis videatur epistola* XCI. *Idem & statutum invenies in Synodo Toletana* XI. *ann. Christi* IↃCLXXV. *cujus canon* XII. *ait*: Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia differendus est. Sed si pro certo mortis urget periculum, pœnitentia per manus impositionem accepta, statim ei reconciliatio adhibenda est: ne prius ab humanis rebus æger abscedat, quam donum reconciliationis percipiat. *Hæc sane veteris Ecclesiæ testimonia occurrentem hoc in loco ritum inlustrant, de quo adi-sis & Morinum, præcipue in Appendice ad suos de Pœnitentia libros p.* 29. *&* 30.

Respice super hunc famulum tuum; & remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem, deprecatus exaudi. Renova in eo piissime Pater quicquid terrena fragilitate corruptum est, vel quicquid diabolica fraude violatum est: (*a*) in unitatem corporis Ecclesiæ tuæ membrum perfecta remissione restitue: Miserere Domine gemituum: Miserere lacrymarum: & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad Sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur; ut huic famulo tuo, longo squalore pœnitentiæ macerato, miserationis tuæ veniam largiri digneris: ut nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur intrare. Per.

Majestatem tuam quæsumus, Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus; qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris. Respice flentem famulum tuum: attende prostratum: ejusque planctum in gaudium tua miseratione concede. Scinde delictorum saccum, & indue eum lætitiam salutarem; ut post longam peregrinationis famem de sanctis Altaribus tuis satietur: ingressus cubiculum Regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per.

Deus misericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam (*b*) nulla temporum lege concludis, sed pulsanti misericordiæ tuæ januam aperis; pœnitentes etiam sub ipso vitæ hujus (*c*) termino non relinquis. Respice propitius super hunc famulum tuum, remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem. Renova in eo piissime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione, diabolica fraude vitiatum est; & unitati corporis Ecclesiæ membrum tuæ redemtionis adnecte. Miserere gemituum, Miserere lacrymarum: & non habentem fiduciam, nisi in misericordia tua, ad Sacramentum reconciliationis admitte: quia nullius animæ in hoc corpore constitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio est. Fidelis enim es in verbis tuis: qui conversum peccatorem non longa temporum spatia differendum, sed mox ut in te gemuisset, dixisti esse. Per.

(*d*) *ORATIO*

Post Reconciliationem, (e) vel posteaquam communicaverit.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accusantes se conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis: Da indulgentiam (*f*) eis: & medicinam tribue vulneratis: ut percepta remissione omnium peccatorum, in Sacramentis tuis sincera deinceps devotione permaneant; & nullum redemtionis æternæ sustineant detrimentum. Per Dominum.

Post

(*a*) *O, & R.* & in unitate corporis Ecclesiæ tuæ membrorum perfecta remissione restitue &c.

(*b*) Nulla. *leg.* nullum.

(*c*) Termino. *leg.* Terminum.

**Termino.* ita correctum, mendose enim legitur in exemplari *terminum*.

(*d*) Oratio. *leg.* Oration.

(*e*) *Pœnitentes igitur ad Sacram Eucharistiæ Comunionem admittebantur in ea Missa, in qua reconciliationis ipse ritus peragebatur. Id autem adeo certum est, ut in monumentis veterum quibusdam vox* reconciliatio *heic usurpetur pro ipsa sancta communione: qua de re videri poterit Du-Cangius in Gloss. ad vocem* reconciliari. *Hinc merito concluditur ritum reconciliandi pœnitentes celebratum fuisse ante Missæ Offertorium*, nam, *quemadmodum Martenio recte notatum est cap. prælaudati num.* XI. quibus offerendi jus denegatum erat, iis communicare haudquaquam licitum erat. *Firmissimam hanc rationem confirmat locus, quo nostro in præsenti Sacramentorum libro Ordo reconciliandi ponitur, scilicet Introitus Missæ Orationes inter & Offertorium, quod & clariss. Morinus observare non prætermisit de Pœnit. lib.* VIII. *cap.* XIV. *numer.* VI. *pag.* 554. *Quare eidem Morino, uti nec Menardo nulli adsentimur, quum illi opinantur pœnitentium reconciliationem aliquando, vel quibusdam in Ecclesiis peractam fuisse in sollemni Missæ quidem, sed post consecrationem: neque illud evincunt nostra sententia aut testimonium Optati Milevitani lib.* II. *adversus Parmenianum, quo illorum uterque utitur, & Menardus quidem adnotatione 677. ad Greg. Sacram. Morinus vero num.* III. *capitis prælaudati: aut testimonia Cypriani & Ambrosii quæ a Morino referuntur ejusdem capitis num.* II. *&* III. *Ea enim, si recte expendas, demonstrant solum pœnitentes in Missa pro ipsorum reconciliatione sacra communione donatos fuisse. Vide memoratos præclarissimos Scriptores.*

(*f*) *Eis.* in Codice Tolosano apud Morinum in Appendice ad Comment. de Pœnitentia pag. 68. legitur *reis*.

Post hæc offert plebs, & conficiuntur Sacramenta.

SECRETA.

Virtutum cœlestium Deus, de cujus gratiæ rore descendit, ut ad mysteria tua purgatis sensibus accedamus; præsta quæsumus, ut in eorum traditione solemniter (*a*) honorum, tibi placitum deferimus obsequium. Per Dominum.

INFRA ACTIONEM.

Communicantes, & diem sacratissimum celebrantes: quo (*b*) traditus est Dominus noster Jesus Christus. Sed & memoriam.

ITEM INFRA.

Hanc igitur oblationem, Domine, cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerunt ob diem jejunii Cœnæ Dominicæ; in qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis Corporis & Sanguinis sui Mysteria celebranda: quæsumus, Domine, placatus intende; ut per multa curricula annorum, salva & incolumis munera sua tibi, Domine, mereatur offerre; diesque nostros in tua pace d.

Item infra Canonem, ubi dicimus, Qui pridie quam pateretur, *In hujus diei* (*c*) *processione dicimus*, Qui hac die antequam traderetur, accepit panem in suis sanctis manibus; elevatis.

POST COMMUN.

Concede quæsumus Domine, ut percepti novi Sacramenti mysterium & corpore sentiamus & mente. Per.

AD POPULUM.

Gregem tuum Pastor bone placatus intende, & oves, quas pretioso sanguine Filii tui redemisti, diabolica non sinas incursione (*d*) lacerari. Per Dominum.

(92) *Pagin.* 238. Vide notam superiorem.

(93) *Pag.* 239. Ordinem hujus diaconiæ vide apud Thomasium in appendice ad Responsoriale, *tom.* IV. pag. 332. Orationes item apud eumdem tom. VI. p. 215.

(94) *Pag.* 240. De psalmis pœnitentialibus aliisque cantari solitis videatur prolixissima nota Menardi. 680. Ubi & de Alleluja in officiis mortuorum; & de lotione cadaverum.

(95) *Ibid.* Apud Thomasium aliosque hæc dicitur *Oratio* sive *præfatio* ad sepulcrum.

(96) *Pag.* 241. Hæc Oratio apud Thomasium est *post sepulturam*.

(97) *Ibid.* Apud Thomas. *Commendatio animæ*. Sed orationes sunt diversæ.

(98) *Pag.* 242. Exstat & apud Thomas. tom. VI. p. 221.

(99) *Ibid.* Hæc rubrica & hæc Missa quæ item occurrunt apud Thomas. tom. VI. p. 223. pertinent ad publicum pœnitentem, ut docet ibidem Thomasianus editor. Sed operæ pretium est afferre huc eruditissimam illius notam *ad reconciliationem pœnitentis ad mortem*, quam ille subjecit tom. VI. p. 55. „ Quid illa sibi velit inscriptio, accipe ex vetustissimo pœnitentiali Roman. „ quem de Serinio Rom. Ecclesiæ acceptum „ lib. VI. suorum operum sub initium seculi a Christo IX. reposuit Halithgarius „ episcopus Cameracensis. In eo siquidem „ legitur: *Si quis autem ad pœnitentiam* „ *venit, & ægritudo evenerit, & non potuerit adimplere quod illi mandatum est* „ *a sacerdote, suscipiatur ad sanctam communionem: & si voluerit eum Deus salvare, jejunet postea. Si quis non pœnitet, & forsitan cecidit in ægritudinem,* „ *& quæsierit communicare, non prohibeatur; sed date ei sanctam communionem,* „ *& mandate ei; ut si placuerit Dei misericordiæ, & evaserit de ipsa ægritudine, postea omnia sit confessus & sic pœniteat*. Idem præceperat & S. Leo primus, cujus magni pontificis videatur epistola XCI. Idem & statutum invenies in „ Synodo Toletana XI. anno Christi 675. „ cujus canon 12. ait: *Qui pœnitentiam* „ *in mortis agit periculo, non diutine a* „ *reconciliationis gratia differendus est:* „ *sed si pro certo mortis urget periculum,* „ *pœnitentia per manus impositionem accepta, statim*

(*a*) *Honorum, honorandæ.*

(*b*) *Feria* V. *in Cœna Domini heic dicitur dies, quo TRADITUS est Dominus noster Jesus Christus. Hinc agnosces quam infirmum sit argumentum, quo adstruunt aliqui D. Ambrosii tempore in Ecclsia Mediolanensi pœnitentes reconciliari consuevisse hujusce hebdomadæ Feria* VI. *quod ad Marcellinam sororem suam scripserit pœnitentiam relaxari eo die, quo sese Dominus pro nobis tradidit. Vide superiorem adnotationem nostram.*

(*c*) *Apertissime illinc apparet* processionis *vocem usurpari ad denotandum* σύναξιν, *conventum, collectam, ipsum Missæ Sacrum. Vide de hac usurpatione tractantes Menardum not.* 471. *ad Greg. Sacram. & Du Fresne ad eamdem vocem.*

(*d*) *Ms.* lacerare.

„ *statim ei reconciliatio adhibenda est : ne* „ *prius ab humanis rebus æger abscedat ,* „ *quam donum reconciliationis percipiat ,* „ Hæc sane veteris Ecclesiæ testimonia oc„ currentem hoc in loco ritum inlustrant , „ de quo adi sis & Morinum , præcipue in „ Appendice ad suos de pœnitentia libros „ p. 29. & 30. „ Hic animadvertatis velim I. *communicare* & *sanctam communionem* in priori testimonio non intelligi de participatione corporis & Sanguinis Domini , qua nulla uti poterat infirmus sensibus destitutus, sed est *reconciliatio* cum Ecclesia per quam iterum æger ingrediebatur *communionem* Sanctorum . II. Hic nihil proprie statui de absolutione a peccatis sacramentali danda infirmo sensibus repente impeditis. Quæ proinde quæstio his testimoniis juvari minime potest.

(100) *Pag.* 245. Est & quædam hujusmodi Missa apud Thom. tom. VI. p. 221. hoc titulo: *Orat. ad Missa in Natale Sanctorum , sive agenda mortuorum*. Videlicet conjungenbant veteres in eadem Missa & celebritatem sanctorum & defunctorum memoriam.

(101) *Ibid.* Hæc recurrunt in ordine consecrationis Ecclesiæ.

(102) *Pag.* 248. Hæc & sequentes orationes usque ad eam quæ dicitur in *domo infirmorum* , videantur pertinere proprie ad Monachos quorum usibus cesserit fortasse codex universus. *Cellarium* est quivis locus conservandis esculentis & potulentis ordinatus. *Scriptorium* erat conclave in quo hieme monachi ad describendos libros conveniebant. *Hospitale* videatur esse locus ille in monasteriis, quod hodie *la Foresteria* nuncupamus.

(103) *Pag.* 250. Videtur accipi pro cellario , vulgo *Salvarobba* , sive *Moschetto*.

(104) *Ibid* Quamvis hæc vox Langobardica pro regione vel vico accipi soleat, hic tamen focum aut vaporarium significare videatur, vulgo *Stuffa*, a camino deflexa voce.

(105) *Pag.* 253. Facere Energumenum hic valet ut facere Catechumenum , h. e. suscipere eum exorcizandum usque dum ab eo malignus spiritus abscedat.

(106) *Pag.* 255 Hæ orationes pertinent ad Ordinem dedicationis Basilicæ quem infra require.

(107) *Pag.* 268. Agape pauperum dicebatur, cum quis de bonis suis victum indigentibus subministrabat. Quare hic quoque non *pauperem* sed pauperum videtur legendum , ut & verba orationis postulant. Videatur Cangius.

(108) *Ibid.* Quia consueverunt gentilium pueri comas suas falsis numinibus præcisas dedicare , Christiani qui pro consuetudine comas filiis suis abscindebant , eas Deo quodammodo dicabant hac oratione; quæ proinde non pertinet ad clericos.

(109) *Ibid.* Vide infra totum ordinem ex Cod. Maffejano.

(110) *Ibid.* Neque isthæc oratio ad clerios proprie pertinet. Vide Isag. nostram c. 9. n. 24. Et infra notam 142.

(111) *Pag.* 271. Vide infra post præfationes benedictionem Episcoporum. Quæ hic addenda dicuntur, mutanda intelligi debent, ut quæ pro episcopis assignantur Romano etiam pontifici inservire possint.

(112) *Ibid.* Videatur *alia* sive secunda postcommunio pertinens ad missam superiorem pro defuncto episcopo.

(113) *Pag.* 321. Ordinem universum vide infra.

(114) *Pag.* 324. De his episcopalibus benedictionibus quæ fiebant intra Missam, vide Isag. nostram cap. 16. n. 16. seqq. Et Menardi notam (100) ubi multa leges & de postrema in missa benedictione.

(115) *Pag.* 336. Vide totum caput XV. Isagoges.

(116) *Ibid.* Facta apologia seu exomologesi , sacerdotes ad altare eam hac vel simili oratione concludebant. Vide apologias varias apud Menardum p. 228. Vide etiam Isag. cap. 16. n. 2. & 3.

(117) *Ibid.* Lego *Ad respondendum populo* per ministros videlicet. Vide in Missam Codini.

(118) *Pag.* 337. Hæ orationes quæ olim videntur a piis sacerdotibus libere usurpatæ , jam a tempore S. Pii V. ex præcepto recitandæ sunt nonnullis immutatis. Vide Isag. cap. 16. num. 23. Hic animadvertas ex iis quæ ibi leguntur nostros Codices a Bona non fuisse visos , cum in illis legatur oratio *Corpus*. &c.

(119) *Pag.* 338. Sammarthano teste nulla exstat hujusmodi Missa in Cod. Regin. Sueciæ , nec in aliis duobus a Menardo memoratis , nec in Kalend. Roman. Vide notam (75).

(120) *Pag.* 341. Hic clarissimus Muratorius ex quodam codice Vaticano subnectit *Breviarum Ecclesiastici Ordinis* , *qualiter in Cœnobiis* &c. Quod opusculum satis fœde descriptum ab amanuensi , quia ad Monachos pertinet , a nobis omissum fuit. Sed ejus loco consulatur Appendix Thomasii ad Responsoriale S. Gregorii.

(121) *Pag.* 342. Multa ex hic occurrunt etiam apud Thomasium in Sacramentario Gelasiano tom. VI. p. 115. Quæ igitur ab ejus editore Vezzosio utilius adnotata leguntur, huc transferre visum est. Vide & Menard. pag. 219.

(122) *Ibid.* In libro pontificali Egberti Eboracensis apud Martene de antiq. Ecclesiæ riti-

ritibus lib. I. part. II. Cap. VIII. Art. IX. pag. 350. & in Pontificali Caturcensi apud eumdem pag. 380. perantiquis sane Ecclesiæ monumentis, quorum unum nongentorum creditur annorum, alterum octingentorum, integra hæc de temporum intervallis inter Ecclesiasticos Ordines conferendos institutio, Innocentio Pontifici summo tribuitur hac inscriptione: *Incipit sermo Innocentii papæ de septem gradibus Ecclesiæ ordinandis:* Verum Zosimi Rom. Pont. illam esse constat in epistola ad Hesychium Salonitanum cap. 3. quæ epistola juxta Petri Coustant recensionem col. 968. est illius Pontificis IX. De his vero quæ in eadem hac institutione occurrunt, consuli poterunt, Siricii epistol. ad Himerium Tarraconensem episc. cap. 9. Greg. Turonensis Hist. Franc. lib. 4. cap. 6. & Canones Hibernenses c. 9. lib. I. apud D'Acherium Spicilegii tom. IX. *Vezzosius.*

(123) *Ibid.* Siricius epistola prælaudata cap. IX. *Quicumque itaque se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari. Idem.* De Lectoribus vide Georgium tom. II. Lig. Rom. Pont.

(124) *Ib.* Zosimus, *Si major jam & grandævus accesserit* &c. Siricius vero cap. X. *Qui vero jam ætate grandævus melioris propositi conversione provocatus, ex laico ad sacram militiam venire festinat; desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore, statim Lectorum aut Exorcistarum numero societur.* Observa veterem primævæ Ecclesiæ disciplinam in Clerum non admittendi nisi eos, qui statim a Baptismo Ecclesiæ servitio sese mancipaverint. *Idem.*

(125) *Ibid.* Zosimus, & duo prælaudata pontificalia apud Martene habent: *Exinde suffragantibus meritis stipendiis per tot Gradus, datis* &c. *Idem.*

(126) *Ibid.* Nitidior lectio apud Thomasium: *De quo loco si illum exactior ad bonos mores vita perduxerit.*

(127) *Ibid. Neque pœnitens*, qui scilicet ob patratum grave crimen, publicæ pœnitentiæ sese submiserat: hi porro ab Ecclesiasticis Ordinibus arcebantur, quemadmodum innumeri fere ea de re Conciliorum canones fidem faciunt. Ab hac lege eximendos volunt aliqui, quibus lubenter adsentirer, eos qui pro levi culpa, ardenti in Deum pietate, publicam sponte pœnitentiam suscipiebant. Consule Ed. Martene de ant. Eccl. Rit. lib. 1. part. 2. c. 8. art. 2. n. 5. Cætera, ad Clerum & Ordines Ecclesiæ recipiendos una cum bigamis & pœnitentibus nec admittebantur hæretici & schismatici; neque neophyti, neque Clinici sive Grabatarii, neque servi, neque milites, neque curiales, neque illiterati, neque corpore vitiati, neque illegitimi, de quibus omnibus vide sis prælaudatum art. 2. Ed. Martene. *Vezzosius.*

(128) *Ibid.* Alio sensu, legitur *fiunt* apud Thomasium.

(129) *Ibid.* Defensores Ecclesiæ qui fuerint satis constat: illi enim erant, quibus Ecclesiæ bona ut curarent demandabatur, qui Ecclesiæ jura defendebant, & pauperum curam gerebant: quique modo e Clericis, modo e laicis eligebantur. Vide du Cangium ad eam vocem in Glossario. *Vezzosius.*

(130) *Ibid.* Hæc desunt apud Thomasium; & sequentes rubricæ simul junctæ leguntur & ordine inverso, ut initium fiat ab Episcopis.

(131) *Ibid.* Hinc colligere possumus inter Ostiarii munia & illud fuisse, ut horas sacris persolvendis statutas observaret. Crediderim ut illis instantibus signum daret, Ecclesiæ portas aperiret, & alia ejus generis præstaret. *Vezzosius.* Videlicet veteres observabant horas ad siderum cursus vel ad umbram humani corporis, aut in horologiis sciatericis &c. Vide Menardum in nota 693. ubi Bedæ affert horologium.

(132) *Pag.* 343. Alii addunt *memoriter*.

(133) *Ibid.* Menard. *coercendorum*: apud Thom. *immundorum coercendo*.

(134) *Ibid.* Nihil legitur apud Thomasium pro ordinatione Acolythi præter superiorem rubricam. Hic & apud Menardum defficit præfatio, apud quem unica tantum exstat oratio a nostris diversa. Quæ apud nos secundo loco occurrit, reperitur etiam in codice Ratoldi, quæ unica tamen est in codice Remensi.

(135) *Pag.* 344. Gelasius in Epistola ad Episcopos Brutii & Lucaniæ cap. XI. *Ordinationes presbyterorum & diaconorum, nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent; id est quarti mensis jejunio, septimi, & decimi. Sed etiam quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ die sabbathi jejunio, circa vesperas noverint celebrandas.*

(136) *Ibid.* Sic & apud Thomasium tom. VI. p. 21. sed apud Menard. *ad quod*.

(137) *Ibid.* In Gelasiano apud Thomas. subdiaconi ordinatio rejicitur inter minorum ordinum benedictiones. Quæ cum hic ponatur inter majores & sacras neoterismum aliquem nostri codicis indicare merito queat:

(138) *Ibid.* Vulgo *Bacino* vel *coppa*.

(139) *Pag.* 347. Omnia quæ hic ponuntur, exstant etiam in Gelasiano apud Thomasium tom. VI. pag. 21. usque ad ea verba: *Hic vestis eum* &c. quæ ibi non leguntur. Sed consecratio manuum perperam apud eumdem ponitur pag. 118. post benedictionem subdiaconi.

(140) *Pag.* 349. Hæc superius circa finem Sacramentarii nostri dicitur *Oratio ad Clericum faciendum*: est ea tamen ut apparet præfatio potius quam oratio.

(141) *Ibid.* Vide quæ diximus in Isagoge nostra cap. 9. n. 24.

(142) *Ibid.* Hæc oratio ad barbam tondendam non ita propria est Clericorum, ut laicos quoque non deceat, quemadmodum notavimus supra nota 110. Ex eo autem quod hic ponatur, inferimus probabiliter priscos adolescentulos quibus constitutum erat animo Clericis fieri, primam barbæ tonsionem distulisse plerumque ad tempus clericalis tonsuræ.

(143) *Pag.* 350. Hæc itidem occurrunt apud Thomasium, sed non verba illa: *postquam ab archidiacono instructus fuerit*. De psalmista seu Cantore sive Confessore vide Isagogen nostram cap. 9. n. 23.

(144) *Ibid.* Vide præcedentem ordinem ex codice Vaticano. De instrumentis quibus fideles ad Ecclesiam vocabantur olim, lege sis Isagogen nostram cap. 6. n.25. Animadvertenda etiam rubrica quæ legitur in Sacramentario apud Menardum pag. 219. *Majores gradus, ante Evangelium; minores vero post communionem dantur. Et minores quidem Dominicis diebus si necesse est: majores vero in Sabbathis duodecim lectionum per quatuor tempora tantummodo.* Contrarius mos qui hodie obtinet, habetur in codice Ratoldi. Vide Menard. nota 685. Universim autem de hisce ordinibus legatur nostræ Isagoges caput 9.

(145) *Ibid.* S. Isidorus a Menardo relatus nota 699. *Ad Lectorem pertinet lectiones pronuntiasse, & ea quæ prophetæ vaticinarint populis prædicare.* Quæ verba nihil sonant aliud, nisi legere & canere, seu submissa, alta aut modulanti voce sacrorum librorum partes populis audientibus in Ecclesia pronunciare. Olim & epistolam & Evangelium legisse seu cantasse Lectores jam diximus in nostra Isagoge, & probat Menardus in nota præcitata.

(146) *Pag.* 351. S. Gregorius Dialog. lib. 2. c. 23. ait morem obtinuisse olim ut Diaconus clamaret, *Si quis non communicat, det locum*. Fortasse etiam aliquando hoc munus exorcistarum fuerit, quod hic innui videtur. Vide Isagog. cap. 2. n. 3. & cap. 16. n. 18.

(147) *Ibid.* Sic pontificale Romanum. At in pluribus codicibus & in can. Carthagin. *Ab archidiacono*. Forte volebant innuere archidiaconum tradidisse ceroferarium episcopo.

(148) *Pag.* 352. In plerisque codicibus unica tantum hæc exstat oratio.

(149) *Pag.* 353. Pallæ in substentorio sive substratorio intelliguntur proprie tellæ crassiores quæ immediate altaris lapidem contingunt. Hic tamen generatim pro *tobaleis* accipi videntur. De mappa corporali, vide quæ habemus Isag. cap. 7. n. 12. & cap. 10. n. 16.

(150) *Pag.* 353. De manipulo vide Isagogen cap. 11. n. 13.

(151) *Ib.* Hoc est, Martii, Junii, Septembris & Decembris. Ita locus ille interpretetur ex vetustissimis ritualibus de sacris Ordinibus, quorum plures occurrunt apud Martenium de antiquis Ecclesiæ ritibus, lib. 1. c. 8. art. 11. quos inter vide illum sub num. 2. descriptum ex vetustissimo codice 900. annorum pag. 344. Edit. Rotom. anni 1700. Alterum tibi occurret pagin. 362. alterum pag. 371. e tribus vetustis codicibus 900. itidem annorum: alterum ex Cod. Ecclesiæ Suessionensis 600. annis antiquo pag. 393. alterum pag. 398. ex pontif. Salisburgensi 600. similiter annorum: alterum pag. 433. & 452. & 463. &c. Consuli poterit e multis qui de hoc argumento scripserunt, & Morinus de sacris Ordinat. parte 2. Menardus etiam atque Mabillonius. *Vezzosius tom. VI. p. 21. nota* (1)

(152) *Pag.* 354. Ex codice Ratoldi Menardus affert hanc Litaniam.

Kyrie eleison.	
Kyrie eleison.	
Christe audi nos.	
Sancta Maria,	ora pro nobis.
S. Michael,	ora.
S. Gabriel,	ora.
S. Raphael,	ora.
Omnes sancti angeli,	orate.
S. Johannes,	ora.
S. Petre,	ora.
S. Paule,	ora.
S. Andrea,	ora.
Omnes sancti Apostoli,	orate.
S. Stephane,	ora.
S. Line,	ora.
S. Clete,	ora.
Omnes sancti Martyres,	orate.
Sancte Silvester,	ora.
Sancte Leo,	ora.
S. Ambrosi,	ora.
S. Augustine,	ora.
Omnes sancti Confessores,	orate.
Sancta Felicitas,	ora.
S. Agnes,	ora.
S. Agatha,	ora.
Omnes sanctæ Virgines,	orate.
Omnes Sancti,	orate.

Propitius esto. Libera nos Domine.
Per adventum tuum. Libera nos Domine.
Per nativitatem tuam. Libera nos Domine.
Per circumcisionem tuam. Libera nos Domine.
Per baptismum tuum. Libera nos Domine.

Per

Per jejunium tuum. Libera nos Domine.
Per crucem tuam. Libera nos Domine.
Peccatores, te rogamus.

Ut Apostolicum nostrum. Ut regem nostrum. Ut episcopum nostrum. Filii Dei, te rogamus. III. Agnus Dei qui tollis. III. Christe audi nos. III.

In cujus litaniæ precibus quædam videntur deficere vitio codicis, quædam consulto omissa, quippe quæ facile suppleri possent.

(153) *Ibid.* Hæc allocutio in Cod. Remensi exstat post *Adesto quæsumus.*

(154) *Pag.* 356. In Menardiano exemplari: *Ut cum pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis & operis adjumentum, sequentis ordinis viros & secundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti.* Hæc meliorem medicinam loco nostro adhibent, quam Muratorianæ emendationes.

(155) *Pag.* 357. Vides hic presbyterum Cardinalem non esse eum qui alias parochialis presbyter, nobis Plebanus dicitur: sed proprie Cardinalem.

(156) *Pag.* 366. *Cum nota*, id est musice canendo.

(157) *Pag.* 370. Negat Ivo Carnotensis apud Menardum nota 785. Abbatibus manum imponi, quod generatim falsum esse docet non solum Græcæ Ecclesiæ consuetudo, sed & nostri Ordinis testimonium.

(158) *Pag.* 399. Vide notam (53).

(159) *Pag.* 404. Consuetudinem cibandi lacte & melle baptizatos in pascha infantes pronus crediderim originem suam debere vaticinio percelebri prophetæ Isaiæ: *Butyrum & mel comedet* &c. Immo eam consuetudinem exprimi in pluribus liturgiis Missarum paschalium, puta *Quasi modo geniti infantes* &c. jam alibi diximus. Sed præstat audire Menardum nota 338. ,, In co-
,, dice Ratoldi exstat benedictio lactis &
,, mellis in hunc modum; *Benedic, Domi-*
,, *ne, hanc creaturam lactis & mellis* &c.
,, ut in Ordine Romano. Deinde sequitur:
,, *Per quem hæc omnia, Domine, semper*
,, *bona creas.* Id autem fiebat propter re-
,, cens baptizatos, qui post sanctum lava-
,, crum lac & mel gustare jubebantur quasi
,, modo geniti infantes: quo ritu significa-
,, batur, Christianis, omni exuta malitia,
,, simplicitatem infantis esse amplectendam.
,, Id videre est in Ordine mysteriorum Æ-
,, thiopum ut vocant, in quo, baptizatis
,, sacro perunctis chrismate, hæc legere est:
,, *Diaconus deinde dat illis lac & mel,*
,, *& dicit: Lac & mel immaculatum in*
,, *regenerationem: Amen. Sacerdos autem*
,, *dicit: Lac & mel immaculatum in rege-*
,, *nerationem per Jesum Christum: Amen.*
,, Apud S. Hieronymum Dialog. adversus
,, Luciferianos: *Velut in lavacro ter caput*
,, *mergitare, deinde egressos lactis & mellis*
,, *prægustare concordiam ad infantiæ signifi-*
,, *cationem.* Et apud Tertullianum lib. de
,, Cor. milit. *Inde suscepti lactis & mellis*
,, *concordiam degustamus.* Hinc capienda
,, sunt illa Conc. Carth. græci canon. 40.
,, ἀπαρχὴ δὲ εἴτε μέλι, εἴτε γάλα, ὡς
,, εἴωθεν, προσφερέσθω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐθίμῳ,
,, εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον. Id est: *Pri-*
,, *mitiæ sive mel aut lac, ut mos est, of-*
,, *ferantur uno die consueto ad infantium*
,, *mysterium.* Agitur enim hic de mellis &
,, lactis benedictione in altari. Hæc autem
,, verba, *Ad mysterium infantium*, signifi-
,, cant, ideo a baptizatis degustandum esse
,, lac & mel, quod per baptisma, omni po-
,, sita malitia, debeant semper infantium
,, simplicitatem servare. Alia ratio profer-
,, tur in ipsa benedictione: quia baptizati,
,, relicta Ægypto, id est seculo, ingre-
,, diuntur in Ecclesiam, terram melle &
,, lacte manantem, id est, omnibus deliciis
,, spiritualibus affluentem." Hæc ille.

(160) *Ibidem.* De consuetudine Ova in Pascha comedendi, vide quæ per nos scripta sunt in capite 14. num. 31. nostræ Isagoges.

ELENCHUS

EORUM QUÆ

IN SACRAMENTARIO CONTINENTUR.

Canon Missæ. Pag. 118
Oratio in Vigilia Domini. 122
Nativitas Domini. ibid.
Natale S. Stephani. 124
. . . S. Johannis Evang. 125
. . . Innocentum. 126
. . . S. Silvestri Papæ. ibid.
In Octavas Domini. ibid.
Epiphania. 127
Natale S. Felicis. 128
. . . S. Marcelli. ibid.
. . . S. Priscæ. ibid.
. . . S. Fabiani. 129
. . . S. Sebastiani. ibid.
. . . S. Agnæ. ibid.
. . . S. Vincentii. 130
. . . S. Agnæ secundo. ibid.
Yppapanti. ibid.
Natale S. Agathæ. 131
. . . S. Valentini. ibid.
. . . S. Gregorii Papæ. ibid.
Annunciatio S. Mariæ. 132
Septuagesima. ibid.
Sexagesima. ibid.
Quinquagesima. 133
Feria quarta. ibid.
Feria quinta. ibid.
Feria sexta. 134
Quadragesima. ibid.
Feria secunda. ibid.
. . . Tertia. 135
. . . Quarta. ibid.
. . . Quinta. ibid.
. . . Sexta. 136
Sabbatho in XII. Lectiones. ibid.
Die Domico vacat. 137
Feria Secunda. ibid.
. . . Tertia. ibid.
. . . Quarta. 138
. . . Quinta. ibid.
. . . Sexta. ibid.
Sabbatho. 139
Dominica. ibid.
Feria Secunda. ibid.
. . . Tertia. 140
. . . Quarta. ibid.
. . . Quinta. ibid.
. . . Sexta. 141
Sabbatho. ibid.
Dominica. ibid.
Feria Secunda. 142
. . . Tertia. ibid.
. . . Quarta. ibid.
. . . Quinta. 143
. . . Sexta. ibid.
Sabbatho. ibid.
Dominica de Passione. 144
Feria Secunda. ibid.
. . . Tertia. ibid.
. . . Quarta. 145
. . . Quinta. ibid.
. . . Sexta. ibid.
Sabbathum, 146
Dominica in Palmis. ibid.
Feria Secunda. ibid.
. . . Tertia. 147
. . . Quarta. ibid.
In Cœna Domini. ibid.
Orationes in feria sexta majore. 149
Oratio super infantes in XL.ma 151
. . . In Sabbatho Paschæ. ibid.
Orationes ad Lectiones. 152
. . . de Psalmo XLI. ibid.
. . . ad infantes consignandos 154
Sabbatho sancto in nocte. ibid.
Dominica sancta. 155
Feria secunda in albas. 156
. . . Tertia. 157
. . . Quarta. ibid.
. . . Quinta. 158
. . . Sexta. ibid.
Sabbatho. 159
Dominica post Albas. ibid.
Natale SS. Tiburtii & Valeriani. 161
. . . S. Georgii. 162
Letania Majore. ibid.
Natale S. Vitalis. 163
. . . App. Philippi & Jacobi. ibid.
. . . SS. Alexandri, Eventii & Theodoli. ibid.
. . . S. Johannis ante portam Latinam. 164
. . . S. Gordiani & Epimachi. ibid.
. . . S. Pancratii. ibid.
. . . S. Mariæ ad Martyres. 165
Ascensa Domini. ibid.
Natale S. Urbani Papæ. 166
Orationes de Pentecoste. ibid.
In Psalmo XLI. ibid.
In Sabbatho Pentecostes ad Missam. 167
Die Dominico. 168
Feria Secunda. ibid.
. . . Tertia. ibid.
. . . Quarta. ibid.
. . . Sexta. ibid.

Sabba-

Sabbatho. 170
Die Dominico vacat. ibid.
Dedicatio Natalis S. Nicomedis. ibid.
Natale S. Marcellini & Petri. 171
. . . SS. Marci & Marcelliani. ibid.
. . . SS. Protasi & Gervasii. ibid.
. . . S. Joannis Baptistæ. 172
. . . SS. Johan. & Pauli. 173
. . . S. Leonis Papæ. ibid.
Vigilia S. Petri. ibid.
Natale S. Petri. 174
. . . S. Pauli. 175
In Octavas Apostolorum. ibid.
Natale S. Processi & Martiniani. ibid.
. . . Septem Fratrum. 176
. . . SS. Felicis, Simplicii, Faustini & Beatricis. ibid.
. . . SS. Abdon & Senen. ibid.
Ad S. Petrum in Vincula. 177.
Natale S. Stephani Episcop. ibid.
. . . S. Xysti Episc. ibid.
Benedictio Uvæ. 178
Natale SS. Felicissimi & Agapiti. ibid.
. . . S. Cyriaci. ibid.
Vigilia S. Laurentii. ibid.
Natale S. Laurentii. 179
. . . S. Tiburtii. ibid.
. . . S. Hippolythi. 180
. . . S. Eusebii Presbyteri. ibid.
Vigilia Assumtionis S. Mariæ. ibid.
Assumtio S. Mariæ. ibid.
Natale S. Agapiti. 181
. . . S. Timothei. ibid.
. . . S. Hermetis. ibid.
. . . S. Sabinæ. 182
. . . SS. Felicis & Adaucti. ibid.
Nativitas S. Mariæ. ibid.
Natale SS. Proti & Hyacinthi. 183
. . . SS. Cornelii & Cypriani. ibid.
Exaltatio S. Crucis. ibid.
Natale S. Nicomedis. 184
. . . S. Euphemiæ. ibid.
. . . SS. Luciæ & Geminiani. ibid.
Mense Septimo. Orationes die Dominico. ib.
Feria Quarta. 185
. . . Sexta. ibid.
Sabbatho. ibid.
Dominica vacat. 186
Natale SS. Cosmæ & Damiani. ibid.
Dedicatio Basilicæ S. Angeli. ibid.
Natale S. Marci Papæ. 187
. . . S. Calisti Papæ. ibid.
. . . S. Cæsarii. ibid.
. . . SS. IV. Coronatorum. 188
. . . S. Theodori. ibid.
. . . S. Mennæ. ibid.
. . . S. Martini. ibid.
. . . S. Cæciliæ. 189
. . . S. Clementis. ibid.
. . . S. Felicitatis. ibid.
. . . S. Chrysogoni. ibid.
. . . S. Saturnini. 190
Vigilia S. Andreæ. ibid.
Natale S. Andreæ. ibid.
Orationes de Adventu Domini. Dominica prima. 191
. . Secunda. ibid.
Natale S. Luciæ. 192
Dominica Tertia. ibid.
Feria Quarta. ibid.
. . . Sexta. 193
Sabbatho. ibid.
Dominica vacat. ibid.
Aliæ Orationis de Adventu. 194
Index. ibid.
I. Benedictio Cerei. 198
II. Alia benedictio Cerei. 199
Oratio post benedictionem Cerei. 200
III. Orationes per singulas lectiones in Sabbatho sancto. ibid.
Oratio post Psalmum XLI. 202
IV. Oratio in Vigilia Pentec. ante primam Lectionem. ibid.
De Psalmo XLI. 203
Oratio ad Catechumenum faciendum. 204
V. Benedictio salis. ibid.
Oratio ad catechizandum in Sabbatho sancto. 206
VI. Dominica prima post Natale Domini. 207.
. . . Secunda. ibid.
VIII. Dominicæ sex post Theophania. 208
XIV. Dominicæ quatuor post Octav. Paschæ. 209
XVIII. Dominica post Ascensionem Domini. 210
XIX. Dominicæ XXIV. post Pentecosten. 211.
XLIII. Orationes quotidianis diebus ad Missam. 217
XLIX. Missa in Natale unius Apostoli. 219
L. . . . . plurimorum Apostolorum. ibid.
LI. . . . unius Martyris. ibid.
LII. . . . plurimorum Martyrum. 220
LIII. . . . unius Confessoris. ibid.
LIV. . . . plurimorum Confessorum. ibid.
LV. . . . . Virginum. ibid.
LVI. Missa ad poscenda suffragia Sanctorum. 221.
LVII. Orationes ad Clericum faciendum. ib.
LVIII. Benedictio Vestium Virginis vel Viduæ. ibid. 371
Benedictio Virginis ab Episcopo dicenda. 222.
Consecratio. ibid.
LIX. Benedictio Altaris. ibid.
LX. Consecratio Altaris. ibid.
LXI. Ad consecrandam Patenam. ibid.
LXII. Ad Calicem benedicendum. 223
LXIII. Orationes in dedicatione Fontis. ib.
LXIV. Missa in anniversario dedic. Basilicæ. ibid.
LXV. . . . . pro Regibus. 224
LXVI. . . . . quotidiana pro Rege. ibid.

LXVII.

LXVII. ... Tempore Synodi pro Rege dicenda. *ibid.*
LXVIII.... ſpecialis Sacerdotis. 225. 338. 340.
LXIX. ... item alia. 226
LXX. .... Votiva. 227
LXXI. ... item alia. *ibid.*
LXXII. ... item alia. 228
LXXIII.... pro ſalute vivorum. *ibid.*
LXXIV.... pro familiaribus. *ibid.*
LXXV.... pro Abbate vel Congregatione. 229.
LXXVI. Orationes in Monaſter. Monachorum. *ibid.*
LXXVII... pro fratribus in via dirigendis. 230
LXXVIII. Oratio pro redeuntibus de itinere. *ibid.*
LXXIX.... in adventu Fratrum ſupervenientium. *ibid.*
LXXX. Miſſa pro iter agentibus. *ibid.*
LXXXI.... pro Navigantibus. 231
LXXXII.... pro peccatis. *ibid.*
LXXXIII. Orationes in tempore belli. *ibid.* 269.
LXXXIV. Miſſa in tempore belli. *ibid.*
LXXXV.... item alia. 232
LXXXVI.... item alia. *ibid.*
LXXXVII.... pro pace. *ibid.*
LXXXVIII.... pro quacumque tribulatione. 233.
LXXXIX.... pro peſte animalium. 234
XC.... in contentione. *ibid.*
XCI.... contra judices male agentes. *ibid.*
XCII.... contra obloquentes. *ibid.*
XCIII. Orationes ad pluviam poſtulandam. 235. 269.
XCIV. Miſſa ad pluviam poſtulandam. *ib.*
XCV. Orationes ad poſcendam ſerenitatem. *ibid.* 269.
XCVI. Miſſa ad poſcendam ſerenitatem. *ib.*
XCVII.... ad repellendam tempeſtatem. 236.
XCVIII. Orationes ſuper pœnitentem confitentem &c. *ibid.*
XCIX.... ad reconciliandum pœnitentem. 237.
C.... ad viſitandum infirmum. *ibid.* 267
CI. Miſſa pro infirmis. 238
CII. Oratio pro reddita ſanitate. *ibid.*
CIII. Reconciliatio pœnitentis ad mortem. *ibid.*
CIV. Orationes in agenda mortuorum. 239. 270.
... poſt lavationem corporis. 240
... ante Sepulcrum priuſquam ſepeliatur. *ibid.*
... poſt ſeputuum corpus. *ibid.*
CV. Miſſa unius defuncti. 241
CVI.... pro defuncto nuper baptizato. 242
CVII.... pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & minime conſequentibus. *ib.*
CVIII.... in anniverſario unius defuncti. 243.
CIX.... plurimorum defunctorum. *ibid.*
CX.... item alia. *ibid.*
CXI.... item alia. 244
CXII.... in Cimiteriis. *ibid.*
CXIII.... pro ſalute virorum, vel in agenda defunctorum. 245
CXIV. Exorciſmus ſalis. *ibid.*
CXV. Benedictio ſalis. *ibid.*
CXVI. Exorciſmus aquæ. *ibid.*
CXVII. Benedictio aquæ. 246
CXVIII.... ſalis & aquæ pariter. *ibid.*
CXIX. Oratio quando aqua ſpargitur in domo. *ibid.*
CXX. Benedictio domus. *ibid.*
CXXI. Oratio contra fulgura. 247
CXXII.... ſuper vaſa in loco antiquo reperta. *ibid.*
CXXIII. Benedictio putei. *ibid.*
CXXIV.... Uvæ vel favæ. *ibid.*
CXXV.... ad fruges novas. *ibid.*
CXXVI.... ad omnia quæ volueris. *ibid.*
CXXVII. ... panis. 248
CXXVIII. Orationes ante cibum. *ibid.*
... ſuper menſam. *ibid.*
... poſt cibum. *ibid.*
CXXIX. .... in ſacrario. *ibid.*
CXXX. ..... ubi veſtimenta conſervantur. *ibid.*
CXXXI. .... in refectorio. 249
CXXXII..... in dormitorio. *ibid.*
CXXXIII. ... in Cellario. *ibid.*
CXXXIV. ... in Scriptorio. *ibid.*
CXXXV. .... in hoſpitale. *ibid.*
CXXXVI. ... in domo infirmorum. *ibid.*
CXXXVII.... in area. 250. 269
CXXXVIII... in granario. *ibid.*
CXXXIX. ... in priſtino. *ibid.*
CXL. ...... in coquina. *ibid.*
CXLI. ..... in lardario. *ibid.*
CXLII...... in caminata. *ibid.*
CXLIII. .... Matutinales. 251. 264.
... Veſpertinales. 252. 264
CXLIV. Impoſitio manuum ſuper energumenum catechumenum. *ibid.*
CXLV. Item alia pro parvulo energumeno. 253.
CXLVI. Aliæ orationes ſuper energumenum faciendum. *ibid.*
Oratio quando levantur reliquiæ. 255
... in dedicatione Eccleſiæ. *ibid.* 381
... poſt velatum altare. *ibid.*
... Ad Miſſam. *ibid.*
... in natale Papæ. 256
... in ordinatione Presbyteri. *ibid.*
... ad ſponſas benedicendas. 257
Benedictio. *ibid.*
Orationes pro peccatis. 258.
... quotidianæ. 260
... Matutinales. 264
... Veſpertinales ſeu Matutinales. *ibid.*

Ora-

Oratio ad baptizandum infirmum. 266
. . . aquæ ad baptizandum infirmum. 267
. . . aquæ exorcizatæ in domo. ibid.
. . . ad visitandum infirmum. 267
. . . ad agapem pauperem. 268
. . . ad capillaturam. ibid.
. . . ad clericum faciendum. ibid.
. . . ad barbas tondendas. ibid.
. . . ad diaconam faciendam. ibid.
. . . ad ancillas Dei velandas. ibid.
. . . ad Abbatem faciendum vel Abbatissam. ibid. 370.
. . . in tempore belli. 269
. . . pro iis qui iter agunt. ibid.
. . . pro plura postulanda. ibid.
. . . quando multum pluit. ibid.
. . . in area. ibid.
. . . pro peste animalim. ibid.
. . . pro peste. ibid.
. . . super Episcopum defunctum. 270
. . . item alia in agenda mortuorum. ibid.
. . . ad Pontificem ordinandum. 271
PRÆFATIONES in calce Vaticani codicis. 273
Benedictio Episcoporum. 321
Oratio ad Ordinandum presbyterum. 322
. . . . Diaconum. ibid.
Benedictiones variæ Episcopales. 324
Missa de S. Trinitate. 336
. . . de Spiritu Sancto. 337
. . . Votiva de S. Maria. ibid.
. . . in veneratione omnium Sanctorum. 338
. . . propria Sacerdotis. ibid.
. . . tam vivorum quam defunctorum. ibid.
Feria secunda, Missa Angelorum. 339
Missa Sanctorum quorum reliquiæ ibidem habentur. ibid.
. . . pro tentatione carnis, & gratia S. Spiritus. ibid.
. . . pro petitione lacrymorum. ibid.
Feria tertia, Missa in veneratione S. Maria. 340.
Missa pro gratia S. Spiritus. ibid.
. . . communis Sanctorum. ibid.
. . . pro peccatis. ibid.
. . . Sacerdotis. ibid.
Ordo de sacris ordinibus benedicendis. 342
. . . Septem Ecclesiasticorum gradum &c. 349.
Ordinatio Episcoporum. 358
Ordinatio Romani Pontificis. 368
Benedictio Abbatis vel Abbatissæ. 370
Spiritualis benedictio Abbatissæ. ibid.
Ordo ad Monachum faciendum. ibid.
Benedictio vestium Monachalim. 371
Ordo ad virginem benedicendam. ibid.
Benedictio vestimentorum Virginum vel viduarum. ibid.
. . . vestis tam virginis quam viduæ. ibid.
Consecratio velaminis Virginis. ibid.
Ordo ad dandum velamen. 372.
Item alia benedictio Virginis. ibid.
Missa ejusdem. ibid.
Benedictio Viduæ. ibid.
Missa in die consecrationis ejusdem. ibid.
De Coronatione Imperatoris. 374
Ordo ad benedicendum Ecclesiam. 381
Benedictio Linteaminum altaris. 392
. . . Poliandri, seu Cemeterii. 394
Reconciliatio Ecclesiæ violatæ. 395
Benedictio lapidis in ara. 396
. . . peræ & baculi peregrinantibus. 398
. . . Lapidis primarii. 399
. . . lapidis pro Ecclesia ædificanda. ibid.
Ordo ad designandum pueros. ibid.
Præfatio patenæ consecrandæ. 400
. . . . calicis consecrandi. ibid.
Benedictio Corporalium. 401
. . . linteaminum. ibid.
. . . Planetæ, Dalmaticæ, Stolæ &c. ibid.
. . . incensi. ibid.
. . . Crucis novæ. 402
. . . in Ecclesia panis populo distribuendi. 403.
. . . agni & aliarum carnium. ibid.
. . . Lactis & melis. 404
. . . Casei & ovorum. ibid.
. . . ad quemcumque fructum novarum arborum. ibid.
. . . Uvæ. ibid.
. . . novæ Donus. ibid.

FINIS.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. *Filippo Rosa Lanzi* Inquisitor General del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato: *S. Gregorii Papæ cognomento Magni opera ec. Tom. X. complectens Sacramentarium Muratorianum cum notis editis Venetiis ec. MS. e Stampato*, non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a Francesco Sansoni, Stampator di Venezia che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 24. Novembre 1772.

(Angelo Contarini Proc. Rif.

(Alvise Vallaresso Rif.

(Francesco Morosini Sec. Cav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 114. al num. 953.

Davidde Marchesini Seg.

Adì 4. Decembre 1772.

Registrato nel Magistrato Eccellentissimo della Bestemmia.

Dionisio Querini.